


LIVORNO
BIBLIOTECA DI BONAMICI

2

FASTI GYMNASII PATAVINI


JACOBI FACCIOLATI

OPERA COLLECTI

AB ANNO MDXVII.

QUO RESTITUTÆ SCHOLÆ SUNT

AD MDCCLVI.



PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLVII.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU ET PRIVILEGIO.

TRIUMVIRIS
LITTERARIIS
PATAVINI GYMNASII
REFORMATORIBUS

JACOBUS FACCIOLATUS

F.



Ars hæc Faſtorum tertia ab ipſa Triumviralis poteſtatis inſtitutione principium ducit & auſpicium. Qui ſua vobis afferunt, Senatores ampliſſimi, titulos quærant oportet, cur afferant: ego ſi mea hæc aliis nominibus, quam veſtris, ornare velim, aliiſque auſpiciis uti, temere prorſus facere videar. Tota Gymnaſii fortuna a veſtro pendet Magiſtratu; & qui docent, &

qui discunt, & qui docentibus, atque discentibus operam aliquam vel in scholis, vel extra scholas navant, providentia & mandatis Triumviralibus reguntur. Enimvero ex quo institutum genus hoc regiminis est, idemque per biennium peculiari jure continuatum, novus quidam extitit Gymnasii status, & ad summum dignitatis famæque fastigium pervenit. Ipsæ sibi litteræ quodammodo gratulatæ sunt, cum suarum fortunarum curam tribus Senatus principibus mandatam intellexerunt, qui pro sua sapientia, & reip. administrandæ peritia singulas hujus ordinis partes inspicerent; &, siquid in tanta rerum atque ingeniorum varietate interdum deficeret, aut claudicaret, extemplo erigerent, & confirmarent. Quid tempora memorem, cum ipsi se decessores vestri Patavium contulerunt, ut præsentes omnia cognoscerent? Quid illa, cum præstantem aliquem suorum mandatorum administrum misere, qui interiora quæque specularetur; ut, siquid forte labaret, sine mora fulcirent? Tanta ista majorum cura & providentia nunc jam ita convaluit Gymnasium, omnibus suis numeris & partibus expletum, ut quidquid eveniat, levi nutu moderemini, & a-

liud

liud agentes molem hanc totam rectiſſime gubernetis. Quoniam autem nulla eſt gubernandi regula magis certa, quam quæ petitur ab hiſtoria, quod res humanæ aliæ ex aliis æquabiliter oriantur, eodemque recurrant; ſumma profecto Senatus ſapientia factum eſt, ut rerum & conſiliorum omnium ad poſteritatis commodum memoria extaret. Non defuit, opinor, Patavinæ Univerſitati ab ipſo ejus principio providentia hæc; ſed qualis fuerit, non ſatis apparuit, niſi poſt inſtitutum Triumvirum Magiſtratum. En igitur, cur ego vos, Senatores optimi, ad præſidium compellem, ut quod veſtris conſiliis, & Principis juſſu ſuſceptum confectumque eſt, æqui bonique conſulentes Triumvirali poteſtate ratum faciatis. Nihil in eo fortaſſe invenietis rerum magnitudine, & Principis majeſtate dignum: ſed qualecumque ſit, nec mihi unquam in mentem venit, ut tantum poſſem, nec iis reſiſtere fas fuit, qui me poſſe judicarunt.

DE

DE PARTE FASTORUM III.




D eam Fastorum partem cum pervenerim, in qua Gymnasii Patavini facies, hoc est rerum ac temporum series, explicatior est, videor mihi in portu quodammodo navigare, non tamen plane tuto. Scribendum enim de viventibus est, optimis sane viris, litterisque ac doctrina præstantibus, sed tamen de se singulis pro ipsa artis natura ita sentientibus, ut difficillimum sit, quod Cicero de Poetis ajebat Tusc. 5. c. 22. *facere judicando satis. Ipsa Principis præmia & stipendia, quæ ego fideliter referam, judicii loco erunt. Scite profecto* Tomasinus, *cum Gymnasii historiam scripsisset, ad componenda viventium Professorum Elogia operam suam transtulit, ut eorum merita omnia, dicta, scripta, acta, cogitata pro cujusque voluntate referret, & pro suis viribus ornaret. Hac ille ratione & sibi consuluit, & mihi curam minuit, ne, veterum Professorum operibus memoratis, quæ usu & præstantia ætatem tulerunt, aliarum lucubrationum catalogos darem interdum longissimos, ex quibus apparet, quam multis ad litteras & disciplinas recte colendas non indigeamus. Historico enim caussa quoque fuisset afferenda, cur cati viri tempore interdum adducti typographos fatigaverint. Illud autem præfandum existimo, cum ad eum curiosiores mitto, aut ad Papadopolum, aut ad scriptores alios classis ejusdem, non me idcirco cuncta probare, quæ apud illos inveniuntur, fidemque meam interponere. Nihil ego mihi in his effugiis animo proposui præter effugium. Verum enimvero utcunque res se habeat,* non sum ignarus (*ut ejusdem Ciceronis verbis utar* Tusc. 2. c. 1.) multos studiose contra esse dictu-

dicturos, quod vitare nullo modo potui, nisi nihil omnino scriberem. *Sed hujus ego infortunii fatum, quod ne summi quidem viri declinare potuerunt, antea meditando prædomui. In acie sumus, standum loco est.*



DE



DE GYMNASII
RECTORIBUS, ET PROFESSORIBUS
AB ANNO MDXVII.



Andem eo devenimus, ubi ad Gymnasii Fastos scribendos ejus nobis tabularia præsto sunt; totumque corpus hoc per singula veluti membra, suis classibus suisque officiis distincta, explicare licet. Jam Rector Rectorem ordine excipiet, Professor Professorem sine fallaciæ periculo: idque fiet intra rei nostræ litterariæ fines, ex fide in Operis hujus præfatione obstricta. Compositis post annos belli octo Venetorum rebus, mense februario anni MDXVII. Patavini Oratores Venetias se contulerunt, ut de publicis scholis restituendis agerent. Probavit Senatus eorum consilium; datisque de re hac ad civitatis Gubernatores Ducalibus litteris, Sapientum Collegio mandavit, ut negotium susciperet, quæsitis undique Professoribus celeberrimis. Electi sunt ad curam hanc Doctores tres, Eq. Georgius Pisanus, Marinus de Georgiis, & Antonius Justinianus, quibus Senatus pridie non. sept. in Pata-

vinum Gymnaſium poteſtatem conceſſit, ut quidquid deformatum vel bello vel alia cauſſa eſſet, reformarent, unde *Reformatores* dicti; addiditque non multo poſt, ut de rebus omnibus ad ſcholaſtica negotia & rem litterariam pertinentibus referre ipſi poſſent. Ac primum quidem juſſerunt, utriuſque Univerſitatis Rectores eligi, ut in more fuerat ante bellum.



RE-

RECTORES JURISTARUM.

MDXVII. Juristarum moderator primus creatus est *Vegentius Æmilianus*, qui Prorectoris titulo contentus fuit. Ejus auspicio Professorum Rotulus XVII. kal. oct. confectus est, jubente Senatu, qui simul illud decreto adiecit, ut in posterum scholæ omnes, præter quasdam Ordinarias, Universitatis arbitrio ex veteri consuetudine Professoribus assignarentur. Archicancellarii locum, qui, mortuo Episcopo, vacabat, occupavit Marcus Cornelius Cardinalis, cui perpetua Patavinæ Ecclesiæ administratio commissa est: absentis autem vicem fungebatur Paullus Bonus, cognomento Zabarella, Argolicensis Episcopus, de quo Scardeonius l. 2. Class. 7. p. 153.

MDXVIII. Idem *Vegentius Æmilianus*, qui anno superiore pro Rectore egerat, kalendis sextil. ab Universitate rite convocata creatus est Rector. Pridie non. dec. edixit, ut Doctores omnes Ordinarii tum matutini, tum meridiani, tum vespertini differerent per horam integram, pœna in illos constituta, qui differentes turbarent. Tum illud quoque edixit ex Litteris Ducalibus, ut antagonistæ, vulgo concurrentes, statim post dissertationem ex edito loco habitam descenderent, atque inter se disputando certarent. Ausus est etiam, multis impellentibus, Universitati proponere ac suadere, quod tamen non pervicit, ut Professores vespertini vulgari sermone docerent ad usum popularium. Tanta erat ea tempestate vel in populo discendi cupiditas. Ex Actor. Cod. VII. p. 20. 39. 42.

MDXIX. *Nicolaus Doy* Veromanduus ex Gallia Rector electus ab Universitate est, litterisque Ducalibus confirmatus pridie non. sextil. datis. Hoc demum anno novarum ædium, quæ Bovis dicuntur, fundamenta jacta sunt. Rei memoriam ad posteros propagari placuit aureo numismate, Leonardo Lauretano Duci Venetiarum cuso, in cujus parte altera ipsa

 ædium

ædium descriptio apparet hoc titulo, BONARUM ARTIUM HOSPITIUM. MDXIX.

MDXX. *Jo. Petrus Michelinus* Januensis Rector. Ex litteris Ducal. xiv. kal. sept. Gymnasii ærarium tot annorum bello effusum, pecunia undique congesta, restitutum est.

MDXXI. *Ambrosius Podocatharus* Cyprius Rector. Ex litteris Ducal. pridie non. aug. quo mense statum firmumque erat, ut Rectores crearentur.

MDXXII. *Jo. Jacobus Robatus* Cremensis Rector. Ex litter. Ducal. In Codice Statutorum edit. 1550. p. 140. dicitur *Jacobus Antonius*.

MDXXIII. *Jo. Andreas Cacburius* Corcyrensis Rector. Ex litteris Ducal. Senatus v. id nov. scholas omnes Ordinarias tum Civilis Juris, tum Canonici, Philosophiæ ac Medicinæ ab Universitatis judicio & suffragiis exemit: anno autem sequenti iv. Kal. jul. Rhetoricam quoque Ordinariis conjunxit, ejusque Professores ab judicio suo dumtaxat pendere in posterum voluit. Sed postea utriusque Universitatis precibus indultum est, ne quid in re tam gravi novaretur.

MDXXIV. *M. Antonius Lanzonus* de Termino (al. *Lanzoinus Termulensis*) Neapolitanus Rector. Ex litteris Ducal. Sed pleraque egit ejus nomine *Jo. Petrus Zurla* Cremensis Prorector. Mortuo Episcopo Gymnasii Archicancellario, suffectus est in ejus locum *Franciscus Pisanus* Cardinalis, qui vetustam Cathedralis templi structuram Ecclesiæ Patavinæ dignitati parum respondere arbitratus, novi longe nobilioris ex Jacobi Sansovini descriptione fundamenta posuit; partemque occidentalem, ubi sacra Pontificalia fiunt, pecunia sua, suorumque Canonicorum, & aliorum Sacerdotum symbolis ædificari curavit. Post annos quatuor *Aloysio* fratris filio Patavinas infulas cessit, Administratoris titulo contentus.

MDXXV. *Nicolaus Prebonianus* Polonus Rector. Ex litter. Ducal.

MDXXVI. *Antonius Servadeus* Serravallensis Rector. Ex litter.

litter. Ducal. Eusebius Vergelensis civis Patavinus bonorum omnium cujuscunque rationis, quæ in sua potestate essent, Antoniæ filiæ usumfructum testamento legavit; heredes autem instituit Nicolaum, Hieronymum, & Lælium, Joannis filios nepotis sui ex fratre, hoc ordine, ut major natu Nicolaus, deinde filius ejus primogenitus, & ex eo nascituri primogeniti mares, legitimi & naturales, succederent; tum Hieronymus, dein Lælius cum suis; & post illos Bartholomæus Francisci fratris filius eadem ratione: postremo Antoniæ filios mares substituit; ita tamen, ut siqua Antoniæ controversia moveretur, Barisoni, & Bradioli, ex Elisabetha & Thaddæa sororibus suis nepotes, quandiu viverent, bona possiderent, post autem transmitterent ad Antoniæ filios, & nepotes, eadem lege & conditione sibi successuros.

Quibus omnibus deficientibus, postea voluit, ut per Collegium Jurisconsultorum eligatur civis aliquis Patavinus, nobilis & pauper, probæ conditionis & famæ, qui sit & habeatur substitutus cum omnibus honoribus, oneribus, & conditionibus expositis; eique perpetuo succedant primogeniti mares, legitimi & naturales: hoc amplius, utatur gentilitio Testatoris nomine, ejusque insignia ferat sola atque integra; ni pareat, per Collegium eligatur heres alius.

MDXXVII. *Antonius Lomellinus de Campo* Rhodiensis Rector. Ex Actor. Cod. XII.

MDXXVIII. Idem *Lomellinus* confirmatus. Ex libris Quæstoriis. IIIVirum magistratus Senatorius declaratus est, & in annos binos continuatus. Quia vero interdum eorum aliquis vel ad Collegium, vel ad magistratum alium transferebatur, Senatus jussit IV. Kal. sextil. MDLVII. ne quis eorum hac de caussa munus dimitteret, nisi exacto biennio.

MDXXIX. Cum *Lomellinus* kalendis aug. fuisset in annum tertium Rector confirmatus contra leges & mores, convocata rursus VIII. Kal. sept. per Civitatis Moderatores Universitate, electus est loco ejus *Jo. Baptista Madius* Brixianus.

nus. Ex Actor. Cod. x. p. 2. Anno sequenti IV. id. aug. Doctoris insignia in Cathedrali basilica publice accepit. Ex Actis Coll. p. 130.

MDXXX. *Simon Federicolus* Tridentinus Rector. Ex Actor. Cod. XII. p. 1. Mense decembri curavit, ut Civitatis Moderatores edicto compescerent juvenes quosdam, qui scholas turbabant, pœnis indictis. Anno sequenti pridie id. mart. litteras Ducales Universitati enunciavit de Statutis reficiendis, & scholastica toga ferenda. Ibidem p. 19.

Cum *Alciatus* Mediolanensis, qui Jurisprudentiam apud Biturigas profitebatur, novam inchoasset Juris interpretandi rationem, quæ erudita dicebatur, magnumque sui desiderium excitasset, Rector Universitatis nomine cum Magistratu egit, ut Patavium traheretur: nec ille sane videbatur alienus. Sed cum extracta res esset, minime invitis, qui veterem Accursii & Bartholi scholam retineri malebant, ad Ticinensem demigravit Academiam; eaque semel atque iterum intermissa belli caussa, Bononiæ ac Ferrariæ docuit. Inde quoque biennio post *Alciatum* deduci cupiebat Universitas, multaque movit, urgente etiam apud Ducem ipsum Venetiarum Petro Bembo: sed *Franciscus a Curte*, *Anntonius Rubeus*, & alii Universitatis Professores, contendentes Juris doctrinam, non verborum eruditionem Jurisprudentiæ studiosis tradendam esse, pervicere, ne advocaretur; cum præsertim inter Triumviros ipsos Senator esset, qui longius prospiciens, timere se ajebat, ne tota demum Juris legumque scientia paullatim ad philologiam declinaret.

MDXXXI. Kalendis aug. Idem *Federicolus* confirmatus. Ex Cod. XIV. p. 3. Eo petente, Rectoris stipendium, quod superioribus annis imminutum fuerat ad argenteos quinquagenos, rursus ad centenos decreto Senatus redactum est. Cum exisset Magistratu, repetundarum accusatus est, & absolutus.

MDXXXII. VIII. id aug. *Octavianus de Tremeto* Romanus. Ex Cod. XIV. & XV. Huic, & successoribus concessa decre-

decreto Senatus facultas eſt Laureæ gratis obtinendæ in utroque Jure. Attamen beneficium hoc ita quotannis in Collegii acta referri conſuevit, ut ipſius liberalitate indultum appareret: interdum etiam a Collegio retardatum eſt. Decennio poſt alterius quoque ſcholaris impenſæ, ad lauream obtinendam in Collegio faciendæ, Rectori condonari cœperunt, non tamen cuilibet ſine diſcrimine meritorum. Ex Actis Coll. p. 350. Lex veſtiaria renovata eſt, indicta ſuffragii pœna in ſcholarium Comitiis adverſus illos, qui veſtibus longis ex more Gymnaſtico non uterentur. Ex Cod. xv. p. 18. & 43. Egit cum Magiſtratu, ne Gymnaſii Campana, quam Juriſtarum eſſe contendebat, pro altera Univerſitate pulſaretur. Id vero nimis juvenile conſilium viſum eſt. Ibid. p. 47. 49. 54.

MDXXXIII. Kalendis aug. *Nicolaus Paladinus* ex Pharia inſula. Ex Cod. xvi. p. 2. Anno circumacto, cum inſignia poſuiſſet, damnatus eſt repetundarum, ut eſt in Cod. xvii. p. 37. Lis illi æſtimata eſt argenteis Venetis CCIX. & florenis XXX.

MDXXXIV. Kalend. aug. *Eq. Eraſmus a Minkuvicz* Germanus. Ex Cod. xvii. p. 10. Semel atque iterum ex mandato Univerſitatis Venetias profectus eſt ad poſtulandum rerum Criminalium Doctorem, itemque ad ſanciendam facultatem ferendi arma, ex veteri ſcholarium jure, quam facultatem Urbis Moderatores admittere nolebant. Legem tulit, vel potius renovavit, ut Juris Canonici, & Civilium Inſtitutionum Profeſſores poſt ſcholas matutinas inter ſe diſputando concurrerent, reliqui vero poſt veſpertinas: pœnaſque ſanxit in eos, qui hujuſmodi diſputationes ullo modo turbarent. Eo impellente, decrevit Univerſitas, ut Profeſſores ad celebranda bacchanalia florenos quotannis centenos darent, collata pro ſtipendiorum ratione ſymbola. Ibid. p. 68.

MDXXXV. iii. non. aug. *Joannes Jovinus* Servianus Jadrenſis. Ex vet. Statut. l. 3. c. 7. Anno ſuperiore electus ab

ab Univerſitate fuerat ad Authentica in Gymnaſio interpretanda. Ex Cod. XVII. p. 48.

MDXXXVI. pridie non. aug. *Hieronymus de S. Cæcilia* Hiſpanus ex Balearibus. Ex Cod. XVIII. p. 46. Pleraque ejus loco egit *Antonius Balduinus* Tridentinus Prorector. Hoc anno Cornelius Gaſtaldus Feltrienſis ex primoribus civitatis, cum teſtamentum idibus aug. feciſſet, partem ædium ſuarum, quas Patavii habebat in D. Antonii platea, legavit ad perpetuum hoſpitium trium adoleſcentium, quorum duo Juriſprudentiæ in Gymnaſio operam darent, tertius autem Medicæ facultati. His frumenti ſextarios Patavinos XLVIII. ex bonis ſuis quotannis præberi voluit, vini cados XXXII. argenteos Venetos XXIV. eaque omnia æquis portionibus dividi ſingulis per annos ſeptenos. Neminem porro admitti juſſit, quin Feltriæ natus eſſet: niſi quis peteret ex ſuis conſanguineis etiam Bellunenſibus, aut Coneglanenſibus, quos perpetuo ceteris præferri mandavit. Hinc ad Altinam familiam beneficium cum manaſſet, vulgo increbuit, Altinum aliquem Collegii auctorem fuiſſe. Anno MDCXIX. ſcribente Antonio Roſato Gymnaſii Bidello, Collegium extabat, ſinguliſque alumnis annua præbebantur, argentei quini, frumenti ſextarii XVI. vini cadi X. Hoc tempore vix detegi locus potuit, atque interceptor excludi: jamque, hereditatis bonis male diſtractis & abſumptis, nihil amplius ſperandum videtur.

MDXXXVII. Kalendis aug. *Lucius Urſonus*, al. *de Urſonibus*, Brixianus. Ex Cod. XIX. p. 3.

MDXXXVIII. III. non. aug. *Stephanus Bochart* Gallus electus per Franciſcum Piſanum perpetuum Eccleſiæ Patavinæ Adminiſtratorem, ut dicitur in Actis Cod. XX. p. 6. per duos civitatis Moderatores, & per Rectorem anni ſuperioris, quod Comitia Univerſitatis variaſſent. Poſtmodum in patriam redeunti ſuffectus eſt *Theodericus Kauff* Germanus Prorector V. non. oct. ut ibid. p. 39.

MDXXXIX.

MDXXXIX. kalendis aug. *Jo. Petrus Cæsareus* Calaber ex Nicotera, Eques Hierosolymitanus. Ex Cod. xxi. p. 4. Ex Triumvirum mandato scholares, qui se ad docendum idoneos crederent, & sui rationem in Professorum electione haberi vellent, publice disputare jussit, & ex formula theses defendere. Professoribus autem ipsis edixit, ut omnino *invicem concurrerent*, *disputarent*, *ac circulos facerent*, ut est ibid. p. 25. Gymnasii ædes a pensione, quæ fundi domino solvebatur, liberavit. Sanxit edicto, nequid Professores ludorum nomine scholaribus darent, pœna illis indicta, qui Magistris hac de caussa pileolos auferrent, quod interdum fieri solebat.

MDXL. Kalendis aug. *Petrus Pappus* Tolosanus. Ex Cod. xxii. p. *6.* Ex Universitatis mandato rursus petiit, & obtinuit, ut rerum Criminalium schola institueretur; ejusque gratia Gymnasii campana, stata hora, pulsaretur.

MDXLI. Kalendis aug. *Eq. Jacobus Cycuta* Veglensis. Ex Cod. xxiii. p. 3. Cavit edicto v. id. dec. scholarum valvis affixo, nequis Professor Ordinarius encyclicas disputationes omitteret, comminatus non parentibus pœnam florenorum XXV. Idem edixerat mense superiore ex Triumvirum mandato Professoribus tam Ordinariis, quam Extraordinariis, *sub pœnis irremissibiliter auferendis*. Anno sequenti idibus aug. Laurea publice ornari voluit in Cathedrali basilica: sed mense proximo repetundarum a Syndicis damnatus est, eique lis æstimata argenteis XLIX. Cum ipse non doceret, ejus loco Civiles Institutiones tradidit *Franciscus Fumatus* Dalmata Prorector.

MDXLII. pridie non. aug. *Ludovicus Aquanæus Parolecius* Gallus. Ex Cod. xxiv. p. 2. Hic quoque viribus omnibus contendit Universitatis nomine, ut Alciatus, cujus fama in dies magis crescebat, ad Patavinum Gymnasium traheretur conditione quavis, ut est ibidem p. 12. sed nihil obtinuit, acriter obsistentibus, qui Alciati collegæ futu-

ri erant, & cum eo disputaturi. Anno sequenti IV. id. aug. Doctoris insignia publice accepit in Cathedrali basilica.

MDXLIII. kalendis aug. *Hermes Ferrerius* Pedemontanus. Ex Cod. xxv. p. 2. Rotulus de more confirmatus est, sed nova addita sanctione, ut scholæ omnes, quæ intra annum ante novum Rotulum vacarent, cujuscunque ordinis essent, a Senatu, Triumviris auctoribus, distribuerentur: quod ægre tulit Universitas, iterumque ac sæpius usque ad annum sæculi hujus sexagesimum contendit, ut revocaretur. Ex Cod. xxv. p. 14. & 18. Anno sequenti IV. id. aug. Lauream Juris utriusque publice accepit.

MDXLIV. kalendis aug. *Comes Georgius Palæocappus* Crerensis. Ex Actis, & Codice Statutorum. Cum magna in scholis solitudo esset, Professores apud Magistratum accusavit, desidiamque objecit. Quamobrem Senatus decrevit, ut siquis Professor muneri suo deesset, singulis diebus notaretur, amissurus pro rata temporis stipendii partem. Ex Senatusc. XI. kal. dec. MDXLIV. & III. kal. maj. MDXLV. Ejus opera & studio Universitatis Statuta refecta sunt, & Principis decreto confirmata: quo decreto & ipsi *Palæocappo*, & Rectoribus in posterum omnibus munere hoc laudabiliter functis concessum est, ut cum ad Lauream accederent, simul Equestri dignitate ornarentur, remissis ludis, quos dare consueverant, jentaculis, & conviviis. Hoc Rectore scholæ quædam minus utiles sublatæ sunt, suffectis aliis; quæ in posterum, certo constituto stipendio, ad annos duos ab Universitate viris idoneis concederentur, ut est in decreto Senatus XIII. kal. sextil. MDXLV. Ceterum ut Rector quilibet suo jure in eligendis Professoribus uti posset, voluit Senatus, ut hujus ordinis Professores dividerentur in partes duas, quarum una uno, altera altero eligeretur anno: electio porro coram Civitatis Moderatoribus fieret. Illud quoque constitutum fuerat annuæ ambitionis tædio, ut Rector crearetur ad biennium; sed, petente Universitate, vetus lex

&

& consuetudo de annali Rectoris potestate confirmata est.
Ad nimiam armorum licentiam coercendam VI. kal. nov. scholaris Germanus, Cancellarii Cæsarei filius, ante solis ortum fune tortus est, quod nocte superiore captus cum armis fuisset. Ex Cod. XXVI. p. 27. & 31.

MDXLV. kalendis aug. *Ferdinandus de Abdua* Mediolanensis. Ex Act. Cod. XXVII. p. 7. Anno sequenti ineunte, ut est ibid. p. 36. Venetias se contulit duabus cymbis apparatissimis, magna comitante caterva Doctorum, & scholarium, ut Duci recens creato Francisco Donato, olim Gymnasii alumno, Universitatis gratulationes, & officia perferret. Oratio ejus edita est Mediolani anno MDLVIII.

MDXLVI. kal. aug. Idem *Ferdinandus de Abdua* Eques confirmatus est. Ex Cod. XXXVIII. p. 2. Mense junio anni sequentis ludos Civitati dedit cursu equorum, & quidem geminato, veredorum, & asturcorum, tum asellorum, & meretricum, ex ea pecunia, quæ caponum festivitatibus assignata dicebatur. Ex Act. ibid. p. 38. & 40. ex quo loco apparet, in ludos tam magnificos pro more illorum temporum impensos fuisse florenos trigintaquinque, quæ summa nunc vix primo præmio satis esset. Mense julio anni sequentis vetitum illi, & Universitati est, ne Professorum Rotulum conderet, neve scholam ullam suis suffragiis permitteret, quod inter prehensandum scholares quidam Galli ab Julio Barbissono, & Marcello Appulo, orta seditione, interfecti fuissent. ibid. & Cod. XXIX. p. 13. Valuit ingenio præsertim in Oratoria, & Poetica arte; & inter litteratos viros Mediolanenses recensetur in Bibliotheca Argelati. Vide ibi ejus opera.

MDXLVII. Kal. aug. *Stephanus de Terraccia* Tolosanus. Ex Cod. XXIX. p. 2. Jus condendi Rotuli Universitati restituendum curavit. Sed sub ipsum studiorum initium in patriam rediit. Suffectus est in ejus locum Prorector *Joannes Kalempeck* Germanus; qui mense novembri ad tollendas lites cum Artium Rectore de loci dignitate, Rector ipse quoque

 decla-

declaratus est. Anno sequenti legem de sedilium distinctione tulit, ut sua Præsulum ordini jura servaret, pro magna, quæ tunc erat, scholarium frequentia. Ibid. p. 43.

MDXLVIII. Kal. aug. *Jo. Jacobus Sulfus* Pedemontanus. Ex Act. Cod. xxx. p. 2. Jussit vi. id. nov. Professores omnes post festa Natalia, itemque post Paschalia quæstionem aliquam veteri more publice propugnare, per scholas decem ante diebus enunciatam. Id qui non faceret, libellis Venetis xxv. mulctari voluit. Eodem decreto legem de veste scholarium ad talos demissa, additis pœnis, renovavit. Ibid. p. 29. Anno sequenti xvi. kal. sept. doctoris insignia publice accepit.

MDXLIX. Kal. aug. *Fridericus Dinus a Leyningen* Germanus. Ex Cod. xxxi. p. 4. Hic primus Statuta per Tiberium Decianum in ordinem redacta, typis edi voluit. Edita sunt autem Venetiis per Joannem Patavinum MDL.

MDL. Kal. aug. *Paullus Michaelius* Vicetinus. Ex Cod. xxxiv. p. 1.

MDLI. Kal. aug. *Bernardinus Zucha* Bruxellensis. Ibid. p. 3. Eo petente, vectigal ex vini importatione scholaribus condonatum est; cujus rei gratia ludi magnifici in Bacchi honorem celebrati sunt.

MDLII. Kal. Aug. *Jo. Maria Labellus* Forojuliensis. Ex Cod. xxxv. p. 7. Hoc anno vetitum est, ne Rectoribus magistratu abeuntibus vexillum offerretur; quod antea fieri consueverat, argumento Justitiæ recte administratæ, & custoditæ: concessum tamen illis, vel potius novo decreto confirmatum, ut cum examinarentur, & Lauream acciperent, nihil solverent, præter baculos, & chirothecas singulis Doctoribus distribuendas. Anno sequenti xvi. kal. sextil. Rector Universitatis nomine Venetias se contulit duabus cymbis apparatissimis, comitatus a Doctoribus & Consiliariis omnibus, ductis etiam ad splendorem & magnificentiam servis publicis, ut novo Duci M. Antonio Trivisano de more gratularentur. Cum rediisset, initis rationibus ad assem, ut est in Act. p.

55.

55. numeratæ sunt Silvestro Bidello libellæ quinquaginta novem, & solidi octo: idque notare placuit propter ingentem temporum mutationem. Cum enim postea istiusmodi expensæ præter modum auctæ essent, gratulationes & officia inter vana rejecta sunt. Rectoris famulus anno sequenti prid. non. jan. cum armis deprehensus in vincula ductus est. ibid. p. 40.

MDLIII. Kal. aug. *Ludovicus Lagnoverus*, al. *Delanguenaver*, Augustanus. Ex Cod. XXXVI. p. 3. Quamvis neque Patavini Cives, neque Veneti in scholasticis Comitiis jus haberent, tamen utrisque Rector edixit XII. kal. dec. ne quis eorum ad Lauream petendam accederet, aut ullo scholastico jure uteretur, nisi ejus nomen in scholarium matricula descriptum esset. Anno sequenti cum Civitatis Præsides ex Triumvirum mandato vetuissent, ne Rector scholam secundariam matutinam Textus, Glossæ, & Bartholi suis comitiis permitteret, XV. kal. sextil. nuncios hac de re cum litteris ad Senatum misit, obtinuitque pristini juris confirmationem.

MDLIV. VI. id. aug. *Bartholomæus Griffus* Salodiensis. Ex Cod. XXXVII. p. 4. Huic mandarunt Triumviri litterarii, ne conventus haberi sineret diebus, quibus in Gymnasio docetur. Docere autem unumquemque Professorem jusserunt per horas duas continuas. Ibid. p. 37. Siquis breviores haberet acroases, multo vero magis si Gymnasio abstineret, pro rata parte salario mulctabatur: quod etiam anno proximo in gravissima pestis suspicione, obstrepente per scholas omnes juventute, religiose servatum est. Ex Bidellorum syngraphis inter tabulas Quæstorias extantibus.

MDLV. III. non. aug. *Georgius Chanler* Nurimbergensis. Ex Cod. XXXVIII. p. 3. Epidemica lue in pauperes grassante, hujus anni & sequentis pecuniam ludis destinatam publicæ salutis curatoribus assignavit. Ibid. p. 5. & 20. Mense oct. Venetias se contulit, ut una cum Rotulo hujus anni Universitatis jura & immunitates novo Senatus decreto confirmarentur. Illud quoque firmari magis magisque curavit, ut Triumvi-

umvi-

umviri Litterarii in magiſtratu eſſent ad biennium. Anno ſequenti III. kal. Febr. decrevit Univerſitas, ne quis docere publice poſſet, niſi in Academia aliqua rite recteque probatus eſſet, excluſis Doctoribus illis, qui a Comitibus Palatinis creari ſolebant. Quod ſtatim Magiſtratus confirmavit.

MDLVI. Kal. aug. *Bernardinus Fornagerius* Rhodiginus Ex Cod. XXXIX. p. 4. Cum ſchola ſecunda Textus, Gloſſæ, & Bartholi, tum matutina, tum pomeridiana ſublata fuiſſet, primum quidem nuncios duos hac de re ad Magiſtratum miſit, deinde ipſe quoque Venetias profectus eſt, obtinuitque, ut utraque reſtitueretur. Ex eodem Cod. p. 13.

MDLVII. Kal. aug. *Antonius Abrius* Luſitanus Deceſſoris ſui carcere detenti defenſionem, jubente Univerſitate, ſuſcepit; ſed abrogato per Urbis Præſides Univerſitatis decreto, indignatus abiit. Ex Cod. XL. p. 9. & 12. Idibus jan. anni ſequentis ſuffectus eſt *Auguſtinus Mutius* Bergomas Artium Doctor. Ibid. p. 18. Conſenſu & expenſis Univerſitatis Venetias profectus eſt cum Syndico, quatuor Conſiliariis, & duobus Bidellis, ad agendas Principi gratias de ſui Magiſtratus confirmatione; ibique fuit cum tota caterva per dies ſex, ut officiis omnibus pro dignitate ſatisfaceret. Ib. p. 23. Sub anni litterarii finem nongentas edidit theſes, quibus Juriſprudentiam omnem complexus eſt, magnamque Philoſophiæ, Theologiæ, ac Matheſeos partem. Has autem in Cathedrali baſilica per dies ſex continuos publice propugnavit, ingenti totius civitatis admiratione. Librum dicavit Laurentio Priolo Venetiarum Duci, a quo D. Marci Eques creatus eſt, ac torque donatus.

MDLVIII. Kal. aug. *Jo. Baptiſta Florius* Utinenſis, Rector magno ſcholarium conſenſu creatus eſt, humeriſque ſuppoſitis, ex Prætorio ad ſuas ædes delatus. Ex Cod. XLI. p. 7. Menſe aprili anni ſequentis morbo ſublatus eſt. Juſta illi magnifice facta, ducentibus funus Urbis Prætore cum Curia tota, Civitatis Decurionibus, Juriſconſultorum Collegio, Artium

Recto-

Rectore, Consiliariis, & scholaribus omnibus lugubri veste sordidatis. Ejus locum occupavit trimestri curriculo *Jo. Beltramenus de Casatis* Acelinus, ut est in Cod. XLI. p. 7. & 32. Hic autem VI. id. aug. MDLX. examinatus est in Jure, & probatus *per gratiam*, ut scribit Gabriel Sansonus in diario MS. Equestri quoque titulo, ut erat in more, a Principe ornatus est anno sequenti. Eo Rectore Universitas V. id jul. concessit Monti pietatis recens erecto, ad pauperum subsidium, pecuniam illam, quæ caponum titulo collecta publicis ludis impendi solebat. Ex Cod. XLI. p. 38.

MDLIX. Kal. aug. *Georgius Palfus* Ungarus. Ex Cod. XLII. p. 4. Anno sequenti prid. kal. apr. symbolam scutorum decem ex ære Universitatis contulit ad Montem Pietatis constituendum. Rursus autem XII. kal. maj. & ipse aureos quinque ex ærario Gymnastico numerari curavit, & Consiliarius quisque libellam de suo dedit. Venetias profectus ex decreto Universitatis VIII. id. apr. rogavit Senatum, ut pecuniam a Romano Pontifice per suos Oratores impetraret, quæ Patavino Gymnasio, ipsi quoque Ecclesiæ admodum utili, subsidio esset. Ibid. p. 29.

MDLX. Kal. aug. *Hector Tirabuscus* Brixianus Asulæ natus. Ex Cod. XLIII. p. 3. Cum turbæ nimis acres, ac periculosæ in eligendis Professoribus ortæ essent, Senatus omnem prorsus hujus generis auctoritatem scholaribus ademit, scholasque minores claudi jussit, quæ ab iis tenebantur, præter Tertianas Patavinorum. Ceterum ad sedandas discordias, & Juventutis animos inter se conciliandos Bernardinus Naugerius Eques, Civitatis Prætor, Nationum Procuratores accivit, pacemque composuit. Idibus mart. anni sequentis cum scholares aliqui a Griffone nepote Astoris Baleonii, ejusque militibus vulnerati fuissent, factum est Universitatis decretum in hæc verba: *Ut omnes Consiliarii cum Magnifico Rectore se conferant ad Clarissimum Præfectum, & deinde omnes scholares totius Gymnasii suis expensis Venetias petant ad Senatum &* *Decem-*

Decemviros pro hujusmodi insulto facto per milites in scholares. Ibid. p. 17.

MDLXI. IV. Non. aug. *Petrus Macciolenus* Bergomas. Ex Cod. XLIV. p. 3. Egit cum Magistratu IV. non. sept. ne Civiles acroases in Canonicarum horas inciderent, ut Juris studiosi ex utrisque proficere possent. Illud etiam petiit Universitatis nomine, ne scholæ Textus, Glossæ, & Bartholi tollerentur; ut juniores hujusmodi institutionibus imbuti, tamquam per gradus ad sublimiora transirent. Ibid. p. 5. Hoc ipso anno actum de Statutis reficiendis, ejusque rei cura *Jacobo Philippo Portio*, *Marco Mantuæ*, *Hieronymo Torniello*, & *Tiberio Deciano* ex litteris Ducalibus commissa est. His addidit Rector Consiliarios duos, qui negotium urgerent. Illud vero in primis statuendum curavit ex Universitatis decreto, ut Doctores ordinarii statim a die festo D. Lucæ scholam quisque suam aperirent, & usque ad kal. jul. assidue docerent. *Pro conservatione autem hujus ordinis* (ut est ibid. p. 9.) *qualibet Natio eligat caput suum, qui totis viribus, optimisque persuasionibus & blanditiis alliciant scholares, ne perturbent citius lectiones*.

MDLXII. Kal. aug. Idem *Macciolenus* confirmatus. Ex Cod. XLIV. p. 42.

MDLXIII. Kal. aug. *Joannes Sarius Zamoscius* Polonus, Stanislai Belzensis Provinciæ Præfecti filius, qui postea fuit Magnus Poloniæ Cancellarius. Ex Cod. XLV. p. 3. Eo curante editio altera Statutorum typis Patavinis facta est per Gratiosum Percacinum MDLXIV. Cum prima Juris Civilis schola pomeridiana, mortuo *Julio Salerno*, vacasset, Triumviris commendavit Universitatis nomine *Camillum Plautium*, *Tobiam Nonium*, *Cysium Campanum*, *Antonium Javarinam*, *Raynaldum Rodulphum*, *Marcum Antonium Eugenium*, qui in publicis Gymnasiis magna doctrinæ fama florebant. Nullus ex his accitus est: attamen memorare eos placuit, ut intelligatur, quam multi præstantes viri ea tempestate in Italia essent,

essent, qui scholas hujus Universitatis principes occupare posse viderentur.

MDLXIV. kal. aug. *Petrus Pintus* Neapolitanus. Ex Cod. XLVI. p. 4. Quo die electus est, inita scholarium ex quavis Natione summa, Germani qui Jurisprudentiæ operam darent, inventi sunt ducenti. Prid. non. oct. Procuratorem Universitatis Venetiis constituit *Petrum Macciolenum* Juris utriusque Doctorem, qui superioribus annis Rector fuerat, cum ad alia negotia, tum præsertim ad eos judicio persequendos, qui Aloysium Pergum scholarem Mediolanensem in Gymnasio interfecerant; qua de caussa ipse quoque Venetias profectus est cum duobus Consiliariis, Syndico, Vicario, & Bidellis duobus. Mense Februario anni sequentis scholares tres cum armis deprehensi, frustra ipso reclamante, & Statuta objiciente, publice torti sunt. Ibid. p. 31. Postridie id. mart. ex Universitatis decreto scripsit ad Maximilianum Imperatorem pro Paullo Varadiensi, qui, cum ad Patavinam Academiam veniret, Brisacii captus fuerat, & in vincula conjectus. Eidem Imperatori litteras dedit Germanæ Nationis nomine XII. kal. jun. quibus rogavit, ut Imperatoria apud Senatum Venetum interposita auctoritate, liceret transalpinis hominibus scholasticos Gradus, & Lauream capere sine fidei Catholicæ professione, quam Romanus Pontifex Pius IV. recenti diplomate ab omnibus requirebat. Ibid. p. 37. Refectis hoc anno Statutis, scholæ omnes redactæ sunt ad horam unam.

MDLXV. kal. aug. *Balthassar Fridericus ab Ossa*, Saxo ex Misnia. Ex Cod. XLVII. p. 2. Anno sequenti pridie kalend. majas cum per urbem noctu vagaretur armatus, in vincula conjectus est. Sed Oratores quatuor ab Universitate Venetias adlegati impetrarunt, ut liberaretur. Ceterum munus splendide sustinuit, expensis quatuordecim aureorum millibus, ut est ibidem p. 35. Ad hunc annum pertinet Collegium Caucum ex testamento Jacobi Cauci, Canonici pri-

mum Patavini, postea vero Archiepiscopi Corcyrensis. Quina legavit aureorum millia, ut ex eorum perpetuo fructu ædes & commoda pararentur ad recte educandos adolescentes IV. vel plures, si fieri commode posset, qui bonis artibus operam darent. Voluit esse Venetos, & quidem ex domo sua, vel ad domum suam sanguine, aut affinitate pertinentes. Ex his autem eligi placuit pauperiores. Deficientibus consanguineis, & affinibus, qualescunque admitti jussit primum ex Veneta civitate, deinde ex tota Veneta ditione, pro eligentium judicio. Huic rei præfecit Patavinum Canonicorum Capitulum, mandavitque apud illud totius administrationis arbitria esse. Initio sæculi superioris Collegium adhuc manebat, in eoque VI. erant alumni, quibus annui argentei quadrageni præbebantur. Nunc, amissa pecunia, contabuit, ædesque vacant in Vinealium vico ad hospitii meritorii usum.

MDLXVI. kalendis aug. Cum deessent petitores, *Joanni ab Hoboken* Antuerpiensi Syndico collata Rectoris potestas est. Ex Cod. XLVIII. p. 4. Decrevit autem Universitas, ut acta quælibet in posterum, deficiente Rectore & Prorectore, Syndici nomine signarentur. Idem porro *Hoboken* IX. kal. novemb. Prorector electus est: pridie autem non. ad tollendas cum Rectore Artium lites de loci prærogativa, Rectoris titulum & insignia cepit, ut est ibid. p. 8. & seq.

Cum *Cephalus*, & *Pancirolus*, Juris Civilis Professores, antagonistæ essent, nec tamen inter se disputando certarent, suborta de modo controversia, XV. kal. dec. edixit utrique Universitatis nomine, ut omnino disputarent, mulctam comminatus, ni parerent sine mora.

MDLXVII. III. non. aug. *Carolus Herlinus* Belga ex Atrebatibus. Ex Cod. XLIX. p. 3. Ex Decemvirum decreto non. april. anni sequentis edito, jussi sunt Professores, & Magistri omnes, non hujus modo Gymnasii, sed totius Veneti Dominii, ne ipsis quidem elementariis exceptis, apud Episcopum quisque suum religionis, vitæ, morumque rationem redde-

reddere; nec fine ejus fyngrapha fcholas habere, pœna carceris & exilii non parentibus edicta. *Herlinus* porro omnes muneris fui numeros explevit; vixque infignia depofuit, cum ejus adminiftrationem Univerfitas probavit, infcriptione honorificentiffima in Gymnafio pofita, quam refert Tomafinus l. 5. p. 491.

MDLXVIII. Cum repertus nemo effet, qui Rectoris titulum, vel Prorectoris recipere vellet, *Julius Triffinus* Vicetinus Subftitutus poteftate Rectoris creatus eft IV. non. fextil. Ex Cod. L. p. 4. Litteras ad Magiftratum dedit VI. id. octobr. quibus querebatur, Profefforum numerum, qui Civiles Inftitutiones traderent, pro ftudentium multitudine exiguum effe. Paullo poft Profefforibus edixit Univerfitatis nomine, ne fcholas eluderent, fancita in eos pœna, qui tardiores effent. Ceterum ne Rectoris munus, contentione tanta fuperioribus annis expetitum, nunc demum obfolefceret, Senatus omnibus illis, qui illud fuftinerent, novo decreto jus confirmavit proponendi focium, qui gratis a Collegio examinaretur, & Lauream acciperet. Ex lib. I. Decret. p. 250. Menfe Januario anni fequentis creatus eft Rector *Jo. Dominicus de Meldis* Vicetinus. Ex actis Cod. L. p. 38. Extant Litteræ Triumvirales prid. idus April. datæ, ex quibus colligitur, quarto die vacari fuperioribus annis non confueviffe, fi quod feftum effet in hebdomada, quocumque die effet.

MDLXIX. kal. aug. *Philippus Mainardus* Forojulienfis ex Cadubrio. Ex Cod. LI. p. 2. Menfe martio anni fequentis cum objiffet, ejus vices fine titulo ftatim cepit *Octavianus Luifinus*, donec prid. non. apr. fuffectus eft *Joannes Cladius* Cretenfis Prorector, ut eft ibidem p. 29. Eo referente, decrevit Univerfitas XV. kal. fextil. ne in pofterum deficiente Rectore, & Prorectore, *Subftitutus* eligeretur, fed Syndicus Univerfitatem regeret poteftate Rectoris. Attamen anno MDLXXXVII. rurfus electus eft *Subftitutus*, fed fine emolumentis.

MDLXX. kal. aug. Idem *Joannes Cladius* Rector creatus est. Ex Cod. LI. p. 47.

MDLXXI. Idem *Cladius* Rector confirmatus. Ibid. p. 67. Ut Gymnasii frequentiæ consuleretur, rursus vetuit Senatus, ne juventus Venetæ ditionis alibi, quam Patavii studiis operam daret, titulosque Academicos peteret. Ludovicus Priolus D. Marci Procurator hoc anno Patavii Collegium instituit, in quo essent pueri VI. litterarum & bonarum artium studiosi, assignatis in capita, donec studiorum cursum absolverent, argenteis annuis centenis. Horum quatuor esse jussit ex familia sua, siquidem reperirentur idonei; sin minus, ex liberis & nepotibus Constantini Prioli senioris; reliquos autem duos ex tota Priolorum gente. Rei curandæ præfecit Arcarium *Procuratiæ de ultra*, & Præsidem Sodalitii S. Rochi. His mandavit, ut vivente uxore, domum in hac Urbe conducerent, ubi juventus hæc commode ageret; ea vero defuncta, ædes suas in vico S. Crucis cum apparatu omni ad Collegii usum verterent. Et partem quidem ædium superiorem quatuor, quos ante dixi, tenere voluit, in inferiore alios duos habitare jussit. Hujus rei gratia certam pecuniæ summam reliquit partim collocatam, partim collocandam. Sed cito beneficium deficere cœpit. Anno siquidem MDXCVI. tribus tantum alumnis satis fuit; quinquennio autem post domus quoque ipsa locari debuit, ut ex locationis fructu, qui fuit argenteorum CXXX. annua illis præberentur. Postremos invenio, qui legato usi sunt, Aloysium Alexandri, & Marcum Laurentii filios anno MDCXC. Hoc tempore nihil extat nisi domus pulcherrime ædificata, & Collegii nomen.

MDLXXII. kalendis aug. *Equ. Bartholomæus Bozza* Cretensis, quamvis absens, Rector electus est, cum *Pompejus Brigida*, in quem Universitas convenerat, honorem recusasset. Ex Cod. LII. p. 3. Gymnasium totum relatam ad Echinadas de Turcis victoriam lætitia summa ludisque celebravit: qua de re Humanitatis Professor Riccobonus orationem

habuit

habuit luculentissimam. Cum autem paullo post Pius V. Pontifex Max. qui sæculo nostro inter Sanctos relatus est, objisset, idem Riccobonus in Cathedrali basilica de ejus laudibus dixit, accitus ab Episcopo Nicolao Ormaneto Archicancellarii jure. Rector XVII. kal. april. anni sequentis litteris ad Magistratum datis *Laurentium Castellanum* Patavinum commendavit Universitatis nomine, ut ad tertiam Juris Civilis scholam matutinam ab Institutionibus transferretur.

Quia magno per id tempus litterarum studia in pretio erant, non defuere ex proximis civitatibus, qui ad augendam Gymnasii frequentiam, pro suis fortunis & patriæ amore, aliquid conferrent. Hortensius de Fabris, Hieronymi filius, civis Tarvisianus, omnia bona sua patrio Jurisconsultorum Collegio supremis tabulis reliquit & commendavit, ut eorum fructum, deducto vectigali, per decennium certis puellis collocandis impenderent, quemadmodum in tabulis ipsis prescriptum est; tum postea Scholares binos iisdem bonis alerent, alterum ex civibus, ex ordine Doctorum alterum, qui in Patavino Gymnasio Jurisconsultos audirent, non tamen ultra quinquennium; quo elapso, ad puellas reverti beneficium jussit per annos X. ordine eodem; atque ita deinceps in perpetuum.

Amplius aliquid & voluit, & potuit M. Antonius Amuleus Cardinalis, qui testamento suo Collegium parari jussit adolescentibus Venetis, Reipublicæ capessendæ natis, qui litteras primum ediscerent, deinde Jurisprudentiæ se totos darent per annos singuli quinos. Neminem autem admitti voluit, qui vel minor anno sextodecimo, vel vicesimo major esset. Hanc in rem certa quædam bona reliquit, quorum cura & administratio penes heredes esset, ut ex his bonis argenteos annuos quinquagenos, vel sexagenos singulis præberent. Alumnos porro eligi placuit primum ex familia sua, deinde ex Michaeliis, tum ex Pensauris, Grittis, Donatis, Corneliis, Bernardis, Maripetris, Contarenis. Eundem voluit

esse

esse ordinem eorum, qui eligerent, ut arbitrium hoc ad posteros suos pertineret, quamdiu staret gens Amulea; ea deficiente, ad Michaeliam deveniret, atque ita deinceps ad alias, ut quæque deficeret. Conditum ingenti magnificentia Collegium est in prato Vallis. Sed cito prolabi cœpit, quamvis administrationis ratio Urbis Præfecto quotannis redderetur testatoris jussu & providentia. Anno MDCXXIV. rei litterariæ Triumviri ejus statum reparare conati sunt ex Senatusconsulto III. non. aug. coactis testatoris heredibus undena argenteorum millia Collegio reddere, quæ ex ejus bonis percepta in rem suam verterant. Ex eodem Senatusconsulto jusserunt, Collegii hujus beneficium ad alias ex ordine Patriciorum familias transferri, quoties ex illis petitores desint, quas testator designavit. Ad extremum Sommaschenses Patres ad juventutem hanc regendam acciti, traxere in ædes suas anno MDCXCIV. Ac tum quidem alumni XII. erant pro modo & ratione redituum: nunc IX. sunt, citoque erit pluribus locus.

MDLXXIII. kal. aug. *Pompejus Brigida* Capuanus Prorector. Ex Cod. LIII. p. 2. Statim Professores excitavit ad encyclicas disputationes, quas intermiserant, resumendas. Hac de re Bidellum Generalem ad Triumviros misit, cui illud quoque in mandatis dedit, ut quæreret, num Doctoribus secundariis contra primarios argumentantibus, primarii ipsi ex Cathedra respondere possent, an descendere honoris gratia deberent. *Animosorum* Academia pro more sæculi in ædibus Ascanii Martinenghi Brixiani, Patavii studiorum gratia commorantis, hoc anno instituta est, cui nomen dedere Professores ejus ætatis celeberrimi, aliique litterarum, & Artium studiosi, quos inter Antonius Querengus Canonicus Patavinus. Propositum illis fuit non carminibus ludere, quæ fere solet esse talium cœtuum cura, sed gravissimas quasque disciplinas suis exercitationibus complecti. Extant Orationes duæ ab *Antonio Riccobono* Academiæ nomine habitæ; nihilque ad initia ejus celebranda desideratum est. Sed paullo post intercidit, sur-

ſurgentibus aliis *Elevatorum*, *Occultorum*, *Æthereorum*, quorum jam vix nomina extant.

MDLXXIV. kal. aug. *Joſeph Spinellus* Caſtrofrancanus Rector. Ex Cod. LIV. p. 3. Eo referente VII. kal. ſept. decrevit Univerſitas, ut quoties publica de cauſſa eumdum Venetias eſſet, Rectori, quocumque iret comitatu, argentei non plus triginta ex ærario darentur, Prorectori viginti. Jam enim hoc genus expenſarum ab exiguis initiis ad ſummas venerat non ferendas. Ibid. p. 4. Anno ſequenti cum ſcholares duo occiſi fuiſſent, ut eſt ibidem p. 15. ex iis plus centum Italici generis VII. kal. april. agmine facto, ſublatiſque ſignis, Ferrariam conclamarunt. Jamque egreſſi urbe erant, cum eos Rector blandis verbis, & pollicitationibus revocavit.

MDLXXV. kal. aug. *Joannes Palæocappa* Cretenſis, Georgii Eq. & Com. Palatini Filius Rector electus eſt a non juratis: quod poſtea in morem venit. Ex Cod. LV. p. 3. Ad Univerſitatis expenſas cum ærarium non ſufficeret, inſignia argentea ſceptro Gymnaſtico impoſita Bidellus Generalis pignori dedit Ibid. p. 14.

MDLXXVI. v. non. jul. *Bernardinus Nigrinus* Lancianenſis, tametſi jam peſtis graſſaretur, atque in ſcholis ſolitudo eſſet, electus eſt Rector. Ex Cod. LVI. p. 5. Profeſſoribus, quamvis vacarent, ſoluta ſtipendia ſunt, ut refert Riccobonus l. 5. c. v.

MDLXXVII. kal. aug. *Nigrinus* Rector confirmatus eſt, cum jam ſcholæ ſub anni initium reſtitutæ fuiſſent, eaſque ſcholares amplius ducenti frequentarent, inter quos Archiepiſcopus & S. R. I. Elector Colonienſis, qui Patavii cum eſſet, Germanorum matriculæ nomen ſuum inſeri voluit. Ex Cod. LVI. p. 28. menſe majo anni ſequentis Rector Venetias profectus eſt, ut Duci Sebaſtiano Venerio recens electo Univerſitatis nomine gratularetur. Ad itineris autem expenſas Sceptrum argenteum pignori datum eſt. Ibid. p. 51. I-

dem

dem munus obiere ab utroque Professorum ordine missi *Antonius Riccobonus*, & *Galeacius Bigolinus*. Sub anni litterarii finem Pandectarum schola instituta est.

MDLXXVIII. Non. aug. *Petrus Polidorus* Picenus ex monte Brandono. Ex litteris Ducalibus.

MDLXXIX. Idibus aug. Idem *Polidorus* Rector confirmatus. Ex litteris Ducal. Hoc ipso anno orta inter Gallum scholarem, & Germanum contentio totam commovit, & ad arma traxit Universitatem, quæ tamen cito ad officium revocata est. Scholæ septem Jurisconsultorum, quatuor Medicorum, & una Philosophorum decreto Senatus clausæ sunt.

MDLXXX. kal. aug. *Aloysius Ancaranus* Spoletinus Rector. Ex Cod. LVII. p. 4. Cum schola prima Juris Civilis pomeridiana vacasset, per litteras primum, deinde etiam adlegato Consiliario, ad extremum præsens ipse commendavit *Mag. Raynaldum Rodulphum* Perusinum Universitatis nomine; sed commendationis hujus nulla habita ratio est. Curavit etiam, ut schola tertia Institutionibus adderetur, ut est in Codice LVIII. p. 6. Turbæ anno superiore excitatæ propter arma vetita, quæ scholares nonnulli ferre volebant, demum in apertam seditionem evaserunt, quæ describitur a Riccobono in lib. 6. c. 6. Unus ex iis capite damnatus, & publice obtruncatus est. Petrum Raimundum ex oppido S. Martini appellat Riccobonus idem, & Tomasinus quoque: sed in Diario MS. Nicolai Rossi p. 39. dicitur Julius Andreasius Mantuanus. De Rectore hoc, & ejus laudibus vide Riccobonum in lib. 5. c. 7.

MDLXXXI. kal. aug. *Julius ab Aqua* Vicetinus. Ex Cod. LVIII. p. 3. Repetundarum damnatus est, quod Universitatis pecuniam avertisset, mulctaque illi dicta est librarum CCCCLVI. Ad hunc annum refert Papadopolus *Joannem Ficardum* Juris Cæsarei Professorem, ex Thuani Elogiis, ex Adamo de Vitis Jurisc. German. & ex Sansonii Diario; reprehenditque Riccobonum & Tomasinum, quod eum omiserint.

rint. Sed neque in Actis, neque in Rotulis, qui adhuc manent, nominis hujus vestigium extat. Fortasse electus ab Universitate fuerat, sed judicio hoc contentus vires experiri noluit; quod hac ipsa ætate video fecisse nonnullos.

MDLXXXII. Orta controversia inter Cisalpinos, & Transalpinos, utri hoc anno Rectorem Universitati darent, Magistratus, cognita caussa, pro Transalpinis respondit. Electus est autem IV. kal. oct. *Renatus Julianus de Bertignolis*, al. *Beaureperres*, Gallus, depulsis criminationibus, quæ in eum quæsitæ fuerant, ut est in Cod. LVIII. p. 48. Extabat olim titulus Juveni benemerenti positus in superioris peristylii fornice ad lævam, ut colligimus ex schedis Monterossi.

MDLXXXIII. Pridie non. aug. *Thomas Schorrenstain* Rhæthus ad Universitatem regendam electus est. Ex Cod. LIX. p. 3. Cum disputationes encyclicæ frigerent, Syndicum Venetias misit litteris Universitatis munitum, ut Magistratui exponeret, quanti esset negotium hoc; novumque Senatus decretum eliceret, quod eludi non posset. Illud insuper addendum curavit, ut ipse quoque Pandectarum Professor cum Ordinariis matutinis disputaret, quandoquidem in eadem materia versarentur. Ibid. p. 11.

MDLXXXIV. kal. aug. Idem *Schorrenstain* Rector confirmatus. Ibid. p. 22. Decessurus per mensem, bona venia Magistratus, suffecit sibi Prorectorem *Alexandrum Puteum* Pedemontanum, qui confirmatus est ab Universitate III. kal. jan. Eo non redeunte, *Puteus* locum tenuit usque ad Augustum anni sequentis. Scholares sexaginta in domum quamdam coiere, collato ære conductam, ibique Carolum Verlatum Vicetinum ludo nescio quo sibi Principem declararunt, additis Ministris, apparatuque omni, qui speciem hanc majestatis decere videretur. Et vero perinde in publicum exibat, ac si eorum Princeps esset. Elapso mense, cum longa nimis videretur fabula, Civitatis Rectores coitionem hanc publica auctoritate disiecerunt. Ex Rossi Diario MS. p. 46.

MDLXXXV. VII. id. aug. *Andreas Doria* Castrofrancanus. Ex litteris Ducal. Sixtus V. P. M. hoc anno sui Pontificatus primo pridie kal. decembr. locum Venetis concessit inter Romanæ Rotæ Auditores, verbis Patavinæ Universitati valde honorificis. Eligendi facultatem sibi suisque successoribus reservavit, ita tamen ut ad eligendum Doctores quatuor Senatus proponeret *ex nobilissimis*, ut est in diplomate, *atque insignibus Italiæ civitatibus Reip. Venetæ subjectis, præsertim vero ex Paduano Gymnasio, quem in locum non modo publici Professores varia ac multiplici omnium ingenuarum Artium scientia & doctrina præstantes, sed plurimi etiam studiosi, & ingenii laude florentes juvenes ex omnibus etiam externis provinciis conveniunt*. Consuevit autem Universitas usque ad patrum nostrorum ætatem, quoties locus vacaret, ex suis Professoribus aliquos, qui maxime eminerent, Principi commendare.

Rector VI. kalend. jul. anni sequentis in utroque Jure examinatus non tulit suffragia, nisi *pro majori parte*, ut est in Tolsi Diario p. 51. Mansit in Magistratu, nec deposuit insignia nisi VII. kal. sept. quo die fortuna usus indulgentiore tulit suffragia omnia, & Laurea coronatus est a Pancirolo. Ibid. p. 52.

MDLXXXVI. *Jo. Franciscus Lombardus* Cretensis. Ex Cod. LX. p. 4. Pugnavit de loco cum Collaterali. Decrevit autem Senatus, ut quoties simul convenirent, Rector præcederet. Eamdem illi loci prerogativam anno sequenti concessit supra Quæstores, & Collegiorum Præsides.

MDLXXXVII. *Alexander Puteus* Pedemontanus substitutus potestate Rectoris sine emolumentis. Ex Cod. LXI. p. 2.

MDLXXXVIII. kal. aug. *Fabius Turca* Tarvisianus, ex pago Cornuda, Rector electus est, quamvis exularet. Ex Cod. LXII. p. 3. Et ex Tolsi Diario MS. p. 76. Statim Professores duo cum quatuor Consiliariis Venetias se contulerunt ad fidem publicam ejus gratia obtinendam, ut est ibidem p. 4. Adolescens paullo animosior ne in ipso quidem regi-

regimine satis caute se gessit, famulique ejus anno sequenti in vincula conjecti sunt. Tandem abiit, locumque ejus occupavit *Ascanius Zicchо* Tridentinus Prorector. Ibid. p. 9. & 11. Idem Tolfus scribit in Diario Doctorum MS. p. 63. Franciscum Benasutum Tridentinum, cum Doctoris titulo privatim ornatus fuisset, Bidello praeeunte cum sceptro argenteo, tubisque ac tympanis concinentibus, domum deduci voluisse. Sic enim sibi visus est Laureae publicae honore ac celebritate non prorsus carere. Ceterum novum hoc celebrandae laureae desiderium spem attulerat civitati, non defuturos viros nobiles, qui veterem rei hujus magnificentiam splendoremque restituerent, publiceque more majorum coronari vellent. Quapropter Scipio Pavesius Savonensis more nobilium in Collegio probatus, dumtaxat post dies aliquot Doctoris nomen & insignia privatim sumpsit, cum diu multumque Doctores contendissent, ut in Cathedrali basilica publice sumeret.

MDLXXXIX. kal. aug. *Antonius Ulastò* Cretensis, vulgo *Pampino*. Ex Cod. LXIII. p. 61. Anno sequenti mense aprili, quod gravem injuriam intulisset Theodoro Svirò conterraneo suo, eamque in publicis scholis, missus est in exilium. Ex Diario Tolfi MS. p. 80.

MDXC. kal. aug. *Lancellotus de Lancellotis* Eques Asculanus Prorector. Ex Cod. LXV. p. 2. Sub finem muneris sui litteras Ducales, ipsa curante Universitate, obtinuit, quibus Rector est declaratus. Eas tamen non ostendit, nisi cum abjisset Magistratu, ad sumptus vitandos. Ex Tolfi Diario MS. p. 92. Jam publicae Laureae pompa ob nimias impensas ita obsoleverat, ut vix memoria in Gymnasio superesset. Itaque Collegium, ne spectaculum hoc tam magnificum prorsus oblitteraretur, legem tulit, ut qui publice coronari vellet, non plus solveret quam triplum ejus, quod solvunt ii, qui privatim coronantur. Etiam de honore publicarum Inscriptionum actum est. Decrevit autem Universitas prid. kal. febr.

anni sequentis, ut monumenta lapidea in Gymnasii ædibus Rectori ponerentur, Vicario ejus, & Syndico; picta vero Consiliariis.

MDXCI. kal. aug. *Petrus Alzanus* Eques Bergomas. Ex Cod. LXVI. p. 2. Incredibili scholarium, & Civium comitatu domum deductus est: mense autem proximo, cum stolam accepit, triduo celebrata solemnia sunt. Statim illi Prætor edixit, ne scholarium, nisi venia petita caussisque expositis, conventus ageret: idque eo spectavit, ne modo unius, modo alterius nationis querelæ, quod fieri solebat, in communem caussam collatæ Gymnasium miscerent. Sed cum imminuta videretur hac ratione Universitatis libertas, ipse Venetias se contulit, & litteras Ducales obtinuit, quibus Prætorium edictum revocatum est. Ibid. p. 4. Kal. dec. retulit ad Universitatem de scholis Jesuitarum, quas oppugnare Artium Professores constituerant, quod ad justam Gymnasii formam excrevissent, omnemque Juventutem alliciendo pertraherent. Sed plures censuerunt, nihil movendum. Attamen cum pridie non. rursus retulisset de re hac, suadente *Cremonino*, primario Philosophiæ Professore, in ejus verba decretum est, utriusque Universitatis nomine agendum esse, ne in publicis scholis solitudo fieret. Itaque cum Professores tres, una cum utroque Rectore, & magna scholarium caterva in Venetum Collegium admissi rem totam exposuissent, Senatusconsulto Jesuiticæ scholæ sublatæ sunt. Et quia Doctores aliqui Jesuitarum exemplo dictare explicationes cœperant, eodem Senatusconsulto perniciosum consilium vetitum est, & pristina disputandi gravitas revocata. Cum Universitatis ærarium inopia laboraret, Rectore ad Concilium referente, constitutum est, ut in posterum qui se in scholasticum ordinem referri vellet, duplum solveret, idest solidos Venetos quinquaginta, matriculæ nomine. Ibid. p. 14. Statutorum Codicem refici curavit, & ad sæculi mores accommodari, usus opera & consilio præsertim *Sebastiani Monticuli* primarii Canoni-

nonicæ disciplinæ Professoris. Insignia retinuit ultra anni litterarii cursum, propter controversias de novi Rectoris electione ortas. Anno proximo III. id. mart. nocte concubia domum rediens interfectus est. Ex Tolsi Diario p. 101. Non est omittendum, Alzano Rectore, pridie kal. sept. Franciscum Salesium, qui postea inter cælites relatus est, Juris utriusque Lauream obtinuisse.

MDXCII. kal. aug. *Antonius Cerrus* Bergomas. Ex Cod. LXVII. p. 4. Diu oppugnatus denique insignia sumpsit III. Id. febr. anni sequentis. Ex Codice Doctorum Jo. Baptistæ Tolsi p. 103. A die autem VII. kal. novembr. quo *Alzanus* insignia deposuit, usque ad hoc tempus pro Rectore egit *Marcus Antonius Ottellius* Pandectarum Professor. Ibid. p. 101. & ex Actis Cod. LXVII. p. 20. Idem, vix inito magistratu, nonis martiis sibi substituit *Jacobum Muretum* Gallum, quamdiu Gymnasio abesset ad res domesticas componendas. Cum rediisset, mense Junio attributi sunt illi ex Universitatis ærario argentei centum, ut Venetias se conferret ad Equestrem dignitatem petendam. Exemplum ab *Alzano* decessore manavit, nec tamen postea intra summam hanc stetit: nam *Bolizza*, qui *Cerrum* excepit, hoc nomine argenteos obtinuit quinquaginta supra centum. Professores quidam memoria infirmi, fortasse & ingenio, de scripto recitare cœperant. Id non tulit Senatus, quod exploratum haberet, qualescumque homines per commodam hanc docendi speciem irrepere in cathedras posse, & alienas merces venditare. Lubet ipsa decreti verba referre VII. id. nov. perscripti. *Non essendo in modo alcuno da tollerare il dannoso e vergognoso abuso introdotto nello Studio nostro di Padova, di legger le lezioni colla carta scritta davanti, l' anderà parte, che sia fatto intender a' Lettori del predetto Studio, che non debbano portar le lezioni scritte in Cattedra sotto pena, ogni volta che saranno ritrovati d' averle, e legger dettando, di pagar ducati venti, quali siano loro tenuti dello stipendio*. Novam

vam hanc licentiam Senatus *abusum* vocat: ex quo apparet, vetera exempla defuisse. Attamen postea inventus est, qui idem factitaret, præfatus memoriæ laudem nullius meriti esse. Sed cum *Doctor Chartaceus* vulgo appellari cœpisset, verecundia subactus ad officium rediit.

MDXCIII. kal. aug. *Nicolaus Bolizza* Ascriviensis. Ex Cod. LXVIII. p. 2. Eo absente, a die IX. kal. oct. usque ad xv. kal. decembr. pro Rectore egit *Fulvius de Pluvenis* Vicetinus. Ex Tolsi Diario MS. p. 112. Mense Martio anni sequentis mandavit Professoribus, ut lectiones continuarent per horam integram, nec ante Palmarum diem alterius curriculi scholas desererent. Ex Cod. LXVIII. p. 22. Cum publicum Civitatis Consilium Legatos ad Principem misisset, de Grammaticæ & Rhetoricæ scholis apud Jesuitas restituendis, *Riccobonus*, gravi oratione in Veneto Collegio habita, strenuissime restitit: sed iterum ac sæpius negotio agitato, tandem anno MDXCVII. Episcopi auctoritate interposita, convenit, ut Societatis Patres Grammatica, & Rhetorica rudimenta traderent, eruditione & partibus hujus classis penitioribus abstinentes, quæ in Gymnasio explicantur. Controversiam totam fuse narrat Riccobonus in lib. 4. c. 16.

MDXCIV. pridie non. aug. Idem *Bolizza* Rector confirmatus. Ex Act. Cod. LXVIII. p. 42. Anno sequenti IV. id. jan. Universitatis Nuncium & Procuratorem Venetiis constituit Simeonem Paschasium Juris utriusque Doctorem. Ipse autem novo Duci Marino Grimano supremam in rep. dignitatem Gymnasii nomine gratulatus est.

MDXCV. kal. aug. *Antonius Prosperus* Januensis Prorector. Ex Actis Cod. LXIX. p. 2. Hoc anno ex decreto Universitatis, & Triumvirum mandato duo ex primariis Professoribus delecti sunt ad scholarium controversias componendas; & biennio post quatuor illis additi scholares sunt, quorum duo Cisalpini essent, duo autem Transalpini. Ex Actis, & Riccobono l. 4. c. 14.

MDXCVI.

MDXCVI. kal. aug. *Dardius Cavatia* Vicetinus Syndicus potestate Rectoris, sed absque emolumentis. Ex Cod. LXX. pag. 2. Dictandi institutum novo Senatus decreto vetitum est. Quandoquidem autem privata schola juventus indigeret ad disciplinas recte percipiendas, non eam quidem Senatus sustulit, ut perperam quidam suspicati sunt, sed edicto cavit, ne publicas interpellaret.

MDXCVII. kal. aug. *Hieronymus Parolerius* Coloniensis. Ex Cod. LXXI. p. 2. Soluti sunt illi argentei centum ex Universitatis ærario ad Equestrem dignitatem splendide suscipiendam. Ibid. p. 10.

MDXCVIII. kal. aug. Idem *Parolerius* Eques Rector confirmatus est. Ibid. p. 12. Sed cum solum vertisset ex caussa Criminali, acta omnia ejus nomine perscripta Principis jussu deleta sunt: *Laurentius* autem *Patellarus* Syndicus loco Rectoris fuit. Anno sequenti ineunte, ab Utraque Universitate collata pecunia est, ut *Cæsaris Cremonini* Tragœdia Bacchanalibus ageretur. Ex Cod. LXXII. p. 16.

MDIC. kal. Aug. *Salustius Dionysius* Veronensis Syndicus loco Rectoris, addito jure duorum suffragiorum ex decreto Universitatis. Ex Cod. LXXII. p. 2. & 3. Anno sequenti VI. id. mart. Prorector declaratus est, ut est ibidem p. 8. *Animosos* Academicos jam extinctos hoc anno excepere *Recuperati*, qui primum sibi Principem elegerunt Fridericum Cornelium Patritium Venetum. Statim leges condiderunt, quas prima illa institutio postulare visa est; sed postea serviendum temporibus fuit legibus aliis atque aliis. Anno *1659*. *Recuperatorum* Academia cum maxime floreret, in Veneti Senatus tutelam recepta est; assignata illi ad recitationes publicæ Bibliothecæ aula, attributisque ad expensas argenteis in annum centenis, qui ex mulctis exigerentur. Patronum quoque sibi elegit primum quidem Victorem Contarenum Urbis Præfectum, & subinde alios Ordinis ejusdem. De Superum etiam præsidio postea cogitavit: proindeque lege sanxit,

xit, ut quotannis Academici ad D. Francifci Salefii aram, quæ in templo Eremitarum eft, cum Rectoribus Urbis, Epifcopo, & Decurionibus fe conferrent, ubi facris rite factis, de Salefii laudibus Oratio haberetur. Ætate noftra cum confenuiffet, cura potiffimum Aloyfii de Campo S. Petri, viri docti patriæque amantiffimi fuftentata eft, vigetque adhuc filiorum ejus præfidio & vigilantia.

MDC. XIII. kal. fept. *Joannes Baptifta Appianus* Brixianus, Syndicus loco Rectoris. Ibid. p. 24. Eo abfente creatus eft *Petrus Buarnus* conterraneus ejus prid. Id. jul. anni fequentis. Ibid. p. 30. Gymnafii frequentia decrevit hoc tempore ad fcholares admodum quadringentos fupra mille, ut eft in Defcriptione Patavinæ urbis ac regionis Andreæ Cittadellæ.

MDCI. Idem *Buarnus* fub augufti initium confirmatus eft Syndicus, & electus Prorector. Ibid. p. 39. & Cod. LXXIII. p. 1.

MDCII. kal. aug. *Paullus Savoldus* Brixianus, Syndicus loco Rectoris. Ex Act. Cod. LXXXIII. p. 2. Cum ante tempus Lauream obtinuiffet, pridie non. maj. anni fequentis *Comes Pompejus Capra* Vicetinus fuffectus eft. Ibid. p. 4.

MDCIII. IV. non. aug. Idem *Capra* Syndicus loco Rectoris, qui perrexit ufque ad kal. decembres anni fequentis. Ibid. p. 9.

MDCIV. pridie kal. dec. *Ludovicus Evanus* Anglus. Ex Cod. LXXIV. p. 4. Vixdum electus Venetias migravit, fibique Syndicum fubftituit *Jo. Baptiftam Bonetum* Cremonenfem Ibid. p. 5. Infignia fumpfit IV. id. jan. anni fequentis; & ftatim poft fefta Pafchalia equeftri titulo ornatus eft. Ad hujus honoris expenfas argenteos fexaginta ex ærario Univerfitatis obtinuit. Ibid. p. 14.

MDCV. kal. aug. *Samuel Slupcki* Polonus. Ex Cod. LXXV. p. 3. Cum V. kal. oct. petita venia ad tres menfes, difceffiffet, non amplius rediit. Ejus vices fuftinuit *Jo. Baptifta Codatius* Laudenfis Syndicus, idemque poftea Prorector.

Ibid.

Ibid. p. 6. Pridie id. Febr. anni sequentis utraque Universitas novo Venetiarum Duci Leonardo Donato gratulationem decrevit, orationis cura pro Juristis *Jacobo Gallo*, pro Artistis *Cæsari Cremonino* commissa. Hoc tempore expendebantur in Gymnasium supra octogena libellarum millia.

MDCVI. kal. aug. *Petrus Patellarus* Cretensis Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. LXXVI. p. 1. Sed IX. kal. jan. Rector electus est *Simeon Phtaminus* Cretensis. Ibid. p. 4. Mense aprili Venetias se contulit ad Equestrem Dignitatem recipiendam, quo nomine donatus est ab Universitate scutatis nummis centum. Ibidem p. 8. Sed gratias cum egisset, pecuniam remisit, judicio contentus. Ex Cod. LXXVII. p. 9.

MDCVII. kal. aug. *Bernardus Gajus* Zumellensis Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. LXXVII. p. 2. Quod in Actis Universitatis bina suffragia dedisset, seque Prorectorem nuncupasset, Prætor Urbanus irrita omnia declaravit. Eo abdicante, III. kal. mart. anni sequentis suffectus est *Cisottus de Cisottis* Vicetinus. Ibid. p. 12.

MDCVIII. VI. Non. oct. *Comes Julius de Portis* Vicetinus Syndicus loco Rectoris. Ibid. p. 14. *Porto* regente Universitatem Academia instituta est, quæ Delia dicitur, ex Civibus sexaginta totius Civitatis nobilissimis composita. Movit Patavinos recte equitandi, & arma tractandi studium; tum etiam cognoscendi desiderium eas Matheseos partes, quæ in Gymnasio non tradebantur; locusque datus a Principe est satis idoneus in S. Michaelis regione ad Pontem ligneum. Conducti sunt ad exercitationes istas magistri optimi, in primis autem Mathematicus, qui Arithmeticam, Geographiam, Nauticam, Stereometriam, omnemque machinalem scientiam explicaret. Ad expensas & ipsi Academici viritim contulerunt aliquid, & ex multatitia primum pecunia; postea vero ex ærario Gymnastico argentei DCCC. in annos singulos attributi sunt. Sæculo sequenti res friguit. Ideoque anno MDCCXXV. imminuta pensio est ad argenteos CCCC. to-

tumque negotium hoc tempore ſtat nomine potius, quam re. Vide Papadopolum t. 1. p. 41.

MDCIX. kal. aug. *Comes Eganus Tienæus* Vicetinus Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. LXXVIII. p. 2. Fruſtra contendit apud Magiſtratum, ut ante Gymnaſii ædes platea fieret, eraſis domibus, ipſoque emoto D. Martini templo, ad ſcholarum pulchritudinem & commodum: qua de re cum alias actum fuiſſet, pecunia quoque cogi cœperat, & hunc in uſum ſeponi. Germani obtinuere per litteras Ducales x. kal. ſextil. datas, ut ab utriuſque Univerſitatis conventibus ſine mulctæ metu, quoties libuiſſet, abeſſe poſſent: tum etiam ut a ſuis conſiliariis matriculas ſumerent, modo eas Syndicis oſtenderent, & in publica Gymnaſii acta referri curarent. Ex Cod. LXXVIII. p. 2. Sed cum beneficium hoc Germanis collatum jura læderet Ærarii ſcholaſtici, miſſus eſt Venetias Bidellus Generalis, qui rem totam aperiret, & compenſationis nomine aliquid impetraret. Anno ſequenti prid. non. febr. Senatus locari juſſit Gymnaſii ædes ſartas tectaſque præſtandas periculo ejus, qui conduceret: locatæ ſunt autem Joanni Baptiſtæ Zaræ Bidello Generali argenteis annuis quinquagenis, datuſque eſt ab illo fidei pignus. Ibidem p. 9.

MDCX. kalendis octobribus *Lucas Quartanus* Cretenſis Syndicus loco Rectoris. Ibidem pag. 14. Menſe martio anni ſequentis cum Romam ſe contuliſſet, non amplius rediturus, ad annum litterarium explendum ſubrogatus eſt *Joannes Lucas Sanguinacceus* conterraneus ejus. Ibidem pag. 24.

MDCXI. IV. idus octobr. *Joſeph Cicala* Lupienſis Syndicus loco Rectoris. Ibid. p. 25. Menſe decembri cum abeſſet, ipſe ſibi *Antonium Mariam Roſſi* ſubrogavit. Ibidem p. 34. Concilio nationum habito kal. nov. Robertum Malateſtam, Patricium Venetum, Univerſitati ſuæ Patronum dedit, ejuſque nomine ad eum litteras miſit. Extat adhuc ipſius Malateſtæ reſponſum, quo partem Gymnaſii hanc in fidem & clientelam ſe recipere declarat. Hujus autem bene-

ficii

ficii gratia munera illi in annos singulos paucis post mensibus ab Universitate decreta sunt. Ibid. p. 26. 28. 37. Bibliopolis quoque consuluit, generi hominum scholis addicto. Litteras enim illis fiduciarias semel atque iterum ad Triumviros dedit, quibus obtinerent, ut libros importare sine vectigali in urbem possent ex Senatusconsulto nonar. nov. MCDLXXIV. quod temporis oblivione, & publicanorum astu pæne obsoleverat. Ibid. p. 38. & 42. Non defuere turbæ, quarum caussa cum Eugenius Rossettus scholaris in publica haberetur custodia, Consiliarii privato sumptu Venetias se contulerunt, delicti gratiam totius Gymnasii precibus a Principe impetraturi. Ibid. p. 32. Operæ pretium est cognoscere, quam multi ex Civibus nostris per ea tempora Gymnasio operam navarent. Annus hic Professores habuit ex classe Jurisprudentiæ admodum viginti, ex quibus quatuor exteri erant, reliqui Patavini; ex Artium ordine unum & triginta, quorum septemdecim Patavini erant. Patrum quoque Somaschensium Collegium in honore fuit: cumque multi se in eorum disciplinam ex Veneta nobilitate dedissent, jussi sunt per litteras Triumvirales VIII. kal. majas anni sequentis magistros quinque præstantes sibi curare Philosophiæ, Rhetoricæ, Humanitatis, superioris & inferioris Grammaticæ, modo alias disciplinas ne attingerent.

MDCXII. VI. id. sept. *Comes Franciscus Tienæus* Vicetinus Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. LXXIX. p. 2. Anno insequenti XI. kal. mart. cum esset in patria, vices suas commisit *Nicolao Cladio* Cretensi. Cum rediisset, Venetias se contulit, comitantibus consiliariis, Professoribus, & Bidellis quatuor Gymnastica abolla velatis, ut novo Duci Marco Antonio Memmio gratularetur. Ad sumptum argenteos trecentos Universitatis nomine mutuatus est, sceptro argenteo pignori dato. Ibid. p. 12.

MDCXIII. Idib. aug. *Prosper Quadrius* Pontensis al. Vulturenus, Syndicus loco Rectoris. Ibid. p. 18. Frustra con-

tendit per litteras & nuncios, ex facultate ab Universitate sibi concessa, ut novum Senatus decretum revocaretur, vel explicatione aliqua leniretur, quod vetabat, Doctores a Comitibus Palatinis creari. Ibid. p. 22. Mense februario anni proximi gravissima orta contentio est scholares inter & Patavinos Optimates, quæ pro confusione rerum plurimum incommodi ac molestiæ scholis attulit. Injuriæ utrinque factæ ferebantur. Exeunte Martio, composita est consilio & auctoritate Hippolyti Ildebrandini, qui inter scholares censebatur, totumque negotium ad se transferri ab utraque Universitate ratum habuit. Suam quoque contulere operam Abbates duo, Veneti patricii, Marcus Antonius Cornelius, & Joannes Delphinus, qui studiorum caussa Patavii erant, & adjutores Ildebrandino dati sunt. Porro, sive hac de caussa, sive alia, cum hospitia scholaribus negari cœpissent, præsertim in Porciliæ vico, quem frequentissimi incolebant, ad Triumviros confugere, quorum mandato omnia in integrum restituta sunt. Ibid. p. 27. & seq.

MDCXIV. IV. id. oct. *Julianus Castellinus* Januensis Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. LXXX. p. 2. Cum Promotorum numerus, pro levitate eorum qui Lauream petebant, in dies magis augeretur, decrevit hoc anno Senatus, frustra per omne officii genus resistentibus Syndicis, ut si quis uno contentus non esset, ne plures quam quatuor sumere posset: septennio autem post duos insuper indulsit: tum anno MDCXXXVI. sex omnino esse jussit, idest quatuor ex Professoribus Ordinariis, eosque primarios, duos ex aliis, servato Rotuli ordine. Postea variis exortis controversiis, Triumviralis intervenit auctoritas. Sed decreta hujus generis omnia stetere intra fines Juris & Artium. Theologi suo quodam peculiari more usi sunt. Postridie non. decembr. mandatum Professoribus est, ut disciplinam quisque suam via & ratione traderent, constituta in eos pœna argenteorum centum, qui per quæstiunculas, quæ puncta vocant, anno toto adolescen-

tes

tes instruunt ad Doctoris nomen & coronam obtinendam. Neminem autem coronari Senatus jussit, quin, absoluto disciplinæ suæ curriculo, certa quædam ejus capita, pridie forte ducta, suis ipse viribus explicaret ac defenderet sine Promotorum auxilio, quos præire verba vetuit; atque adeo etiam proxima habere subsellia, ut clarius edixit anno sæculi hujus quinquagesimo quinto.

MDCXV. XVII. kal sept. *Bernardinus Furnagerius* Rhodiginus Prorector. Ex Cod. LXXXI p. 3. Cum Senatus scholarium Collegiis, quæ plurimum detrimenti ceperant, consulere vellet, monumenta omnia colligi jussit, quæ ad eorum jura, tutelam, & administrationem pertinerent: collecta autem cum essent, & per ea Urbis Præsides constitutiones quasdam Collegiis ipsis salutares condidissent, Ducalibus litteris VI. kal. sept. confirmavit; mandavitque, ut omnia, quæ huc spectarent, certo volumine conclusa, & utriusque Cancellarii fidei commendata in Prætorio tabulario custodirentur. Sed volumen quidem, incenso paullo post tabulario, fato periit, constitutiones autem incuria hominum ac temporum obsoleverunt. Cum Prorector partim sua, partim publica caussa diu moratus Venetiis fuisset, pecunia quæ ex Doctorum examinibus ad eum pertinebat, intercepta est, atque ærario Universitatis illata; nec nisi precibus & gratia *M. Antonii Ottelii* primarii Juris Civilis Professoris redeunti restituta. Ipse tamen & pecuniam Universitati remisit, quæ Rectoribus, & Prorectoribus condonari consueverat, cum Equites creabantur, & argenteos quinquaginta de suo dedit ad gratulationis expensas, quæ novo Venetiarum Principi Joanni Bembo splendide parabatur.

MDCXVI. III. non. aug. *Hieronymus de Sanctis* Neapolitanus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. 82. p. 4. Libellus supplex utriusque Universitatis nomine ad Triumviros missus est, ut Græcarum litterarum scholam jam intermortuam restituerent.

MDCXVII.

MDCXVII. VI. id. aug. *Tiotius* Bassanensis Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. 83. p. 5. Exeunte majo anni sequentis cum abjisset, pro Syndico egit *Cyprianus Galeardus* Vicetinus. Ibid. p. 28. Hic persuasit Universitati, ut modum aliquem praemiis poneret, quae Oratoribus dari solebant, quoties usuveniret, ut alicui ex ordine suo genus hoc officii publice mandaretur. Itaque decretum est VI. kal. jul. ut illi, qui in aede Cathedrali sub anni litterarii initium studiis proluderet, tibialia serica darentur libellis triginta aestimata; ceteri qui per annum vel Urbis Rectoribus provincia decedentibus gratias oratione agerent, vel alio quovis titulo viris Principibus Universitatis nomine verba facerent, chirothecis contenti essent, quorum sumptus non excederet libellas quatuor. Ibid. p. 32.

MDCXVIII. kal. aug. *Tafellus de Tafellis* Veronensis Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. 84. p. 6. Senatus III. kal. dec. Professorum stipendia a decumis immunia esse jussit. Scholares aliquot exilio mulctati sunt, Sala autem Brixianus in vincula conjectus, quod coitione adversus lictores Praetorianos facta, unum ex illis interfecissent. Ex Diario Rossi p. 122. *Tafellus* autem cum, Laurea accepta, abdicasset, VII. id. jun. anni sequentis *Camillus Noalius* Tarvisianus Rector creatus est. Ibid. p. 38.

MDCXIX. V. id. sept. *Leo Calergius* Cretensis Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. 85. p. 3. Cum ad Universitatem retulisset de aetate jam exacta M. Antonii Ottelii, deque ejus meritis erga scholarium ordinem, quos privatim instruere ad Lauream accipiendam tota vita consueverat, titulus in Gymnasio seni meritissimo positus est. Anno sequenti cum pridie kal. aug. Lauream obtinuisset, statim Universitas pro Syndico esse jussit *Galeacium Angusciolam* Vicetinum, qui diem decessori dixit, quod matriculas multas intervertisset in quaestum suum, non per ficta modo nomina, sed per turpia quoque artificum sellulariorum, qui se scholares ferrent, & Ordi-

Ordinem fœdarent. Falsum quoque diploma publico Universitatis decreto declaravit ab illo typis editum, quo torque aureo donatus ob ingentia in Gymnasium merita apparebat.

MDCXX. *Galeacius Feramusca* Vicetinus Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. 85. p. 31.

MDCXXI. kal. aug. *Franciscus Ghellinus* Vicetinus Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. LXXXVI. p. 3. Anno sequenti quod ærarium Gymnasticum propter stipendiorum copiam & magnitudinem identidem deficeret, consultum illi est ratione non una, ea vero maxime, ne ulli ex Professoribus stipendium augeretur ultra primæ conductionis modum. Anno autem MDCLXXXVIII. illud quoque additum est, ne augeretur extra ordinem quavis de caussa, nisi auctoritate Senatus, strictissimi juris suffragatione declarata.

MDCXXII. kal. aug. *Marcus Antonius Hureau* Parisiensis Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. 87. p. 5. Quæsitis undique legibus institutisque Collegiorum, quæ ad pueros nobiles instituendos tum in hac Urbe, tum Venetiis condita fuere, jussit Senatus, incommoda multa, quæ sensim irrepserant, & rem saluberrimam perditum ibant, emendari. Sed cum negotium partim monumentorum inopia, partim eorum malitia, qui administrabant, explicari non posset, quæri cœpit, num expediret, bona Collegiorum vendi, pecuniam publico ærario inferri, & ex ejus fructu annua studentibus præberi. Sed ob eamdem caussam dilata res. Syndicus porro mense martio anni sequentis cum rediisset in Galliam, suffectus illi est ad cursum explendum kal. april. *Galeatius Angusciola* Vicetinus. Ibidem p. 14. Hic vero statim, cum schola vacaret Authenticorum, *Sigismundum Serigum* Cretensem Magistratui commendavit Universitatis nomine, veterem secutus morem. Nulla tamen habita commendationis ratio est. Ibid. p. 17.

MDCXXIII. III. non aug. *Comes Henricus Capra* Vicetinus Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. 88. p. 3. Festa, quæ III. id.

id. nov. celebrari a ſcholaribus ſolebant, & *Martinalia* dicebantur, urbis Rectores decreto Senatus ſuſtulerunt; omniſque adhibita cura eſt, ne nocte proxima ad munuſcula colligenda, ut præteritis ſueverant annis, per urbem vagarentur. Bidelli quoque collectis abſtinere ad tempus juſſi ſunt: collectas autem vocabant certam pecuniæ ſummam, quam ter in anno a ſcholaribus poſcebant. Ac principio quidem pecunia hæc ad Profeſſores pertinebat, quod publica opera defuncti, domi quiſque ſuæ privatim docerent, eaſque diſciplinarum partes darent, quæ extra penſum Gymnaſii erant. Nam ex. gr. Juris Civilis Doctores publicis ſtipendiis merentes Digeſtum vetus, & Codicem in Gymnaſio exponebant; Infortiatum autem, & Digeſtum novum privatim interpretabantur, & hoc nomine ſtipem a ſuis auditoribus Bidellorum opera colligebant. Poſtea cum altera quoque pars ſcholæ extraordinariæ titulo inducta in Gymnaſium eſt, Bidelli ſtipem nihilominus colligentes in rem ſuam verterunt. Inſequentibus annis ſublatæ in perpetuum collectæ ſunt: huic autem Bidellorum commodo moribus confirmato alia proviſum ratione eſt magis idonea.

MDCXXIV. prid. non. aug. Idem *Capra* Syndicus confirmatus. Ibidem p. 20. Abeunti ſuffectus eſt *Vincentius de Nigris* menſe martio anni ſequentis. Ex Cod. 89. p. 1.

MDCXXV. kal. aug. *Comes Clemens Tienæus* Vicetinus Syndicus loco Rectoris. Ibidem p. 13. Senatus decrevit v. kal. dec. rationem habendam eſſe deſiderii, quod Bormienſes Cives ex valle Telina oſtenderant, collocandi Juvenes ſex in Collegiis Patavinis ad pauperum commodum inſtitutis, ubi bonis artibus operam darent. Sed cum locus in Collegiis nullus vacaret, jamque Bormienſes quatuor adveniſſent, parata ſunt illis cubicula in Feltrino ad baſilicam Antonianam, attributis ex ærario cuilibet eorum in menſes ſingulos ducatis v. qui triennio poſt aucti ſunt ad VIII. Jam vero anno MDCLXV. Bormienſes octo, & quidem parum idonei,

bene-

beneficio utebantur: quod demum cessavit, ut colligitur ex litteris Ducalibus ejus anni nonis septembr. ad Patavinum Præfectum datis.

MDCXXVI. XVII. kal. sept. *Comes Horatius Godi* Vicetinus Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. XC. p. 4. Antequam annum litterarium expleret, solum vertere coactus est, & in ejus locum suffectus est VI. kal. jul. *Prosper Britius* Vicetinus. Hic, quod sceptrum argenteum Universitatis surreptum fuisset, novum fieri curavit.

MDCXXVII. kal. aug. *Joannes Melissinò* Cretensis Syndicus loco Rectoris. Ibidem p. 14. Cum, Laurea accepta, se abdicasset, datus est illi successor *Andreas Portulaca* Brixianus sub finem januarii anni sequentis. Ibid. & Cod. XCI. p. 1.

MDCXXVIII. pridie non. aug. *Jo. Petrus Francus* Veronensis Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. XCII. p. 6.

MDCXXIX. XIII. kal. sept. *Dominicus Ferrarius* Lendenariensis Syndicus loco Rectoris. Ibid. p. 20. De publica Bibliotheca instituenda hoc anno agi cœpit, totumque negotium Gymnasii Moderatoribus Senatus mandavit. Intra biennium condita est, atque in ædibus collocata, quæ Patrum fuerant Societatis Jesus, curante *Felice Osio* Humanitatis Professore, quem primum Senatus Bibliothecæ præfecit, attributis hoc nomine florenis LX. Perpetuandæ quoque, & augendæ operam dedit. Jussit enim, Professorem quemlibet ex anni primi stipendio Bibliothecæ decumas solvere; scholares autem, cum Lauream sumerent, argentea bina, quæ scuta vocant, ejus ærario inferre, totidemque Patavinos Doctores, cum Collegiis aggregarentur: tum typographis omnibus injunxit, ut ex singulis quos ederent libris Patavinæ huic Bibliothecæ, quemadmodum & Venetæ, exemplar præberent. Anno MDCXXXII. in aulam Præfectitiam translata est: & cum jam *Osius* decessisset, in ejus locum suffectus est *Alexander Syncliticus*, primarius Juris Civilis Professor, adjectis stipendio ejus florenis centenis, additoque ad custodiam Bidello *Paullo Frambotto* mer-

mercede annua florenorum XXX. Jam Bibliotheca valde creverat, illatis primum quidem ex dono multorum Professorum libris, *Benedicti Silvatici*, *Cæsaris Cremonini*, *Bartholomæi Soveri*, *Pompeii Caimi*, & aliorum; deinde novis omnibus in Veneta ditione editis. *Syncliticum* excepit *Octavius Ferrarius* Humanitatis Professor anno MDCXLVII. Sed cum *Ferrarius* objisset anno MDCLXXXII. extra Gymnasium quæsitus est *Thomas Herculanus* Canonicus Aquilejensis, eique commissa Bibliothecæ præfectura stipendio florenorum CCC. Vixit usque ad annum MDCXCI. multisque voluminibus undique coemptis Bibliothecam locupletavit. Successit Comes *Hieronymus Frigimelica* Patavinus, doctrina, poeticis litteris, atque omnibus veræ nobilitatis artibus ornatus; jussusque est Bibliothecam ternis in hebdomada diebus ad studentium usum aperire. Hic de transferenda in Gymnasium ipsum cum Magistratu egit; qua de re dicendum erit ad annum MDCCXVI. Post annos triginta petiit, & obtinuit a Magistratu muneris adjutorem *Gulielmum de Campo Sancti Petri*, patricium Patavinum in primis doctum & probum, qui paullo post Senatus auctoritate confirmatus est, cum Frigimelica bona Principis venia ad Mutinensem aulam se contulisset. Anno MDCCXXV. ex ipso Frigimelicæ stipendio floreni centeni adjutori egregie merito tributi sunt; mortuo autem Frigimelica, anno MDCCXXXII. præterea duceni, nomenque & jura Præsidis omnia. Eodem Senatus decreto munera ejus singillatim recensuit; jussitque in ipso Professorum albo signari dies, quibus curare debet, ut Bibliotheca omnibus pateat. Jam libros omnes ordine disposuit, & catalogum generalem eximia cura industriaque conflavit; quo nomine soluti sunt illi anno MDCCXXIX. ex Triumvirum mandato argentei CC. Bidello quoque *Jo. Baptistæ Conzatto*, qui anno MDCCX. *Frambotto* successit, stipendium auctum est ad florenos XLV.

MDCXXX. kalendis aug. Idem *Ferrarius* confirmatus. Ib. p. 44.

MDCXXXI.

MDCXXXI. Idem *Ferrarius*, clausis scholis ob pestilentiam, rursus confirmatus. Lue tandem remittente, v. kal. dec. ad Universitatem retulit de Bidellis ceterisque servis publicis creandis in eorum locum, qui perierant. Ex Cod. XCIII. p. 3.

MDCXXXII. non. jan. *Dioneus Albanus* Bergomas, quamvis abesset, creatus Syndicus est, idemque postea confirmatus usque ad kalendas sextiles anni sequentis. Ejus auspicio apertæ rursus scholæ sunt IV. kal. mart. & sua reddita Gymnasio facies. Ibid. p. 6. & seq.

MDCXXXIII. kal. aug. *Decius de Monte* Vicetinus Syndicus loco Rectoris. Ibid. p. 33.

MDCXXXIV. kal. aug. *Hieronymus Lana* Brixianus Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. XCIV. p. 5. Eo recusante, post duorum mensium moram creatus est *Ludovicus Pinca* Ascriviensis, ut est ibidem p. 8. Hic, advocato nationum concilio, decerni curavit XI. kal. dec. ut Bidello Generali toga violacea sumptu fieret Universitatis, cum stola & pileolo, quam ferret in Gymnasii celebritatibus, præsertim vero illis, quibus Doctoris insignia alicui tribuerentur. Hoc autem nomine certam summam ab iis, qui Lauream acciperent, publico Universitatis ærario voluit inferri. Egit etiam de tabulario condendo, in quo Universitatis acta accurate perscripta servarentur. Commodius historiam scripturis consultum fuisset, si aliquot ante annis rei tam necessariæ consilium susceptum fuisset. Sed ille quoque XVII. kal. maj. anni sequentis provincia decessit, tradito sigillo nationis Germanæ Consiliario, qui pro Syndico esset. Ibid. p. 16.

Ascriviensibus hoc anno concessum est decreto Senatus XV. kal. decembr. ut nobiles adolescentes duos Patavium mitterent, qui per quinquennium in Gymnasio studerent, attributis ex publico hujus Urbis vectigali argenteis annuis in capita LXX.

MDCXXXV. kal. aug. *Ambrosius de Augustis* Bergomas Syndicus loco Rectoris. Ex Cod. XCVI. p. 3. Hoc anno ipsis quoque Juristis Venetum Collegium concessum est, eodem

prorſus Jure, iiſdemque conditionibus, quibus Artiſtis indultum fuerat anno MDCXVI. Conſtat quatuor primariis Juris Canonici & Civilis Profeſſoribus, & quatuor ſecundariis. In ejus antiquitate, & nobilitate deſcribenda plurimum operæ poſuit Papadopolus t. 1. p. 23.

MDCXXXVI. kal. aug. Idem *Ambroſius de Auguſtis* Syndicus confirmatus. Ex Cod. 98. p. 2. Cum autem inſequenti menſe per Procuratorem abdicaſſet, XII. kal. Oct. ſuffectus eſt *Jo. Baptiſta Rota* Bergomas. Sed hoc quoque recuſante, *Joannes Conradus Heroldt* ex Norvegia, nationis Germanicæ Conſiliarius primum pro Syndico fuit, deinde pridie kal. Majas anni ſequentis Syndicus electus eſt. Et ne unquam Univerſitas capite careret, nova lege Statutis illata cautum eſt, ut ſi forte intra annum vacua Syndici provincia relinqueretur, nationis Germanicæ Conſiliarius ſtatim pro Syndico eſſet. Nationi huic ea tempeſtate floridiſſimæ nihil negatum. Itaque cum ſibi Protectores duos, pro duplici ſcholarium genere, Juriſtarum, & Artiſtarum, ex Profeſſoribus optaſſet, Senatus indulſit, ut Protector uterque, quamvis Patavinus, immunitatibus frueretur. Eodem anno decrevit, ut qui Syndicus eſſet & Prorector, in omnibus Gymnaſticis celebritatibus Civitatis Decuriones antecederet: qua de re diu multumque certatum fuerat, ut eſt in Codice Artiſt. XXVII. Id ægre ferentes Decuriones hujuſmodi celebritatibus abſtinent. Eodem modo dignitati ſuæ conſulunt Collegiorum Præſides, ne in publicis diſputationibus, quæ in Gymnaſio habentur, infra Syndicos ſedeant. Quia porro jam uſuvenerat, ut multi Doctores nomen & inſignia per compendia quædam & fallacias quærerent, vetuit VIII. kal. oct. ne quis Ciſalpinus Venetæ ditionis ad gradus ſcholaſticos aſcenderet, niſi prius aſſiduam quinquennii operam Patavinis ſcholis tribuiſſet; idque quotannis probaret quatuor Profeſſorum teſtimoniis in codicem fiſcalem relatis. Hoc ipſum confirmatum eſt anno MDCLV. & rurſus decennio poſt aliis atque aliis decre-

decretis. Tandem anno MDCLXXIV. novus rei ordo tam necessariæ constitutus est, ut anno toto in partes tres distributo, in fine partis cujusque eorum Professorum testimonia jurejurando firmata, quos quisque audisset, ad scribam afferret huic officio destinatum. Ne autem temere vagari Juventuti liberum esset, sui cuique disciplinarum parti assignati Professores sunt, a quibus terna singulis annis peterentur chirographa. Sed cum postea quinquennii spatium pro varia temporum natura nimis longum videri cœpisset, vulgatis præsertim Academicis titulis, ad annos quatuor litterarios contractum est, ut qui per trientalia Professorum testimonia probare posset, se quadriennium Patavinis scholis impendisse, Lauream jure peteret. Id porro tanti habetur ad rectam studiorum rationem, ut ne unum quidem ex hujusmodi testimoniis, nisi auctoritate Senatus, condonari cuiquam soleat. Græcis tamen & Illyricis propter locorum longinquitatem conceditur, ut quoties libuerit, experiri ingenium possint, seque Collegiis sistere ad titulos obtinendos. Idem Patavinis indultum, quod non censeantur suis bonis carere velle, & cum optimos domi Magistros habeant, alibi quærere, aut per ignaviam fallere.

MDCXXXVII. kal. aug. Cum alius atque alius per Universitatem Syndicus electus accipere Provinciam noluisset, idem *Heroldt* pro Syndico fuit usque ad kal. julias anni sequentis. Postridie autem Syndici nomen & insignia sumpsit. Ex Cod. *99*. Senatus in ædibus, quas Societatis Patres tenuerant, Collegium fieri jussit ad recte educandos pueros ex Veneta nobilitate quadraginta, bonisque artibus instituendos. Illud enim spectarunt Senatores sapientissimi, ut ibi esset juventus hæc, ubi cum rudimenta prima studiorum posuisset, artium ac disciplinarum omnium magistros publico sumptu paratos haberet, ipsoque Universitatis aspectu excitaretur.

Condito igitur sub anni initium Collegio, quæsitus statim Rector est Balthassar Bonifacius, qui postea Episcopus fuit

Justi-

Justinopolitanus, & ex ejus consilio Præfecti morum, ac Magistri; omnibusque ex publico ærario attributa stipendia sunt. Cum enim alumnorum pensio non excederet argenteos centenos, vix ad victus impensas sufficere credebatur. Compositæ judicio Sapientum regulæ sunt, quarum caput erat, ut Urbis Præfectus semel in hebdomada Collegium inviseret, unus autem ex Triumviris Litterariis semel in mense, nequid impune peccaretur. Res nova statim plurimos illexit, auctusque numerus est, addita conditione, nequis ultra annum ætatis decimum & octavum retineretur. Sed, ut sunt humana omnia, quæ nimia celeritate crescunt, cito consenuit; jamque anno MDCXL. ad alumnos admodum octo ventum erat. Quapropter biennio post pridie id. Novembr. Principis decreto Collegium clausum est: ædium autem usus anno MDCLVII. ad veteres dominos rediit.

MDCXXXVIII. prid. kal. aug. Idem *Heroldt* confirmatus Syndicus est. Ex Cod. 100. p. 2. Primus hic simul Prorectoris titulum obtinuit, & togam, & locum in creandis Doctoribus prope Collegii Præsidem, & commoda reliqua, quæ Rectoribus & Prorectoribus ex Statutorum præscripto concedi consueverant. Ex litteris Ducalibus anni sequentis VII. kal. jul. advocatis nationibus, decerni curavit, ut ad annua D. Catharinæ Solemnia celebranda Professores Universitatis omnes togati, scholares, & servi publici in Gymnasio convenirent; inde porro ipsum honoris gratia ad templum deducerent; ibique, ut erat in more, magnifice rem divinam facerent. Illud quoque cæremoniis additum, ut oratio de cælestis hujus Patronæ laudibus quotannis haberetur. Hoc tempore nihil ex his desideratur præter orationem, quæ anno MDCCIII. prætermitti cœpit.

Querentibus Consiliariis, quod in Gymnasticis celebritatibus sedere inter turbam cogerentur, subsellia illis proxime post Professores, eaque ornata, novo Universitatis decreto assignata sunt. Ex Cod. 100. p. 8.

Jus

Jus ferendi arma, quod Germani sibi deberi contendebant, Triumviri nullum esse declararunt. Attamen ut ostenderent, nationis hujus peculiarem rationem haberi, ejus Statuta Senatus auctoritate confirmari curarunt.

MDCXXXIX. v. id aug. *Carolus Benzonus* Romanus Syndicus & Prorector. Ex Cod. 101. p. 2.

MDCXL. nonis sextil. *Henricus Lindesajus* Scotus Syndicus & Prorector usque ad decembrem anni sequentis. Ex Cod. 102. Primus ex hoc ordine Lauream obtinuit non sine expensis modo, sed etiam sine examine more Nobilium; quod jus ad successores anno sequenti propagatum est decreto Senatus VII. kal. jul. Attamen vetitum per litteras Triumvirales, nequis hujus, vel alterius Universitatis Syndicus, nisi anno expleto, Lauream peteret.

Ad hæc tempora referendum Collegium pro scholaribus ex Montesilice. Cum enim Matthæus Carbonus, civis & Medicus Montissilicis decessisset, ex ejus testamento Collegium extructum est prope ædem D. Annæ, in quo adolescentes IV. per annos septenos studendi otium haberent, attributis in capita argenteis annuis octogenis. Ex suis consanguineis Zuccatis & Ferrariis esse voluit, si qui peterent; sin minus, ex reliquis conterraneis. Rei totius administrationem & eligendi jus penes publicum Montissilicis Consilium esse jussit.

MDCXLI. VI. id. dec. *Dominicus Spinula* Januensis Syndicus & Prorector. Ex Cod. 103.

MDCXLII. VII. kal. dec. *Christianus Brun* Danus Syndicus & Prorector. Ex Cod. 104.

MDCXLIII. VII. kal. dec. *Comes Lælius Ancaranus* Vicetinus Syndicus & Prorector. Ex Cod. 105.

MDCXLIV. VII. kal. oct. *Jo. Raimundus a Lamberg* liber Baro Carinthius, Syndicus & Prorector. Ex Cod. 106. p. 7. Idib. febr. proximis munus deposuit in patriam rediturus, ejusque locum occupavit *Michael Schaidt* Monacensis Bojus.

MDCXLV. kal. aug. *Comes Germanicus Ancaranus* Vicetinus

tinus Syndicus & Proređor. Ex Cod. 107. p. 2. Postulavit a Magistratu Universitatis nomine, ut ad constituendum Venetum Collegium Professores omnes loci primi ac secundi simul convenirent: sed preces in cassum missæ.

MDCXLVI. III. non. aug. *Carolus Vonbolten* Borussus, Gedani patricio genere natus, Syndicus & Proređor. Ex Cod. 108. p. 2. Civitatis Moderatoribus hoc anno concessum est decreto Senatus XI. kal. oct. perscripto, ut scholares seditiosos ejicere ab Universitate possent, addita etiam anno sequenti XV. kal. Sextil. potestate inquirendi secreto, sæpiusque deinde confirmata.

MDCXLVII. kal. aug. *Comes Guido Feramusca* Vicetinus, Syndicus & Proređor. Ex Cod. 109. p. 2. Insignis ejus opera fuit in sedandis controversiis, quæ Græcam inter Germanamque nationem non sine mutuis injuriis exortæ erant.

MDCXLVIII. kal. aug. Idem *Feramusca* confirmatus. Ex Cod. 110. p. 2.

MDCXLIX. kal. aug. *Octavianus Odasius* Brixianus Syndicus & Proređor. Ex Cod. 111. p. 2. Mense junio anni sequentis cum se abdicasset, nationis Germanicæ Consiliarius *Joannes Kraitz* Moravinus pro Syndico egit, ex decreto Universitatis, quod memoravimus ad annum MDCXXXVI. Id nunc Magistratus confirmavit; addiditque quadriennio post, ut quicumque ex Germanicis Consiliariis Syndici vices objisset, Lauream petere more Nobilium sine examine, & sine sumptu posset. Triumvirali mandato accessit Senatus auctoritas anno MDCLVI. III. non. jun. in qua scriptum est, ad eos modo beneficium pertinere, qui annum integrum in munere fuerint. Paucis post mensibus illud quoque Germano Consiliario concessum est, ut togatus in Collegia ingrederetur, eaque omnia emolumenta perciperet, quæ Syndico & Proređori, si adesset, tribuerentur.

MDCL. kal. sextil. *Gustavus Adamus Banner* Suecus, Syndicus & Proređor. Ex Codice CXII. Senatus XI. kal. oct. Trium-

Triumviris atque Urbis Rectoribus mandavit ut viderent, num Professores curriculi quisque sui pensa fideliter absolverent; quod sermone percrebuisset, nonnullos recta ingredi, sed in ipso cursu aberrare, & per inania scholas eludere.

MDCLI. kal. sextil. *Jacobus Bissarius* Vicetinus, Comes Costefabricæ & Castri novi, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXII. p. 2. Cum inter Romanæ Rotæ judices locus vacaret, qui ad Venetos pertinet, Universitas VIII. id mart. Principi commendavit *Jacobum Caimum* Juris Civilis, & *Antonium Paulucium* Juris Canonici Professores primarios, ut est ibidem p. 16. Secundus satis idoneus visus est, sed in tempus aliud reservatus. V. primam Juris Canonici scholam pomeridianam ad an. MDCLXI.

MDCLII. kal. sextil. *Petrus Langius Gouda* Batavus, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXIII. p. 5. Jam vacationes præter modum creverant. Itaque illas Magistratus ad tria tempora, Natalis Domini, Bacchanaliorum, & Paschatis coercuit; nec ultra dies denos produci voluit. Ibidem p. 8.

MDCLIII. kal. sextil. *Franciscus Luscus* Vicetinus, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXIV. p. 2. Mense decembri expulsus est; ejusque locum *Georgius Ducus* Danus, Germanorum Consiliarius, occupavit, rebusque turbatis, prudenter tenuit. Interim tamen scholares duo Venetias ab Universitate adlegati sunt, ut agerent de *Lusco* restituendo. Ibid. p. 11.

MDCLIV. XVI. kal. sept. *Georgius Guldenstierna* Eques Suecus, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXV. p. 2. Cum, provincia deposita, rediisset in patriam, kalendis dec. pro Syndico agere cœpit *Christianus Ostenfelts*, nationis Germanicæ Consiliarius. Ibid. p. 17. Laureæ conferendæ tempora vacationibus conclusa, aucto petitorum numero, nimis angusta videri cœperunt, nec scholaribus modo, sed etiam Collegiis incommoda: proindeque Senatus indulsit, ut per annum totum die quovis extraordinario post publicas lectiones aperiri Collegia possent, doctoresque creari.

MDCLV. kal. sextil. *Comes Horatius de Pluvenis* Vicetinus, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXVI. p. 2. Quod alias Senatus vetuerat, rursus xv. kal. sept. Promotoribus edixit, ne lauream petentibus, dum in Collegiis examinantur, proxime assiderent responsa dictantes, indicta etiam non parentibus pœna. Sed jam vicit consuetudo, cui parent humana omnia. Et quia Professores aliqui identidem Gymnasio abstinebant, nonis sept. Magistratus Bidellis mandavit, ut diligenter adverterent, num quis muneri suo deesset; bisque in mense fideliter referrent, quibus quisque diebus docuisset, vel non docuisset, adjectis, quæ essent allatæ, cessandi caussis. Id porro litteris ad Urbis Rectores datis anno MDCLXIV. aliisque subinde multis vehementius inculcavit.

MDCLVI. kal. sextil. *Joannes Finch* Anglus, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXVII. Quandoquidem publica meritorum testimonia & monumenta meritis ipsis respondere debent, Senatus IX. kal. oct. Cancellariis injunxit, ut siquis lauream obtinuisset, non omnibus probatus suffragiis, sed pluribus dumtaxat, vulgo *pro majori*, id utique in diplomate declararent; diploma autem ipsum forma minus honorifica exaratum darent, non membranis, sed chartis.

MDCLVII. kal. sextil. *Marionus de Marionis* Veronensis, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXVIII. p. 2. Vetuit Senatus, ne quis Patavinus scholis primariis vel secundariis præficeretur, nisi prius ingenii sui periculum triennio saltem in tertiis fecisset. Excepta sunt nomina celeberrima, & supra ingenii aleam posita.

MDCLVIII. kal. sextil. *Thomas Finch* Danus, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXIX. p. 2.

MDCLIX. kal. Sextil. *Joseph Libera* Tridentinus, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXX. p. 2.

MDCLX. kal. sextil. *Gulielmus Stekebam* Anglus, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXXI. p. 2.

MDCLXI. kal. sextil. *Comes Parmenio Trissinus* Vicetinus,

nus, Syndicus & Proreſtor. Ex Cod. CXXII. p. 2.

MDCLXII. XVI. kal. ſept. *Antonius Maria de Nigris* Vulturenus, Comes Palatii Apoſtolici, Syndicus & Proreſtor Univerſitatis hujus creatus eſt, quamvis Artibus operam daret. Ex Cod. CXXIII. p. 1.

Tandem ſub anni ſequentis initium tabularium confeſtum eſt ad Acta Univerſitatis cuſtodienda : qua de re agi cœperat anno MDCXXXIV.

MDCLXIII. Nonis ſextil. *Paullus Benaſutus* Vicetinus, Syndicus & Proreſtor. Ex Cod. CXXIV. Cum ſtipendia Gymnaſtica miniſtri Fiſcales minuere vellent, decumis inde abraſis, Senatus immunia declaravit IV. kalendas apriles anni ſequentis. Eadem porro immunitate Græci Collegii ſalaria comprehendi juſſit. Sub hoc regimine *Gregorius Cardinalis Barbadicus*, cui merita ingentia *Venerabilis* titulum poſt mortem peperere, ad Patavinam Eccleſiam ex Bergomenſi translatus eſt. Utraque Univerſitas XVI. kal. ſextil. conjunctis votis accedentem excepit, & apparatu quam potuit maximo, oratione quoque publice habita, typiſque edita, Archicancellario ſuo gratulata eſt.

MDCLXIV. kal. aug. *Nathanael Schroderus* Boruſſus, Syndicus & Proreſtor. Ex. Cod. CXXV. p. 1.

MDCLXV. kal. aug. *Alexander Macradius* Vicetinus, Syndicus & Proreſtor. Ex Cod. CXXVI. p. 2. Juſſi ſunt Profeſſores, intra ſui quiſque penſi fines, non publicas modo, ſed etiam privatas ſcholas habere, & ex antiqua conſuetudine theſes propugnare. Eodem Senatus Decreto pœnæ illis indictæ, qui per quæſtiunculas, quæ vulgo Puncta vocantur, rudes diſciplinarum Adoleſcentes ad Lauream adipiſcendam compararent. Attamen, ne deeſſet ad honorem hunc contendentibus auxilium, binos ex utraque Univerſitate Profeſſores a Magiſtratu quotannis eligi placuit, qui ſtudiorum curſum emenſos punctis & formulis ad titulos ſcholaſticos conſequendos idoneis inſtruerent, idque per dies non amplius

 quin-

quindecim, ut est in veteri decreto VIII. id. dec. MDCXIV. & aliis subinde pluribus.

MDCLXVI. kal. aug. *Melchior Tetta* Sebenicensis Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXXVII. p. 2. Frumentarias Gymnasii & vinarias immunitates siquis emisset, eas publicani rejicere per hæc tempora cœperunt; contendentes, ad proprium illius usum, qui eas obtinuisset, dumtaxat valere. Triumviris ad auxilium appellatis, tenuit consuetudo, ut Gymnasticæ immunitates, tabernariis exceptis, cuilibet vendi possent. Id vel in primis Principem movit, quia, siquis velit sive scholaris sive Professor, non ex convecto, sed ex empto in diem vivere, emendo vectigalia solvit. Atque huic quidem immunitatum beneficium, si vendi nequeat, nullum est.

MDCLXVII. kal. aug. Idem *Tetta* confirmatus. Ex Cod. CXXVIII. p. 1. Cum se paucis post diebus abdicasset, postridie non. sept. *Hercules Salice*, al. *a Salis*, Rhætus pro Syndico fuit. Ibidem p. 3.

MDCLXVIII. kal. aug. Idem *Hercules Salice* Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXXIX. p. 1. Eo recusante, *Joannes de Freden* Gedanus, Germanorum Consiliarius, pro Syndico egit usque ad nonas decembres, quo die *Comes Nicolaus de Tonso* Vicetinus, adoptione Germanus, Syndicus & Prorector electus est. Ibidem pag. 5.

MDCLXIX. kal. aug. *Georgius Jarvitz* Carinthius, eoque abeunte, *Theodorus Strycher* Batavus, nationis Germanicæ Consiliarii, Prosyndici fuere. Ex Cod. CXXX. Collegium ex Decreto Senatus IV. kal. sept. conditum Veronæ est ad pueros nobiles ex tota Veneta ditione educandos, litterisque instruendos Patrum Somaschensium opera. In edita Urbis regione ad hunc usum exstructæ paratæque ædes sunt ære publico, attributis in annos singulos ex tribus ærariis Veronensi, Vicetino, & Patavino argenteis DC. Hoc vel maxime ad loci laudem facit, quod primus omnium institutione illa usus

ſus eſt *Georgius Cornelius*, qui poſtea Cardinalis fuit & Epiſcopus Patavinus, pietate & ſapientia incomparabili. Stat adhuc, quamvis non ita frequens, ut tantæ illi majorum expectationi reſpondeat.

MDCLXX. VII. id. oct. *Franciſcus de Rubeis* Cretenſis Eques, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXXXI. p. 5.

MDCLXXI. IV. kal. nov. *Martius Placentinus* ex Caſtrofranco Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXXXII. p. 10.

MDCLXXII. XI. kal. ſept. *Jo. Jacobus Sartori* Græcenſis, eoque abeunte, *Cornelius de Laber* Friſius, nationis Germanicæ Conſiliarii, Proſyndici fuere. Ex Cod. CXXXIII.

MDCLXXIII. kal. aug. *Joannes Thomas Comes de Coloredo* Forojulienſis, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXXXIV. p. 2. Quandoquidem ad Lauream nomenque Doctoris obtinendum accedere nemo poterat, niſi quinquennium in Patavino Gymnaſio expleviſſet, idque probabatur per ternas ſyngraphas, Profeſſorum fide & jurejurando ſingulis annis firmatas, his ſyngraphis recipiendis & cuſtodiendis Senatus idib. mart. anni ſequentis Artiſtarum Actuarium Carolum Tortam deſtinavit, additis ſtipendio ejus argenteis LXXXIV. qui ſæpius hoc nomine aucti tandem crevere ad CCCXXXVI. Tortæ anno MDCCXI. pridie non. ſept. ſucceſſor datus eſt Bertuccius Cornarius ſalario argenteorum LXXXIV. adjectis immunitatibus Gymnaſticis. Hic quoque Tortæ exemplo uſus, multa obtinuit auctaria, & quidem ſupra deceſſoris ſummam, quod Gymnaſii acta ſe collecturum pollicitus eſſet. Cornario defuncto, anno MDCCXL. pridie non. aug. ſucceſſit eodem ſtipendio argenteorum LXXXIV. Antonius Sellarius Juriſtarum Actuarius.

Sub hoc regimine non. mart. MDCLXXIV. inſtitutæ Recitationes ſunt, in quibus, qui velit ad Lauream petendam in Collegiis majoribus, quæ ſacra vocant, accedere, exacto ſtudiorum curſu, ſex Profeſſorum examen ſubit, eorumque ſuffragiis idoneus declaratur. Ex his quatuor Primarii ſunt,

duo

duo Secundarii, nec pauciores esse debent, nisi agatur de homine Transalpino., cui nationi hac quoque in parte, ut in pluribus aliis, indulgetur. Qui Collegii Veneti beneficio utuntur, a Recitationum onere liberi sunt, quod Collegium hoc ex illis ipsis Professoribus componatur, qui de Recitatione judicant. Theologi liberi fuere usque ad annum MDCCXXXIX. quo anno ipsis quoque mandatum est, ut publicas Recitationes habeant, nec nisi per eas probati Lauream petant.

MDCLXXIV. III. kal. septemb. *Jo. Fridericus Fursen* Hamburgensis Prosyndicus. Ex Cod. cxxxv. Rei litterariæ Triumviri Andreas Contarenus, Angelus Corrarius, & Jo. Baptista Nanius XII. kal. mart. anni sequentis ex S. C. Patavium venerunt, ut scholas inviserent: qua de re alibi diximus. Venetias cum rediissent, utilia quædam, iis auctoribus, Senatus decrevit, inter cetera nequis Professor, apertis scholis, urbe exiret, nisi venia petita. Immunitates quoque ad trutinam revocavit, & quosdam cum expulisset, qui titulis adscititiis minimeque idoneis in eas irrepserant, quibus jure deberentur, sigillatim declaravit. Et quia matriculæ ad eas consequendas quovis tempore cum darentur, quidam fallendi occasionem callide aucupabantur, matriculas omnes novembri mense distribui jussit. Sed non multo post Germanorum, & Græcorum gratia additi sunt menses duo, september, & october; idemque beneficium sibi curarunt Consiliarii omnes, Professores, ac Ministri, quorum numerus certus cum sit, a fraudis suspicione abest. Ad extremum, Germanicæ nationis, quæ tum valde florebat, Protectoribus confirmatis, quos sibi aliæ nationes advocaverant, Senatus exauctoravit.

MDCLXXV. kalendis sextil. *Franciscus Giambusius* Veronensis, Syndicus & Prorector. Ex Cod. cxxxvi. p. 2. Veteres multæ renovatæ constitutiones sunt, quædam etiam veteribus additæ, atque illa in primis, ne Promotores in Laurea conferenda a formulis discederent, neu pecuniam, vel munus hoc nomine exigerent: tum ne Doctores Collegia componen-

ponentes ſine toga convenirent, indicta etiam non parentibus ſuffragii pœna: ad extremum nequis eorum ſolemni ad D. Antonii Baſilicam ſupplicationi & Proceſſioni ſine cauſſa deeſſet, impediti autem facem mitterent.

MDCLXXVI. kalendis ſextil. *Henricus Gulielmus Hebner* Norimbergenſis, Proſyndicus. Ex Cod. CXXXVII. Idibus februariis advocato utriuſque Univerſitatis concilio, publica gratulatio Venetiarum Duci Nicolao Sagredo recens electo decreta eſt, Igitur v. kal. mart. ſimul in Gymnaſium convenere Syndici, Conſiliarii, ſcholareſque plurimi: inde autem, præeuntibus Bidellis ac ſervis publicis, ad Prætorem ſe Civitatis contulerunt Hieronymum Baſadonam, ut litteras fiduciarias peterent; quibus acceptis, eodem ordine in Gymnaſium regreſſi ſunt. Sub primam noctis vigiliam in quatuor cymbas Juriſtæ, in tres Artiſtæ cum aſcendiſſent, poſtridie mane Venetias appulere, & in Fuſcarorum ædes laute inſtructas recepti ſunt. Statim expoſita in januæ majoris faſtigio inſignia fuere D. Marci, Gymnaſii Patavini, Ducis Sagredi, & utriuſque Syndici, converſis in rem novam Civitatis oculis animiſque. Tum ſacrum rite factum in proxima S. Barnabæ æde. Poſt, menſa extructa convivis ſupra centum, epulæ ad tibicinem celebratæ ſunt. A prandio Syndici bene comitati circa IIIvirum domos, ac principum ceterorum ſe contulerunt; idemque fecere poſtridie, ſtudioſos Gymnaſii fautores partim voce, partim ſcripto invitantes ad gratulationis ſolemnia celebritate honeſtanda. Itaque III. kal. mart. ad Salvatoris Baſilicam undique ex compoſito itum eſt: ex illa autem, præmiſſis ordine poſt tibicines ſervis, Bidellis majoribus ac minoribus cum togis & ornamentis omnibus Gymnaſticis, ephebis quatuor, & Cancellariis, Syndici proceſſerunt, a duobus Ducis fratribus deducti, pone quos Conſiliarii Senatoribus conſociati, Scholares, civeſque benevoli plane multi, regia via utrimque apparatiſſima. Ad Curiam cum perveniſſent, Collegium illis datum eſt, ubi Juriſtarum Syndicus

cus elegantem orationem habuit de Ducis meritis, gratulatus novam dignitatem, & fausta precatus Gymnasii Patavini nomine. Dux gravibus verbis cum respondisset, in planum Syndici descenderunt; ibique dimisso comitatu, cum Consiliariis, Bidellis, ceterisque servis publicis primum ad S. Laurentii Moniales multis precibus invitati perrexerunt; tum vero domum regressi ingenti magnificentia epulum dedere. Postero die multa officiose ultro citroque facta sunt, gratesque Senatoribus actæ. Pridie kal. mart. Syndici rursus cum toto comitatu introducti in Collegium fuere, Equitesque ex formula a Duce creati; Consiliariis autem omnibus, qui adessent, jus Laureæ sine sumptu petendæ, & sine argumentorum experimento, more nobilium concessum est. Principis beneficio incredibili animorum exultatione accepto, Artistarum Syndicus ornata oratione gratias egit: inde autem post multa lætitiæ signa ætati illi non indecora Patavium redierunt. Hic quoque diem festum celebrare placuit. Ac primum quidem ad S. Antonii templum cum venissent, sacris peractis, Deo Opt. Max. laudes gratesque egerunt: deinde vero Civitatis Rectoribus in Gymnasium invitatis, apparatuque omni ad januam receptis, & in scholam maximam deductis, rem totam oratione exposuerunt: postremo reliquum diei noctemque totam epulis & choreis dederunt. Juvit genus hoc publicæ gratulationis, quæ superioribus sæculis in more erat, paullo accuratius describere, quod anno MDCLXXXIV. ad vitandos sumptus, qui præter modum excreverant, vetitum est.

Anno sequenti III. kal. febr. quia Promotores aliqui in Laurea conferenda orationes habebant, & nimio quodam gratificandi studio interdum ad ineptias abibant, certa rei hujus formula Venetiis composita est, & ad urbis Rectores missa, a qua nemini in posterum recedere liceret.

MDCLXXVII. kalendis sextil. *Ottho S. Rom. Imperii Comes de Gronsfeldt*, Prosyndicus usque ad diem XVI. kalend.

lend. oct. anni sequentis, quo die abdicavit. Ex Cod. CXXXVIII. & seq. p. 4. Querentibus nonnullis de Gymnasii expensis, & floreni æstimationem cavillantibus, sanxit Senatus XII. kal. sextil. anni sequentis, florenum Gymnasticum, ut ex omni temporum memoria constat, ad libras Venetas majores æstimandum esse, quarum quinque senis minoribus respondent.

Syndico adnitente, decrevit Universitas, decretumque Magistratus confirmavit, ut quoties aliquis Lauream reciperet sive in Collegio Veneto, sive in Sacro, libellas Venetas tres nationis Germanicæ Bidello solveret, quod nationis hujus Consiliarius absentis Syndici locum frequenter occuparet, ideoque Rectoris vices in Collegiis sustineret, & Bidelli sui opera uteretur. Ex Cod. CXXXVIII. p. 6.

MDCLXXVIII. XVII. kal. dec. *Petrus Schorn* Coloniensis, Prosyndicus. Ex. Cod. CXXXIX. p. 5. Anno sequenti kalendis febr. quod Magistratus anno MDCLV. damnaverat, novo decreto vetavit, ne Professores, quibus horis in Gymnasio docetur, studentium comitatu adduci se ad publicas scholas, aut deduci paterentur.

MDCLXXIX. non. sept. *Comes Julius Sarego* Veronensis, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CXL. p. 4. Sed oblatam absenti dignitatem cum recusasset, *Gothardus Malengus* Bormiensis Rhætus pro Syndico egit. Ibid. Bartholomæus Beverinus VII. idus jan. MDCLXXX. Universitatis scriba declaratus est, ut uni illi Doctorum diplomata, quæ Privilegia dicuntur, in posterum scribere, & minio, siquis posceret, ornare liceret. Ex Cod. CXL. p. 7. Et quia beneficio ad avaritiam utebatur, certa scribæ merces pro operæ modo constituta est, ut in Cod. CXLII. p. 14. Huic postea successores dati sunt Jo. Aloysius Foppa, & Antonius Pulzatus; sed Sebastianus Moretus utrumque exclusit, quod ostendisset, se ad hoc munus ante annos octo ab Universitate fuisse destinatum. Ibid. Nunc ad se rem totam Universitatis Actuarius traxit.

MDCLXXX. kal. sextil. *Comes Joannes Municausa* Batavus,

tavus, Syndicus & Proreċtor. Ex Cod. CXLI. Sub anni initium mandarunt Triumviri, ne femina ulla ad gradus scholasticos & Lauream petendam, inconsulto Magistratu, admitteretur. Et quia Professores aliqui vacandi caussas quærere videbantur, excitata adhortationibus & minis diligentia est. Attamen quoties novus Professor accederet, Antagonistæ ejus tridui concessa vacatio est. Quod si quis ex vetustis locum mutaret, placuit, Antagonistam ejus die primo vacare. Ceterum moniti, ne eluderent, alii alios audiendo, qua hora docere deberent; neu theses propugnarent, aut examina haberent ad Lauream conferendam, nisi diebus festis, aut extraordinariis post lectiones. Et quia in Recitationibus publicis ad Lauream petendam institutis Professor interdum aliquis desiderabatur, jussit Magistratus, ut senarius numerus omnino servaretur, suffectis Extraordinariis, quoties Ordinarii deessent. Qui abesset, eum carere lucro, æquum visum est.

MDCLXXXI. kal. sextil. idem *Municausa* confirmatus. Ex Cod. CXLII. p. 2.

Senatus III. non. sextil. Dalmatis indulsit, ne quinquennalis curriculi lege tenerentur, sed cum primum essent idonei, statim ad gradus Academicos evecti Transmarinorum beneficio uterentur.

MDCLXXXII. kal. sextil. *Vincentius Antonius Delphinus* Vulturenus, Syndicus & Proreċtor. Ex Cod. CXLIII. p. 2. Sed cum abnuisset, primum *Petrus Ragazzi* Rhætus, deinde alii nationis Germanicæ Consiliarii pro Syndico egere. Ibid. Jussi sunt Professores Triumvirali mandato v. non. oct. edito, scholaribus publicas theses defendentibus præsentia suffragari; &, quod sæpe inculcatum, absolutis lectionibus, inter se disputando certare. Et quia nonnulli sub anni litterarii initium officii gratia aliorum scholas adibant, rursus vetitum est, nequis Professor alienæ disputationi tantum tribueret, ut suam omitteret. De novis quoque Professoribus cautum est, ne diebus ordinariis ad scholam occipiendam præfatio-

ſationes haberent; neu, cum diebus vacantibus haberent, nimis maturando aliis extra ordinem docentibus impedimentum afferrent.

MDCLXXXIII. kal. ſextil. *Antonius Cataneus* Lendinarienſis, Syndicus & Proreſtor. Ex Cod. CXLIV. p. 5. Anno ſequenti VIII. kal. mart. cum utraque Univerſitas publicam gratulationem Carolo Contareno Venetiarum Duci recens electo decreviſſet, Magiſtratus litteris ad civitatis Rectores datis conſilium laudavit, ſed veterem morem juſtis de cauſſis intermitti juſſit. Ibid. p. 9.

MDCLXXXIV. kal. ſextil. *Franciſcus Simeon Mandacher* Rauracus, Syndicus & Proreſtor. Ex Cod. CXLV. p. 2.

MDCLXXXV. kal. ſextil. *Sylveſter Juſtinianus* Corcyrenſis, Syndicus & Proreſtor. Ex Cod. CXLVI. Verum cum abnuiſſet, *Franciſcus Antonius de Goltperg* Carinthius pro Syndico fuit. Ibid. p. 3.

MDCLXXXVI. kal. ſextil. *Joannes Ubaldus Stichl* a Bonevitz Saxo, Profyndicus uſque ad XI. kal. ſextil. anni ſequentis. Poſtea *Antonius Homodeus Armanaſchus* Rhætus uſque ad kal. ipſas ſextil. ejus vices egit. Ex Cod. CXLVII. p. 2. & 13.

MDCLXXXVII. kal. ſextil. *Antonius Homodeus Armanaſchus* Rhætus ex Valle Tellina, Syndicus & Proreſtor. Ex Cod. CXLVIII. Exeunte aprili anni ſequentis, vetuit Senatus, ne ſtatuæ, inſignia, inſcriptiones, aut monumenta hujus generis alia cuiquam in Gymnaſio ponerentur. Et quia in illo Academicæ exercitationes haberi cœperant, quas perſonati viri feminæque frequentabant, licentia hæc pro loci dignitate minime ferenda eodem decreto ſublata eſt.

MDCLXXXVIII. v. kal. ſextil. *Richardus Collins* Anglus, Syndicus & Proreſtor. Ex Cod. CXLIX. p. 3. Vetus Senatusconſultum XI. kal. ſextil. renovatum eſt, quo vetatur, ne Patavini duo eamdem claſſem teneant, & antagoniſtæ ſint. Illud quoque additum, ut Profeſſores omnes, qui-

bus horis Gymnasium vacat, privatam scholam habeant; sed breviariis, quæ puncta dicuntur, abstineant, & intra suum quisque pensum docendi operam contineat. Profecto hanc in rem multa sunt antiqua & recentia decreta: sed homines sumus. Cum rursus florenus, quæ Gymnastica pecunia est, jactaretur, nec Venetis publicæ formæ nummis responderet, acta res in Senatu est, magnoque consensu Patres decrevere, ut veteri æstimatione librarum sex Professoribus ac Ministris solveretur.

MDCLXXXIX. kal. sextil. *Carolus Ignatius Mass* Græcensis, Prosyndicus. Ex Cod. CL. p. 5.

MDCXC. kal. sextil. *Franciscus Rodulphus a VVelczek* liber Baro Silesius, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CLI. p. 2.

MDCXCI. III. id. sextil. *Emmanuel Timoni* Chius, adoptione Anglus, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CLI. p. 2. Quod argentei octingeni Academiæ Deliæ anno MDCLXIII. ex mulctatitia pecunia assignati minus prompte solverentur, Præsides ejus obtinuere x. kal. april. anni sequentis, ut onus hoc ad arcam Gymnasticam transferretur, illatis in illam mulctis ad hanc summam, si fieri posset.

MDCXCII. kal. sextil. *Scipio Bestha* Rhætus, Prosyndicus. Ex Cod. CLII. p. 2.

MDCXCIII. kal. sextil. *Abrahamus Teschemacher* Montanus, Prosyndicus. Ex Cod. CLIII.

MDCXCIV. VI. id sextil. *Arnoldus Screiber* Westphalus, Prosyndicus. Ex Cod. CLIV.

MDCXCV. kal. sextil. *Franciscus Dominicus Koppeniager* Labacensis, Eques & Comes Palatinus, Prosyndicus. Ex Cod. CLV.

MDCXCVI. pridie non. aug. *Christianus Langermann* Hamburgensis, Prosyndicus. Ex Cod. CLVI. Mense Junio anni sequentis objit Gymnasii Archicancellarius *Gregorius Card. Barbadicus* Episcopus Patavinus, de litterarum omniumque bonarum artium studiis præclare meritus, quem paucis post

annis

annis ob summam vitæ innocentiam, morumque sanctitatem Apostolica Sedes Venerabilem declaravit. Huic successor datus est *Georgius Card. Cornelius*, qui fama ingenti meritorum Lusitanam legationem obibat. Advenienti XII. kal. sextil. uterque Gymnasii ordo Professorum & Scholarium cum tota Civitate more & consuetudine gratulatus est.

MDCXCVII. Postridie kal. aug. idem *Langermann* confirmatus. Ex Cod. CLVIII. Cum tres Continentis Inquisitores sub initium anni sequentis Patavium venissent, utraque primum Scholarium Universitas, deinde etiam Professorum, cum Bidellis, ceterisque servis Gymnasticis, apparatu quam fieri potuit amplissimo, ad Arenæ ædes, ubi consederant, se contulit, suoque in Principem studio & obsequio verbis officiosissimis satisfecit.

MDCXCVIII. pridie kal. dec. *Bernardus a Clericis* Rhætus Syndicus & Prorector. Ex Cod. CLVIII. Sed titulum cum abnuisset, pro Syndico fuit. Senatus X. kal. jul. libera Magistratui arbitria permisit de illorum Professorum pœna, qui in exhibendis testimoniis de assidua scholarium frequentia fidem fallerent. Itaque rem totam certioribus finibus Triumviri coercentes decreverunt, ut in Jurisprudentiæ scholis Institutionum Magistri anno primo & secundo syngraphas darent jurejurando firmatas; tertio, quarto, & quinto Ordinarii Sacrorum Canonum, Civilisque Juris Interpretes: in Artibus autem anni primi testimonia Logici præberent, secundi & tertii Philosophi duo Ordinarii, quarti & quinti Medici item Ordinarii duo. Postea anno sæculi proximi quarto Logicis indultum est, ut etiam Juris studiosis anno primo consulere possent. Vertentibus annis etiam Extraordinarii loci primi & secundi in partes venere: anno autem XLIX. sæculi proximi Tertiano quoque, majoribus Scholis vacantibus, habita fides est.

MDCXCIX. XIII. kal. dec. *Julius Pestalotius* Rhætus, Syndicus & Prorector post varias controversias ele-

ctus

ctus est, & a Magistratu triduo post confirmatus. Ex Cod. CLIX. p. 3. Eo regente Universitatem, sub initium anni sequentis Venetorum Dux Sylvester Valerius cum objisset, successit Marcus Antonius Mocenicus, Senator gravitatis & prudentiæ multis magnisque administrationibus spectatæ.

MDCC. x. kal. oct. *Jacobus Lamb de Alberton* Elbingensis, Syndicus & Prorector. Ex Cod. CLX. p. 3. Mense junio anni proximi cum discessisset valetudinis caussa, ejus vices obiit *Antonius Talmon a Thalneimb* Carinthius, nationis Germanicæ Consiliarius. Hoc anno sæculi ultimo VI. kal. jul. cum adhuc *Pestalotius* in magistratu esset, curriculum litterarium, quod erat annorum quinque, Senatus temporibus indulgens ad quatuor coercuit, concessa sub anni quarti finem, simulatque clausæ scholæ essent, Laureæ petendæ facultate. Jam ad eos mores ventum est, ut hoc ipsum æquo longius videatur.

M D C C.

Ex Actis in Juristarum tabulario.

MDCCI. Deficiente Syndico, *Antonius Talmon* Carinthius, Germanorum Consiliarius, quem ceperat superioribus mensibus Syndici locum, toto hoc anno litterario retinuit, a kalendis sextilibus auspicatus. Magistratus IV. id. majas anni sequentis vetuit, ne Veneti nominis scholares nationem mentiri auderent, edicta pœna non modo adversus illos, qui mentirentur, sed etiam adversus nationum Consiliarios, qui mentientibus fidem suam adjicerent. Porro, quia trientalia testimonia nimis mature quidam obtinebant, ut citius in patriam reverterentur, unde scholarum circa curriculi finem infrequentia, Triumviri nulla esse declararunt, quæcunque, curriculo nondum absoluto, concederentur.

MDCCII.

MDCCII. *Franciscus Henricus a Veinacht* Carniolus v. id. sept. Syndicus & Proreſtor creatus eſt.

Kalendis martiis anni ſequentis denunciatum eſt Profeſſoribus illis, qui ad aliam ſcholam Triumvirum reſcripto translati eſſent, vel in poſterum transferrentur, ne priorem, inconſulto Senatu, deſererent.

MDCCIII. Idem *Veinacht* VI. kal. oct. confirmatus eſt. Jam Profeſſores aliquos togæ faſtidium ceperat, inducta ejus loco penula: quod cum parum decens videretur, & moribus alienum, novæ huic licentiæ Magiſtratus ſtatim occurrit; mandavitque eos graviter moneri, qui ſine toga ad publice docendum prodirent, vel alia Gymnaſii ſolemnia celebrarent. Et quia nonnulli ſcholas quoque intermittebant, diario ſcholaſtico nondum expleto, his minerval deteri juſſit pro temporis omiſſi æſtimatione. Quod ſi Scholarium clamore & pulſationibus impediti forte ceſſare cogerentur, in Scholares ipſos pœnam vertere juſſi ſunt, ſyngraphas illis non concedentes, quæ ad Lauream obtinendam neceſſariæ ſunt.

MDCCIV. nonis jul. *Hieronymus Barbera* Brixianus, Syndicus & Proreſtor. Obtinuit a Magiſtratu, ut ipſi quoque Juris ſtudioſi anno primo audire Logicum poſſent, ejuſque teſtimonio uti ad quadriennii moram in Gymnaſio comprobandam. Doctores hoc tempore ex Juriſtarum claſſe non multi creabantur, cum ſæculo ſuperiore centenos excedere quotannis ſolerent. Quam ob cauſſam, cum ærarium ſcholaſticum inopia laboraret, Univerſitas decreto ſuo Triumvirum litteris confirmato, ex Miniſtrorum ſalario particulam detraxit, quam annis melioribus eadem adiecerat.

MDCCV. XII. kal. jul. *Bartholomæus Fietta* Acelinus, adoptione Germanus, Syndicus & Proreſtor. Cum Laureæ obtinendæ impenſas Bidellorum induſtria, quæſitis undique titulis, præter modum auxiſſet, de re hac ad Univerſitatem retulit, ejuſque auctoritate cognitis cauſſis æſtimatiſque, Collegii Epiſcopalis ſumptum libellis quingentis quadraginta ſex defi-

definivit, Gymnaſtici una & nonaginta ſupra ducentas. Siquis ex ſervis publicis amplius aliquid in poſterum quovis nomine exigeret, eum puniri mandavit. Quo die munus dimiſit, merita ejus Scholares ſcenicis & muſicis ludis celebrarunt; idque in actis ad poſteritatis memoriam perſcribi placuit.

MDCCVI. XII. kal. decembr. *Lambertus Godefridus Huberti* Agrippinenſis, Syndicus & Prorector. Multa movit Univerſitatis utriuſque nomine per litteras & nuncios, ut Magiſtratus, aperto Simplicium horto, Gymnaſium claudi ſtatim pateretur, finemque annali curriculo imponi; quod dilapſis jam circa Feſta Paſchalia Scholaribus illis, qui Profeſſorum teſtimoniis non indigerent, magna eſſet in ſcholis ſolitudo, non Profeſſoribus modo ipſis, ſed toti Gymnaſio civitatique indecora.

MDCCVII. XII. kal. jul. *Comes Cajetanus Seſſo* Vicetinus, Syndicus & Prorector.

MDCCVIII. XVI. kal. nov. *Helias Doxa* Spartanus, Syndicus & Prorector.

MDCCIX. XV. kal. ſept. *Jacobus Schiautius* Piranenſis, adoptione Germanus, Syndicus & Prorector electus eſt, excluſo *Jo. Baptiſta Jaccono* Vicetino, qui repulſæ cauſſa Adamum Solerum Bojum, nationis Hungaricæ Conſiliarium, interfecit. Menſe aprili cum *Schiautius* valetudinis cauſſa diſceſſiſſet, ejus vices obiit Germanorum Conſiliarius *Joſeph Antonius Laurentius Hagenrainer* Lanſpergenſis Bavarus.

Mortuo Venetorum Duce Marco Antonio Mocenico, Joannes Cornelius, Georgii Cardinalis & Epiſcopi Patavini frater, unanimi patriæ voto ac pæne voce ad ſummam iſtam reip. dignitatem evectus eſt, vir graviſſimus, omnibuſque Senatoriis artibus ornatus. Hac de cauſſa omnes Gymnaſii ordines Archicancellario ſuo rite gratulati ſunt.

MDCCX. Idem *Hagenrainer*, deficiente Syndico, locum retinuit, magno nationis ſuæ damno, cujus ſupellectilem, nummos, ac libros furto diſtraxit. Eo referente, XII. kal.

jan.

jan. Actuarius obtinuit, ut quoties Doctor aliquis fieret, libellæ quinæ Hieronymo Ravennæ darentur, quem ille sibi adjutorem superioribus mensibus ab Universitate adiungi curaverat, adsignato stipendio ducatorum X. Multis contentionibus actum est de argenteis quinis & vicenis exigendis, quos olim Professores ærario Scholastico inferebant. Cum enim solvendi caussa non satis probaretur, nonnulli in mora erant. Ad extremum decrevit Universitas VI. kal. sextil. ut pecunia hæc attribueretur salarii nomine servo illi, cui campanæ pulsandæ cura esset, eamque ipse periculo suo a singulis exigeret.

MDCCXI. kalendis oct. *Jo. Baptista Lantana* Jadertinus Syndicus, & Prorector. Multorum criminum compertus cum fuisset *Hagenrainer* superioris anni Prosyndicus, interdixit Magistratus, ne Lauream sumeret, neve aliis frueretur honoribus ac beneficiis, quæ recte functis munere hoc tribui solerent. Prætor autem Patavinus ex auctoritate Decemvirali postulatum damnatumque perpetuo exilio multavit, indicta etiam capitis pœna, siquando in vincula incideret.

MDCCXII. III. id. oct. *Franciscus Carolus Miller* Carinthius, Syndicus & Prorector.

MDCCXIII. *Ferdinandus de Lemgovio* Spirensis, Prosyndicus.

Professorum stipendia Fiscales ministri vectigali recens imposito gravare tentarunt; tum ex iis particulas aliquas in rem suam vertere; postremo ea solvere nummis ad mercaturæ rationem atque usum æstimatis. Sed occurrit Senatus decreto suo IV. non. oct. quod biennio post confirmavit duobus aliis VII. id. april. & VI. kal. jul. jussitque ut stipendia Professoribus extemplo solverentur, & quidem integra, a vectigalibus libera, ipsoque æris genere atque æstimatione, qua publico inferri ærario pecunia solet.

MDCCXIV. Idem *Ferdinandus de Lemgovio* Prosyndicus.

Exorta discordia inter scholares & cives ordinis primi, qui

juventutem ſuo quodam vitæ genere liberiorem in nobilitatis cœtus admittendam non putabant, eo uſque exarſit, ut clauſo Gymnaſio, ſcholares omnes ſuis ſe domibus tenerent. Simile quiddam narrat Eunapius in Vita Juliani Sophiſtæ Athenis contigiſſe, cum magna eſſet in urbe ex omni natione ſtudentium frequentia. Cum res ad pactionem veniſſet, pars utraque ſuarum querelarum cauſſas & arbitria ad *Georgium Card. Cornelium* Epiſcopum Patavinum detulit, ejuſque auctoritate atque prudentia, probantibus urbis Rectoribus ac Triumviris, omnia compoſita ſunt. Magiſtratus autem, ut ſcholaſtici ordinis dignitati atque honori magis magiſque conſuleret, edixit, ne quis in poſterum, cujuſcunque nationis claſſiſve eſſet, ne Patavinus quidem, neu Venetus Patriciæ gentis, titulos Academicos peteret, quin prius in Gymnaſii matriculam nomen ſuum retuliſſet, ſeque ſcholarem profeſſus eſſet. Idem Senatus juſſerat annis 1553. & 1556. ſed vetuſtate obſoleverat.

MDCCXV. IV. non. ſept. *Caſpar Muller* Hamburgenſis, Syndicus & Prorector.

MDCCXVI. *Georgius Stratius* Komaromenſis, Proſyndicus.

Magiſtratus pridie id. oct. adverſus illos tota Veneta ditione inquiri mandavit, qui in alienis Gymnaſiis ſtuderent, ibique Academicis titulis ornarentur, ut ex lege pœnas darent. Senatus decreto ſuo VI. id. mart. anni ſequentis Triumvirale mandatum confirmavit. Hoc amplius, ſuæ auctoritatis eſſe declaravit, quadriennii moram in Patavino Gymnaſio, quibus videretur, condonare, cauſſaſque condonandi cognoſcere; idque nolle ſe aliter fieri, quam per partes ſuffragiorum quinas.

Hoc anno actum eſt de aula in Gymnaſio condenda, in quam publica bibliotheca ex ædibus Præfectitiis transferretur. Triumviri ex Senatus auctoritate III. non. dec. perſcripta locum emerunt ſcholis proximum argenteis octingentis. Ut

bene

bene & ratione ædificaretur, *Hieronymo Frigimelicæ* bibliothecæ Præfecto addidere Professores duos, *Bombardinum*, & *Polenum*. Exactorem autem operis Juristarum actuarium Bartholomæum Sellarium esse jusserunt, mercede argenteorum V. in singulos menses: quo beneficio tota vita usus est, etiam intermissa ædificatione.

MDCCXVII. *Franciscus de Sebastianis* liber Baro *a Zinnemberg* Tirolensis, Prosyndicus.

Senatus jussit non. kal. jul. ei, qui esset Triumviris a manu, ducatos sexagenos ex Patavini Gymnasii pecunia quotannis solvi, ut Veneta Grammaticorum arca levaretur. Itaque Fiscales ministri, ut Patavino ærario aliunde consulerent, negare stipendia cœperunt Professoribus illis, quorum conductio ad finem perducta esset, necdum renovata. Solvi jussit magistratus litteris XVII. kal. maj. datis ex Senatusconsulto V. non. jul. MDCLXXXI. quod rursus confirmatum est kalendis sept. anni sequentis. Postridie kal. maj. Gymnasium, petentibus Syndicis, clausum est, vacandi venia nunc primum tam mature concessa.

MDCCXVIII. *Matthæus de Federicis* Tirolensis, Prosyndicus.

MDCCXIX. *Jo. Sigismundus de Bremsfeld* Carniolus, Prosyndicus.

MDCCXX. VIII. kal. nov. *Uldericus Joseph Bortoletti* Tirolensis, Syndicus & Prorector.

MDCCXXI. XVI. kal. sept. *Franciscus Stephanus de Danielis* Utinensis nomen professus cum fuisset, nec ullus cum eo peteret, attamen suffragiis Universitatis exclusus est. Cum autem de repulsa apud magistratum questus esset, Triumviri X. kal. oct. Universitatis judicium confirmarunt. Locum de more occupavit Germanorum Consiliarius, Prosyndici titulo, *Augustinus Joseph Hirneys* Viennensis ex Austria, cui mense decembri successit *Franciscus Antonius* frater.

Cum Patavium advenissent Triumviri Provinciales, Mi-

chael Maurocenus Eq. Petrus Grimanus, Petrus Aloysius Mocenicus, de legibus earumque observantia quæsituri, ad eos publice primum quidem Scholarium, deinde Professorum Universitates gratulatum se contulere. Utrique autem ordini scholastica insignia more solemni servi publici prætulerunt.

MDCCXXII. *Jacobus Nonius* Rhætus, Prosyndicus. Vetuit Magistratus, ne anni primi scholaribus, qui vulgo pupilli dicuntur, nisi exeunte januario, frumentariæ ac vinariæ immunitates concederentur; ut mense novembri de more accedentes mora ista non exigua noti Gymnasio fierent. Decretum ex auctoritate Senatus VI. id. sextil. perscriptum est, typisque editum.

Luctum & squalorem Gymnasio attulit Archicancellarii mors *Georgii Cornelii* Cardinalis & Episcopi Patavini, cujus summa virtus, vividum ingenium, & rectum de rebus omnibus judicium communi apud nos fama atque hominum sermonibus adhuc celebratur. Raptus est senectute prima: attamen ejus vitæ spatium exiguum dici nequit, quia totum a prima usque adolescentia operosum fuit. Ipse quoque *Joannes Cornelius* Venetorum Dux fratrem secutus migravit ad Superos pridie id. sextil. suffecto in ejus locum *Sebastiano Mocenico*, non pacis modo artibus, sed belli etiam gloria claro. Patavinæ Ecclesiæ regimen suscepit *Franciscus Cardinalis Barbadicus*, Gregorii Venerabilis ex fratre nepos, ex Brixiana translatus. In possessionem venit XII. kal. jul. anni sequentis: postridie autem cum reliquis Civitatis ordinibus Litterarius quoque gratulatione solemni Antistitem suum & Archicancellarium excepit.

Tristis etiam annus fuit Prosyndici nece XV. kal. mart. a lictoribus facta in platea urbis principe, sub ipsis pæne Præfecti oculis. Grex nocentium totus statim comprehensus, & in vincula conjectus pœnas dedit, pars laqueo, alii triremi, alii carcere, pro noxæ ac delicti modo, posito etiam ad perpetuam rei exsecrationem in platea ipsa monumento. Porro

ad

ad annuum cursum explendum rursus *Franciscus Antonius Hirneys* pro Syndico egit.

MDCCXXIII. IV. non. oct. *Joseph Ignatius Campaniri* Jadrensis, Syndicus & Prorector. Cum paucis post diebus bona magistratus venia abdicasset, *Antonius Stupanus de Ebrustein* Graecensis IX. kal. dec. pro Syndico agere coepit. Cum dignitas haec in dies magis obsolesceret, Senatus ad eam excitandam idibus jan. concessit, ut quam facultatem Gymnasii Rectores habuerant edendi socii nomen, qui sine quadriennii in scholis Patavinis mora, & sine sumptu Lauream obtineret, eamdem in posterum Syndici haberent; quo beneficio scholares illecti, muneris incommoda non resugerent. Prosyndicis eamdem facultatem subinde petentibus, Senatus quadriennium remisit, sumptum non item.

Abreptus est nobis postridie id. nov. *Franciscus Superantius* D. Marci Procurator, ex ordine Reformatorum, cui successor datus est *Andreas* frater, ipse quoque D. Marci Procurator, de quorum meritis alibi dixi.

MDCCXXIV. *Henricus Albertini de Ponte* Rhaetus, Prosyndicus.

MDCCXXV. *Thomas Tompson* Herfordiensis, Prosyndicus.

MDCCXXVI. pridie non. sextil. Abbas *Cajetanus Passetti* Vicetinus, Syndicus & Prorector.

MDCCXXVII. postridie non. sept. *Jo. Georgius de Glantzer* Viennensis, Syndicus & Prorector.

MDCCXXVIII. pridie kal. sextil. *Jo. Julius Smacchia* Corcyronigrensis, Syndicus & Prorector.

MDCCXXIX. x. kal. jul. Idem *Smacchia* Syndicus confirmatus.

Sub anni sequentis initium obiit Gymnasii Archicancellarius *Franciscus Card. Barbadicus* Episcopus Patavinus, qui cum omnes sui muneris partes diligenter explevit, tum in Christiana puerorum catechesi praecipuam quamdam operam posuit. Gentis suae decora tum antiqua, tum recentia collegit,

git, & figuris ornavit elegantiſſimis : quod volumen quanta maxima fieri potuit magnificentia editum eſt typis Seminarii. Datus illi ſucceſſor eſt *Joannes Minottus*, Archiepiſcopus Nazianzenus, Cardinalis Ottoboni commendatione, ad quem affinitate pertinebat.

MDCCXXX. VIII. kal. nov. *Conſtantinus Stamolachi Cacurius* Theſſalus, Syndicus & Proreſtor.

MDCCXXXI. kal. ſextil. *Comes Jo. Antonius Madriſius* Utinenſis, Syndicus & Proreſtor. Tardius acceſſit, inchoatis jam ſtudiis, menſe autem julio anni ſequentis valetudinis cauſſa diſceſſit. Interim *Joſeph Alaleona* primarius Juris Cæſarei Profeſſor pro Syndico egit, jubente Magiſtratu.

Cum lectionum breviaria, quæ Paginæ dicuntur, atque edi a Profeſſoribus initio ſtudiorum pridem ſolebant, in deſuetudinem atque oblivionem veniſſent, rurſus excitata ſunt decreto Senatus. Horum exactor & cuſtos, non ſecus atque aliarum chartarum ad rem librariam pertinentium, anno MDCCXLIX. delectus eſt *Jo. Franciſcus Pivatus* J. U. D. attributo ſtipendio florenorum L. ex ærario Gymnaſtico, quod crevit ad CL. poſt Bertuccii Cornarii mortem.

MDCCXXXII. XIII. kal. ſept. *Franciſcus de Caballis* Veronenſis, Syndicus & Proreſtor. Cum *Mocenicus* Venetorum Dux deceſſiſſet, ad ſupremam hanc reip. dignitatem delectus eſt *Carolus Ruzzinus* Eq. & D. Marci Procurator, ex eorum ordine, qui Gymnaſium Patavinum regunt: nec ſane inter civitatis principes ullus erat, qui plures gravioreſque adminiſtrationes ſive in patria, ſive extra patriam ſuſtinuiſſet. Statua illi in Gymnaſio poſita eſt, de qua alibi dixi.

MDCCXXXIII. *Michael Angelus Zanadius* Vicetinus, Syndicus & Proreſtor. Multa illi de genere, de fortunis, de ætate objecta ſunt, ne nomen profiteri poſſet. Omnia Venetiis cum diluiſſet, Triumviralium litterarum commendatione IX. kal. oct. ab Univerſitate electus eſt. Orta controverſia, num prius Conſiliarii, an Profeſſores in publicis diſputationi-

bus

bus salutandi essent, res ita convenit, ut in ipsa Syndici salutatione, quæ omnibus præmitti solet, Consiliarii quoque comprehenderentur, mihique formulæ componendæ negotium datum est. Ceterum *Zanadius* variis implicatus infortuniis curriculum absolvere non potuit. Ejus partes egit *Joseph Aloysius Leporinus* Germanorum Consiliarius.

MDCCXXXIV. VII. id. sextil. *Angelus Teganiti* Argivus, Syndicus & Prorector. Matriculæ consequendæ tempus scholaribus Italis ad menses tres propagatum est, reliquis ad annum totum. Collegiorum, & privatarum scholarum alumni omnes exclusi sunt.

Biennio Ducalis dignitatis vix exacto, *Carolus Ruzzinus* fato cessit, creatusque est ejus loco XV. kal. febr. *Aloysius Pisanus* Eq. & D. Marci Procurator, ingenti totius civitatis lætitia, quam sibi moribus suavissimis demeruerat, benefaciendi studio, & effusa in omnes liberalitate. Ipsi quoque Gymnasii Patavini Professores Triumviro beneficentissimo summum reip. honorem gratulati Statuam posuerunt, addito meritorum indice, de quo alibi dixi, cum scriberem *de Gymnasii Regimine*.

MDCCXXXV. XI. kal. sextil. Idem *Teganiti* Syndicus confirmatus.

Bartholomæus Sellarius Juristarum actuarius adjutorem sibi dari curavit Antonium fratris filium J. U. D. qui gratuitam viventi operam præberet, defuncto autem succederet. Datus est ab Universitate, & Senatus decreto confirmatus x. kal. oct. anni sequentis.

MDCCXXXVI. kalendis oct. Abbas *Bartholomæus Fornoni* Brixianus, Syndicus & Prorector.

MDCCXXXVII. postridie id. sextil. Idem *Fornoni* confirmatus est, ultimusque ex scholaribus locum tam honorificum tenuit. Ex Gymnasio recta migravit ad D. Philippi Oratorium, eique nomen dedit: quod certe, pro hodierna scholasticæ juventutis vivendi licentia, singulare est. Hoc anno

XVI.

xvi. kal. dec. obiit ex Triumvirum ordine *Andreas Superantius* D. Marci Procurator vere magnus, ad omnia dicenda atque agenda, quæ e rep. essent, semper animo & consilio paratus.

MDCCXXXVIII. Translata a Scholaribus ad Professores Syndici & Prorectoris potestate, *Ludovicus Pigbius*, primarius Institutionum Civilium Interpres, iv. id. nov. electus est, & ad novi oneris munia litteris Triumviralibus instructus. Jam, verso Gymnasii statu, novaque inducta rebus facie, Scholarium conventus sublati sunt, Actuariis & Bidellis assidua molestia liberatis; sed aucta magistratus opera est, cui soli in posterum reddenda ratio.

MDCCXXXIX. iii. non. sextil. *Antonius Tertius* Bergomensis, Juris Cæsarei Professor secundarius, Syndicus & Prorector. Mense aprili hujus anni decessit *Jo. Franciscus Maurocenus* Eques, ex IIIVirum ordine, de quo dictum est in cap. *de Gymnasii Regimine*. Anno autem vix circumacto, novum accessit infortunium, e vivis sublato *Augustino Gadaldino*, qui Triumviris erat a secretis & a manu. Vir ex hoc quidem genere supra imitationem positus, Gymnasticis rebus per annos tres & quadraginta operam suam navavit ea diligentia, fide, integritate, quæ adhuc a nostris celebratur, posterisque inveterabit.

MDCCXL. xiii. kal. oct. *Petrus Busenellus* Venetus Clericus Reg. Theat. secundarius Juris Canonici Professor, Syndicus & Prorector. Mense julio anni sequentis supremum diem obiit Venetiarum Dux *Aloysius Pisanus*; eumque excepit *Petrus Grimanus* Eq. ac D. Marci Procurator, ex Triumvirum ordine longe meritissimus, cui propterea titulum statuamque in Gymnasio Professores, collata pecunia, posuerunt. Ibidem *de Gymnasii Regimine*.

MDCCXLI. idibus sept. *Antonius Tertius* Bergomensis, Professor Juris Civilis secundarius, Syndicus iterum & Prorector.

Mense

Mense aprili anni sequentis Eq. & D. Marci Procurator *Laurentius Theupolus* ex ordine Reformatorum decessit. Ibidem *de Gymn. Regimine*. Marcianam Bibliothecam, cui præerat, pæne jam obsolescentem expolivit, auxit, instruxit. Ejus codices MSS. Græcos Latinosque recenseri jussit, & in tabulas rite referri, tabulasque ipsas typis committi, usus maxime opera Antonii Bongiovanni J. U. Doct. Græcarum litterarum peritissimi; quem propterea Senatus aureo numismate, decretoque honorificentissimo ornavit.

MDCCXLII. III. id. sept. *Ludovicus Pighius* Syndicus iterum & Prorector.

Episcopus Patavinus *Joannes Minottus* Gymnasii Archicancellarius hoc anno decessit. A prima adolescentia in aula Romana vixit, sumpto Ottoboni nomine propter affinitatem, quæ illi cum Alexandro VIII. P. M. fuerat. A Benedicto XIII. primum Nazianzi Archiepiscopus, deinde Episcopus Patavinus creatus est. Seminarii, quod in ipso quoque Pontificis diplomate commendatum illi fuerat, præcipuam cogitationem suscepit, usus opera nostra, & consilio Vicarii sui Petri Antonii Corneani, Archidiaconi Patavini, viri nec leviter eruditi, & summa prudentia præditi. Primus magistris stipendia constituit, novumque bibliothecæ conclave, quod *Barbadicus* inchoaverat, perfecit ornavitque, collecta ex typographicis fructibus pecunia. Prædiorum Episcopalium villas, quibus maxime pro sua quadam vitæ innocentia delectabatur, exædificavit, atque instruxit. Cetera executus pro suis viribus, & Episcopali munere, obiit v. id. dec. In ejus locum lectus est *Carolus Card. Rezzonicus*, qui anno sequenti Patavium venit, publicasque omnium ordinum gratulationes de more excepit.

Ex litteris Triumviralibus Prætor edixit, ut scholares, qui in matriculas referri, & earum immunitatibus gaudere vellent, omnino intra novembrem Patavii essent, nomenque darent ante festum D. Catharinæ diem. Qui tardior esset, modo non supra dies quindecim, afferretque caussam suæ tardi-

 tatis

tatis idoneam, matriculæ quidem honorem consequi posset, sed immunitates non item; alii omnes excluderentur. Porro qui matriculam obtinuisset, si toto curriculo scholas frequentaret, ei trientales syngraphas Professores darent jurejurando firmatas; quas intra dies non amplius octo scholaris ipse præsens acciperet, & Veneti Collegii Præsidi statim præberet. Is autem primum nomine suo eas roboraret, deinde in codicem referret, tum Actuario custodiendas committeret; ut per eas demum, qui Lauream peteret, suam in scholis Patavinis moram per annos quatuor secundum leges comprobaret. Siqua ex his conditionibus deesset, nullius fidei, nulliusque momenti syngraphæ haberentur.

MDCCXLIII. XIV. kal. oct. *Jo. Baptista Bortoli* Canonicus Cenetensis, primarius Juris Canonici Professor, Syndicus & Prorector.

MDCCXLIV. kal. oct. *Antonius Tertius* Bergomas, Syndicus & Prorector III.

MDCCXLV. XII. kal. oct. *Petrus Busenellus* Venetus C. R. T. Syndicus & Prorector iterum.

MDCCXLVI. pridie kal. oct. *Ludovicus Pighius* Syndicus & Prorector III.

MDCCXLVII. XVI. kal. oct. *Antonius Tertius* Syndicus & Prorector IV.

MDCCXLVIII. XIII. kal. sept. *Petrus Busenellus* C. R. T. Syndicus & Prorector III.

MDCCXLIX. XVI. kal. oct. *Antonius Tertius* Syndicus & Prorector V.

MDCCL. III. kal. oct. *Pax Marianus* Patavinus, incolatu Venetus, Pandectarum Professor, Syndicus & Prorector. Crescentibus in dies publicanorum querelis, quod frumentariæ, & vinariæ Gymnasii immunitates nimio plus vectigalibus officerent, non tam ipsæ per se, quam illorum malitia, ad quos extra Gymnasium deveniebant, tandem Senatus ex Triumvirum consilio, adhibitis etiam magistratibus aliis, qui

publi-

publico ærario operam suam navant, pridie non. jun. certam pecuniam Professoribus, scholaribus, ac ministris decrevit, quæ loco esset immunitatum, & sine vectigalium damno vetera jura Gymnasio servaret. Scholaribus singulis aureum nummum in annos singulos solvi placuit. Reliqua nomina, paucis expunctis, quæ irrepserant, in tres classes tributa sunt, ut primis quidem argentei viceni quaterni, secundis duodeni, tertiis seni ex pecunia Gymnastica in posterum solverentur. Ceterum immunitates omnino omnes ad victum pertinentes sublatæ sunt, præter carnarias illas, quæ semel in hebdomada Professoribus exteris, primariis administris, & Cottunio Collegio tribui solent. Sed has ipsas eatenus valere placuit; ut in urbano macello emptio fieret. Rem totam edicto suo magistratus explicuit pridie id. oct. typisque edi jussit.

MDCCLI. *Petrus Busenellus* C. R. T. Syndicus & Prorector IV. Objit mense decembri Eq. *Michael Maurocenus*, quem post menses binos secuti sunt *Joannes Paschalicus*, & Venetiarum Dux *Petrus Grimanus*, omnes ex ordine Triumvirum, qui Gymnasio præsunt, de quibus dixi in cap. *de Gymnasii regimine*. Questus est Magistratus III. non. sextil. anni sequentis, quod privatas scholas Professores plerique intermisissent; litterisque ad Prætorem datis declaravit, velle se omnino, ut pnblicis hac de re decretis iterum ac sæpius repetitis & confirmatis omnes parerent. Eodem mense Jurisconsultorum, ac Medicorum Collegiis edixit, ut, quod Senatus jussit anno MDCXXXVI. & confirmavit anno MDCLV. singulis quinquenniis ex urna theses educerent, quæ lauream petentibus assignantur ad disputandum, aliasque reponerent. Atque ad Artes quidem quod attinet, vetuit ne antiquatas retinerent; sed earum rationem haberent, quæ in sæculi more sunt, quantum Aristotelica doctrina patitur, & Gymnasii instituta ferunt. Illud insuper mandavit, ut Collegiorum Præsides, nullo excepto, caverent, ne quæstiones eædem eodem anno producerentur.

MDCCLII. exeunte sept. *Pax Marianus* Pandectarum Professor, Syndicus & Prorector iterum. Hoc anno Marcus Foscarenus Eques & D. Marci Proc. ex Reformatorum ordine, Patavii volumen edidit de Venetorum Litteratura, exquisito judicio summaque elegantia scriptum, quod non Veneti modo, sed Itali omnes uno consensu probarunt.

MDCCLIII. *Antonius Arrighius* Corsus, adoptione Venetus, Juris Civilis Professor primarius pomeridianus, Syndicus & Prorector.

MDCCLIV. *Petrus Busenellus* Syndicus & Prorector V. Ex pecunia, quæ jamdiu avertebatur, scholarum luminibus pæne obstructis recte consuluit; Gymnasii atrium, & cavædium instauravit; porticum, exedras, pavimenta restituit, & ornavit. Senatus pridie non. dec. decretum confirmavit anni MDCCXXXIX. quo Rectoris munus a scholaribus ad Professores translatum est; jussitque Professores singulos in orbem eligi, qui per decretum ipsum idonei declarantur. Et, nequid muneris dignitati deesset, voluit eos examinibus præesse, quæ in Collegiis fiunt ad gradus Academicos conferendos; aliisque adesse publicis Gymnasii exercitationibus, quibus veteres Rectores ac Prorectores ante annum MDCCXXXIX. adesse consueverant. Magistratus porro, litteris ad urbis Moderatores datis, emolumenta adjecit olim Rectoribus & Prorectoribus attributa.

Cum ærarium Gymnasticum, *Boccatici* exigendi forma paucis ante annis immutata, destitutione laboraret, Francisco Molino, civitatis Rectori vigilantissimo, Senatus indulsit, ut ex publica pecunia aliunde sumpta stipendia solveret. Decretum factum est VII. id. jun. MDCCLV.

Triumvir obiit *Daniel Bragadenus* Eq. & D. Marci Proc. gravissimis corporis animique morbis, & Medicorum controversiis diu vexatus. Senatori optimo, antiquis moribus prædito, & in Reip. administratione summa cum amplitudine versato successit VIII. kal. sext. *Joannes Quirinus* D. Marci Procurator.

MDCCLV.

MDCCLV. kalendis oct. *Antonius Tertius* Syndicus & Prorector VI. Jurisconsultorum Collegium de hereditate Vergelensi cogitare cœpit ex testamento Eusebii Vergelensis, de quo diximus ad annum MDXXVI. Quædam moverat anno quoque MDCXLVII. cum heredes omnes defecisse viderentur; sed partim litibus inter eos obortis, qui se institutos putabant, partim illorum industria & sermonibus, qui bona possidebant, suspensum conticuit. Nunc demum jus suum declaravit, & persequi constituit.

Horrifica XVI. kal. sept. anni sequentis post meridiem coorta tempestate, basilicæ Prætoriæ tectum antiquissimæ structuræ, longeque in Italia celeberrimæ, turbine dejectum est; quo casu cives omnes mirum in modum commoti sunt, quamvis de se quisque ædibusque suis cogitare cogeretur. Tota enim urbs ventorum nubiumque conflictu concussa est, stratis alicubi ingenti fragore muris, convulsis tabulatis, effractis vitris, caminis excisis, contortis in horto Medico atque alibi passim arboribus, & solo extractis; ipsaque Gymnasii turri, quæ ædium pars Carrariensium fuit, inclinata & semiruta. Post semihoræ quadrantem differenavit. Simile aliquid contigit in regione hac Patavina anno MDCLXXXVI. ut est in Montanarii nostri libello, cui titulus *Le Forze d'Eolo*, minore quidem urbis damno, sed majore quadam extra urbem domorum atque arborum strage. Turbo uterque indidem ortus est, inter Notum & Africum. Sed prior ille passuum millia circiter quadraginta, hic plus centum diruendo vellendoque excurrit. E vicanis pauci quidam periere, intra urbem nemo unus desideratus est. Idcirco habita pluribus in templis trium dierum supplicatio est, gratesque Superis actæ, præeunte non verbis modo & adhortationibus, sed effuso in omne pietatis genus exemplo Eminentiss. Ecclesiæ hujus Antistite. Ad rem nostram quod attinet, turris statim, diligenti adhibita duorum Professorum opera, Poleni & Columbi, undique munita & solidata est.

MDCCLVI.

MDCCLVI. kal. octobr. *Antonius Arrighius* Syndicus & Prorector II.



DE

DE JURISTARUM SCHOLIS, ET PROFESSORIBUS ORDINARIIS, & EXTRAORDINARIIS AB ANNO MDXVII.



Am ex hoc tempore videmur nobis Scholarum discrimina dare posse, Professoresque omnes per classes & tempora fideliter recensere, suffragantibus operæ nostræ tabulariorum Actis, Senatusconsultis, Collegii mandatis, Triumvirum rescriptis, tabulis Quæstoriis, & Rotulis. Ne quid autem in titulo statim ipso sit obscurum, aut ambiguum, scire licet, primis temporibus Juris Canonici Professores Decretales dumtaxat in Gymnasio prælegisse, Professores Juris Civilis Digestum vetus, & Justiniani Codicem; idque horis legitimis matutinis, & pomeridianis. Postea ad studiosam juventutem alliciendam aliæ quoque Juris utriusque partes explicari cœperunt, sed extra ordinem vesperi, vel meridie. Tum porro, cum alia atque alia ad Jus pertinentia temporum & studiorum ratio postulasset, festis quoque diebus, & quovis titulo vacantibus attributi Professores sunt. Hinc orta nomina scholæ *Ordinariæ*, & *Extraordinariæ*, diei *Ordinarii*, & *Extraordinarii*. Cum autem Professores ipsi *Ordinarii* esse, vel *Ordinarie legere* dicuntur, id eo spectat, ut distinguantur a *Substitutis*, qui olim in more erant, ne unquam scholæ vacarent. Idem dictum volo de Artium ac Medicinæ scholis, quæ principio quidem non multæ erant, sed postea in sua quædam membra divisæ numero crevere; & per hæc ipsa nomina aliæ ab aliis distinctæ sunt.

JURIS CANONICI SCHOLÆ.

Prima Juris Canonici Schola Ordinaria matutina.

Ad primum, & secundum Decretalium Librum.

JO. *Franciscus Mussatus* Patavinus anno MDXV. fertur electus fuisse a Bartholomæo Liviano Venetarum copiarum Ductore ad Sacros Canones publice interpretandos. Sed de re hac nihil est, quod certo constet. Illud tamen constat, *Mussatum* ante bellum Jus Pontificium explicuisse, & belli tempore inter eos fuisse, qui Juris studiosis Lauream tradebant.

Anno MDXVIII. postrid. id. oct. ad scholam hanc primam aperiendam accitus est *Balthassar Carduccius* Florentinus, cum jam anno superiore in secunda ingenii sui specimen ultro dedisset. Constitutum autem illi stipendium est florenorum D. In Pisana Academia prius docuerat, ibique Lauream ceperat: qua de re non nihil negotii Jurisconsultorum Collegium homini exhibuit. Anno sequenti IV. kal. nov. ad scholam primam Juris Civilis translatus est: sed cito ad hanc ipsam rediit, aucto stipendio ad florenos DCC. Cum uxorem amisisset, ejusque desiderium ferre non posset, Patavio discessit, seque Venetias contulit. Mox inde in Patriam rediit, ibique fatis agitatus mortem occubuit anno MDLII. De illo M. Mantua n. 55. Pancirolus l. 3. c. 53. & Papadopolus t. I. p. 249.

MDXXI. VII. id. Jan. *Petrus Paullus Parisius* Consentinus ex Romano Gymnasio Patavium excitus est florenis DL. Anno post translatus est ad scholam primam Juris Civilis pomeridianam, additis stipendio ejus florenis CC.

MDXXIII. pridie id. nov. *Bernardinus Claricius Gammarus*, vulgo *Gambaro*, Bononiensis suffectus *Carduccio* est florenis CCCLX. Obiit anno MDXXVIII. idib. Jun. ætate adhuc

adhuc viridi, sepultusque est in templo S. Mariæ de Avantio, ut scribit Mantua, qui paucis verbis ejus laudes complexus est n. 56. Pancirolus l. 2. c. 133. præter *Bernardinum* memorat *Laurentium Gammarum* Petri Andreæ filium, aitque eum quoque Patavii docuisse, unde postea Bononiam rediit.

Post *Gammarum* vacavit locus primus usque ad annum MDXXXIX. quo ineunte traductus est ex secundo *Sigismundus Brunellus*, statimque Triumvirali mandato docere jussus, quod mense octobri confirmatum est auctoritate Senatus. Anno MDXLII. XIV. kal. nov. auctum est stipendium ejus ad florenos CCL. Sed obiit anno post nondum senex. De illo Scardeonius l. 2. class. 8. p. 194. Pancirolus l. 3. c. 58. & Mantua n. 224.

MDXLIV. XI. kal. dec. evocatus est florenis CDL. *Joannes Baptista Ferretus* Vicetinus, qui cum secundum locum tenuisset anno MDXXXV. primi spe frustratus Gymnasio exierat.

MDXLV. *Ferreto*, qui ne totum quidem annum expleverat, XVI. kal. nov. successit *Julius Scarlatinus* Regiensis stipendio florenorum CCCLX. Sed anno sequenti schola vacare cœpit, vacavitque per annos viginti. Cum enim nemo inveniretur primo loco par, Professores duo conditione una atque eadem secundum tenebant.

MDLXVI. v. kal. nov. *Jacobus Menochius* Papiensis ex Gymnasio Montis Vici, quod nunc Taurini est, accitus scutatis trecenis. Triennio post solutum illi totius anni stipendium est in antecessum ad sororem collocandam. Anno MDLXXII. ad scholam secundam Juris Civilis matutinam translatus est, aucto stipendio ad florenos DCC. ut cum *Tiberio Deciano*, Jurisconsulto ejus ætatis principe, vel inter principes, disputaret. Successit autem III. non. sept. Eques & Comes *Marcus Benavidius Mantua* stipendio florenor. DCCC. ex prima Juris Civilis schola matutina traductus. Biennio

post viribus atque ætate fractus, cum missionem peteret, Professor *Supraordinarius* declaratus est, ut si quando posset, aut vellet, in Gymnasio doceret; interim tamen nomine suo longe celeberrimo album Gymnasticum ornaret, sed stipendio imminuto ad florenos CCCC. Vixit usque ad non. april. MDLXXXII. & in ejus funere Orationem habuit *Riccobonus*, quæ adhuc extat. Numismate quoque ejus memoria ad posteros propagata est. Vide Tomasinum in Elogiis p. 117. & Papadopolum t. 1. p. 256. ubi ejus opera referuntur plane multa, inter quæ eminet *Epitome Virorum illustrium*.

MDLXXIV. v. kal. nov. *Benedictus Barisellus* Montaneanensis ex Ecclesiastico Venetiarum foro senex accitus est florenis CCC. Anno vertente fatis concessit Gymnastico labori impar, ut scribit Riccobonus l. 3. c. 9.

MDLXXV. Ineunte octobri *Bartholomæus Silvaticus* Patavinus ex schola Criminalium translatus est florenis CCC. qui anno MDLXXX. aucti sunt ad quingenos. Hoc ipso anno Venetias accitus est, ut de Rep. consuleretur, ejusque locum Substituti nomine occupavit *Terentius de Terentiis*, qui scholam secundam tenebat. Anno sequenti ad Cæsarem ire jussus est Venetorum Oratorum comes & adsessor, idemque *Terentius* ejus vices in Gymnasio sustinuit. Cum rediisset donatus est a Senatu, decretoque honorificentissimo Eques declaratus. Statim docendi munus recepit, & anno demum MDXCIII. confirmatus est ad totam vitam, additis stipendio ejus florenis centenis. Quadriennio post secutus est Aloysium Mocenicum, ut ei consilio adesset, ad fines constituendos inter Venetam Remp. & Alphonsum II. Ferrariæ Ducem. Obiit anno MDCIII. De illo scripsere Pancirolus, & Papadopolus, sed plura Riccobonus in l. 2. de Gymn. c. 14. & Tomasinus in Elog. p. 217.

MDCIII. *Marcus Antonius Peregrinus* Vicetinus, Patavina Civitate donatus, & Eques a Senatu Veneto creatus, cum vix egressus adolescentia anno MDLVIII. Juris Civilis insti-

Institutiones in Gymnasio tradidisset, postea vero ad secreta Senatus consilia fuisset adhibitus, demum IV. non. oct. MDCIII. scholæ huic præfectus est, attributo stipendio florenor. DC. quod auctum est ad octingenos anno MDCX. additis honoribus & commodis, quæ ex Jurisconsultorum Collegio percipiuntur. Obiit sexennio post nonis decemb. vitamque ejus præter alios scripsit ex professo Tomasinus, ediditque apud Frambottum anno MDCXXXVI. Ejus opera, quod paucis contigit, ætatem tulerunt, & nostrorum causidicorum manibus quotidie teruntur. Edita sæpe sunt in Italia, & extra Italiam, postremo Venetiis an. MDCCXXXIV.

MDCXXV. Postrid. non. nov. *Albertinus Miliaria* traductus est ex loco secundo florenis DC. Peste absumptus decessit anno MDCXXXI. Memoratur cum laude a Riccobono, & Portenario. Anno MDXCVII. XIII. kal. jul. publico Universitatis testimonio Magistratui commendatus est. Ex Actis Cod. 70. p. 9.

MDCXXXVI. Prid. non. nov. *Lælius Mancinus* Pisanus Canonicus Politianus, ex patrio Gymnasio deductus est stipendio florenor. CM. condonatis præterea centum ad itineris expensas. Bis confirmatus est, aucto stipendio anno MDCXLIX. ad florenos MD. Post quinquennium sponte discessit, ut colligitur ex Decreto Senatus, quo illi successor datus est. De ejus vita, & operibus Papadopolus t. I. p. 272. Extat ejus effigies, in cujus titulo dicitur in Pisano & Patavino Gymnasio ter Civilis, ter itidem Pontificii Juris interpres.

MDCLIV. Prid. id. oct. *Jacobus Sala* Canonicus Patavinus traductus est a schola hujus classis secunda stipendio florenor. DCCC. qui ter aucti, anno demum MDCLXXI. crevere ad quadringenos supra mille. Obiit quinquennio post. De illo, totoque genere & familia ejus Salomonius in inscriptionibus Urbis Patavinæ pa. 360. & Papadopolus in t. I. p. 364.

MDCLXXVII. III. id. Febr. *Hiacynthus Palumbus* Nea-

Neapolitanus, qui & Messanæ, & Panormi magna nominis fama docuerat, conductus est flor. DCCC. Sed cum primo die, quo docendi munus capessebat, deficiente memoria, descendere ex suggesto re infecta coactus esset, mærore contabuit, & intra annum mortuus est. De illo Papadopulus t. 1. p. 154.

MDCLXXVIII. xvi. kal. jun. *Almericus Passarellus* Ferrariensis, ex patrio Gymnasio evocatus florenis octingenis. Triennio post transiit ad primam Juris Civilis scholam pomeridianam.

MDCLXXXI. x. kal. nov. *Antonius Vaira* Venetus, Civitatis Austriæ Canonicus, ex prima Institutionum schola traductus est florenis CCCC. qui iterum ac sæpius aucti anno MDCCX. crevere ad ducenos supra mille. Anno post Episcopus Parentinus creatus est, indulsitque Magistratus, ut stipendia illi usque ad Consecrationis diem solverentur. Ad Ecclesiam Adriensem translatus Rodigii supremum diem clausit VIII. id. oct. MDCCXXXII. ævi sui tertio & octogesimo. Edidit magnæ formæ volumen de Œcumenica Papæ potestate, neque caruit adversariis. Ceterum in ejus vultu & oratione mirifica quædam fuit gravitatis cum humanitate conjunctio, qua sibi juventutem conciliabat.

MDCCXIII. Prid. kal. febr. *Nicolaus Comnenus Papadopolus* Cretensis ex prima sacrorum Canonum schola pomeridiana traductus est stipendio suo, quod anno sequenti auctum est ad florenos M. postea vero usque ad MD. Anno MDCCXXXVIII. postrid. id. nov. ætatis missionem obtinuit, servatis ad honorificum reliquæ vitæ otium florenis millenis. Anno MDCCXL. exeunte januario, mortuus est, ætatis quinto & octogesimo. Pueritiam egit Romæ in Collegio S. Athanasii, ex quo ad Societatem Jesu migravit anno MDCLXXII. Cito pertæsus exivit, & Abbas S. Zenobii creatus est a Magno Etruriæ Duce Cosimo III. Inde Justinopolim se contulit, qua in Urbe nobilium adolescentium collegio

gio præfuit. Cum quædam scripsisset de controversiis inter Græcos Episcopos, & Latinos, cœpit in luce esse, & ad Patavinum Gymnasium accitus est. Postea Prænotiones Mystagogicas emisit anno MDCXCVII. & Gymnasii ipsius Historiam anno MDCCXXVI. Opus utrumque auctore suo dignum; sed primum illud pro studiorum suorum ratione sponte edidit, alterum pæne coactus, quod ante annos plus triginta fidem suam de re hac Triumviris obstrinxisset. Vir fuit admodum gravis, sibique ac secum in senectute vixit; ceterum pietate, ac religione eximia. In Græcis litteris plurimum valuit, Latinarum non ignarus: in gravioribus autem disciplinis tantum operæ studiique posuit, quantum satis fuit, ut sæculo suo doctus haberetur, & locum suæ classis primum cum dignitate famaque teneret. Illud vel maxime ad ejus laudem facit, quod cum inter Romanæ Rotæ Judices locus Venetus vacasset, unus ex quatuor Papadopolus fuit, quos Senatus Clementi XI. tamquam idoneos sibique probatos exhibuit.

MDCCXXXIX. Prid. id. Feb. *Jo. Baptista Bartolus* Canonicus Cenetensis, ex secundo loco traductus est florenis DC. qui anno MDCCXLIV. aucti sunt ad octingenos. Cum magnam sibi probitatis doctrinæque famam peperisset, anno MDCCXLVII. Feltriæ Episcopus creatus est. Sub ipsum Studiorum principium antequam initiaretur, scholam unam habuit magna omnium ordinum frequentia; solutumque illi stipendium est usque ad kalendas martias anni sequentis ex decreto Senatus. Postea scriptis quoque nominis sui immortalitati consuluit.

MDCCXLVIII. xv. kal. sextil. *Antonius Tertius* Bergomas ex secunda pomeridiana Juris Civilis schola evectus est stipendio suo florenor. DCCC. qui anno sequenti aucti sunt ad millenos, sexennio autem post ad MCC.

SECUN-

SECUNDA JURIS CANONICI SCHOLA ORDINARIA MATUTINA.

Ad primum & secundum Decretalium librum.

ANno MDXVII. XVI. kal. dec. *Antonius Franciſcus de Doctoribus* Patavinus, qui anno MCCCCLXIV. verſari in Gymnaſio cœperat, magnamque nominis famam in Italia tota ſibi comparaverat, evocatus eſt ad ſcholam hanc regendam florenis CCC. cum interim *Balthaſſar Carduccius* ad exercendum ingenium gratis doceret. Quadriennio poſt XII. kal. ſept. translatus eſt ad Decreti ſcholam, detractis pro penſi ratione ſcholæque natura florenis C.

MDXXIII. XIV. kal. apr. *Marcus Mantua Benavidius* Patavinus, qui ſcholam Sexti Decretalium primam tenebat, juſſus eſt a Magiſtratu ad hanc ſine mora tranſire, non alio tamen titulo, quam Subſtituti & Promagiſtri, ne locus tanti momenti vacaret. Sed eodem tempore litteræ ad Civitatis Rectores datæ ſunt, ut diligenter adverterent, ac referrent de induſtria, ingenio, & doctrina ejus. Cum expectationi reſpondiſſet, eodem anno V. id. nov. a Senatu confirmatus eſt, conſtituto ſtipendio florenor. LXXX. quibus ſeptuageni additi ſunt anno MDXXXI. IV. id. mart. Paucis poſt menſibus migravit ad ſecundum Juris Civilis locum Ordinarium matutinum, aucto rurſus pro hominis fama & Principis munificentia ſtipendio.

MDXXXI. XV. kal. dec. *Jo. Baptiſta Ferretus* Vicetinus, qui alias in Gymnaſio docuerat, conductus eſt florenis CCLX. datuſque illi anno poſt collega *Sigiſmundus Brunellus* Patavinus, de quo infra. Anno MDXXXV. auctum ejus ſtipendium eſt ad flor. CCCL. Sed ſpes adempta loci primi, ad quem cum dignitate occupandum nondum ſatis idoneus judicabatur. Id Ferretus ægre ferens diſceſſit, ejuſque locum occupa-

cupavit jussu Senatus per menses aliquot *Jo. Franciscus Comes Lucernæ* Pedemontanus, ad periculum ingenii faciendum.

MDXXXII. IX. kal. nov. *Sigismundus Brunellus* Patavinus, qui scholam tenebat pomeridianam florenis C. ad hanc translatus est, ut *Ferreto* comparatus cum eo certaret, pro ejus ætatis more; quandoquidem locus primus vacabat. Anno MDXXXIV. postridie non. oct. duplicatum illi stipendium est; quinquennio autem post ad locum primum ascendit.

MDXXXIX. *Bernardinus Bonfius*, al. *Bonfilius*, Canonicus Patavinus, sub ipsum anni initium scholam hanc occupavit per litteras Triumvirales, sed sine stipendio ad ingenii experimentum. Ejus industria probata, Senatus v. id. oct. electionem confirmavit, constituto stipendio florenor. LXXX. qui semel atque iterum aucti anno demum MDXLVII. crevere ad CCLX. Obiit anno MDLI. VII. id. aug. nondum senex, de quo magister ejus Mantua n. 65. & Scardeonius lib. 2. Clas. 6. p. 146.

MDXLVII. nonis oct. *Jacobus Philippus Porcius* Imolensis datus est *Bonfio* collega & antagonista, geminato loco secundo; quod neuter ea fama esset, ut primum occupare jure ac merito posse videretur. Constitutum illi stipendium est florenor. CXL. quibus anno MDL. additi sunt sexageni, decennio autem post præterea centeni. Anno MDLXI. Romam se contulit a Pontifice vocatus; ejusque locum occupavit Substituti nomine *Hieronymus Niger* Veronensis, Canonicus Turricellanus, stipendio florenorum XXX. litteris Triumviralibus assignato. Sed cito scholam cessit *Philippo Octaviano*, de quo infra.

MDLIII. XVI. kal. oct. *Joannes Riccius* Venetus, petente Universitate, *Bonfio* successor datus est, ut *Porcii* antagonista esset, constituto stipendio florenor. CCCL. Sed anno MDLVI. vel abiit, vel obiit. Memoratur a Pancirolo in l. 2. de Clar. Leg. Interpr. c. 71. & Florentiæ docuisse dicitur.

MDLXI.

MDLXI. IV. id. dec. *Philippus Octavianus de Cantu* Montaneanensis a prima Institutionum schola translatus est florenis CXXX. Anno MDLXVIII. ad Institutiones rediit, ad quas explicandas maxime idoneus videbatur.

MDLXIV. Pridie kal. nov. *Caspar Fabianus* Patavinus ex schola pomeridiana secunda traductus est, ut cum *Philippo Octaviano* certaret, loco par. Anno MDLXVI. aucto stipendio ad florenos CLX. locum primum pomeridianum obtinuit.

MDLXVIII. IX. kal. jan. *Michael Quarantaocto* Patavinus traductus ex schola prima vespertina Textus, Glossæ, & Bartholi florenis sexagenis, ut *Menochii*, qui primum locum tenebat, antagonista esset. Anno MDLXXIV. confirmatus est adjectis stipendio ejus florenis vicenis, & in Jurisconsultorum Collegium allectus. Triennio post regendam suscepit Feudorum scholam florenis CXX. Sed anno MDLXXXVI. rediit ad Jus Canonicum loci secundi pomeridiani, imminuto stipendio ad florenos quinquagenos, ut constat ex decreto Senatns VII. id jun. & ex tabulis Quæstoriis. Obiit anno MDXCVII. De illo totaque familia Quarantoctia Riccobonus l. 2. c. 3.

MDLXXVII. III. non. oct. *Terentius de Terentiis* Patavinus translatus est ex schola prima vespertina Textus, Glossæ, & Bartholi stipendio florenorum C. Sed ex his anno MDLXXXVI. detracti sunt quinquageni decreto Senatus VII. id. jun. Cum enim, absente *Silvatico*, ejus vices sustineret, atque emolumenta hoc titulo perciperet, ea in summam computari Princeps voluit. Docuit usque ad annum MDXC. quo mortuus est. De illo & scriptis ejus Riccobonus l. 2. c. 18.

MDXC. *Antonius Zoncha* Patavinus, origine Bergomas, florenis conductus est quinquagenis, quibus post annos octo additi sunt præterea C. Valuit etiam eloquentia, & orator habitus est valde bonus. Obiit anno MDCII. Riccobonus laudes ejus complexus est cap. 19. libri 3. & Donatus Calvi in Scena Litter. P. I. p. 61.

MDCII.

MDCII. Nonis apr. *Albertinus Miliaria* Patavinus ex secundo Institutionum loco traductus est florenis C. qui anno demum MDCXVII. prid. non. oct. aucti sunt ad CCCCL. Eodem porro Senatus decreto æquatus est *Silvatico* loci primi Professori, ipsumque locum primum occupavit anno MDCXXV.

MDCXXVI. III. Non. feb. *Nicolaus Noalius* ex Valle Marina conductus est flor. CCCC. & Jurisconsultorum Collegio statim adscriptus. Primam scholam habuit more solemni V. non. majas, & ut scribit Tomasinus l. 4. p. 449. satis frigide se gessit. Anno post ob infirmitatem memoriæ onus deposuit.

MDCXXVIII. VI. id. apr. *Marcus Marchianus* Vicetinus electus est decreto Senatus *per modum provisionis*, assignatis in annos singulos, quibus doceret, florenis quinquagenis supra centum. Biennio post, expectationem cum explevisset, conductus est ad sexennium florenis CC. Anno MDCXXXI. ad primum locum pomeridianum ascendit, aucto stipendio ad florenos CCC.

MDCXLI. XIII. kal. aug. *Jacobus Sala* Canonicus Patavinus ex Feudorum schola traductus est florenis CCCCL. qui intra annos duodecim crevere ad octingenos. Anno MDCLIV. prid. id. oct. evectus est ad locum primum.

MDCLIV. X. kal. nov. *Jo. Antonius de Bonis* Canonicus Athestinus conductus est flor. CC. qui ter aucti anno demum MDCLXXVIII. non. apr. crevere ad DL. Cum obiisset, successit anno MDCLXXXIV. idib. decemb. *Joannes Palatius* Venetus, D. Marci Canonicus, florenis conductus CCCC. Quadriennio post, relicta schola, in patriam rediit, ut parœciæ S. Mariæ Matris Domini operam navaret. Interim tamen multa scriptitavit, magnisque voluminibus edidit.

MDCLXXXVIII. IV. kal. Jan. *Nicolaus Comnenus Papadopolus* Cretensis ex Collegio Justinopolitano, cui præerat, ad Patavinum Gymnasium accitus est, eique commissa schola hæc stipendio flor. CCCC. quibus præterea duceni additi sunt anno MDCXCIX. Quadriennio post ascendit ad locum primum.

MDCCV. Poſtrid. non. aug. *Cyprianus Benalea* Brixianus, Monachus Caſſinenſis, poſtea Abbas, conductus eſt flor. CL. qui ſexennio poſt aucti ſunt ad CCC. Anno MDCCXIII. ad primam Juris Canonici ſcholam pomeridianam translatus eſt.

MDCCXV. v. kal. jun. *Petrus Bertoldus de Amatis* Patavinus S. Sophiæ Præpoſitus, qui alias in Gymnaſio docuerat, revocatus eſt ſtipendio flor. CC. qui anno MDCCXXIII. XII. kal. jul. aucti ſunt ad CCCL. Quadriennio poſt migravit ad locum primum Juris Civilis pomeridianum.

MDCCXXVII. IX. kal. maj. *Antonius Arrighius* Corſicus ſucceſſit, florenis conductus quadringenis. Anno MDCCXXX. ad primum Juris Civilis locum pomeridianum tranſmiſſus eſt.

MDCCXXXI. III. kal. ſept. *Jo. Baptiſta Bartolus* Venetus Canonicus Cenetenſis, conductus eſt ad ſcholam hanc flor. CCCC. Opuſculo commendatus, quod de Juris æquitate ediderat. Anno MDCCXXXIX. prid. id. feb. aſcendit ad locum primum, additis ſtipendio ejus florenis CC.

MDCCXXXIX. VII. id jul. *Petrus Buſenellus* Venetus Clericus Regularis, ex ſecunda Logicæ ſchola ad hanc translatus eſt ſtipendio florenorum CCL. quibus centeni additi ſunt III. non. jun. MDCCXLV. Confirmatus eſt anno MDCCLII. VII. id. majas, aucto ſtipendio ad florenos CDLXXX. Scholæ famam doctrina & aſſiduitate ſuſtinet; Græcoque Vinealium Collegio ſumma prudentia præeſt.

TER-

TERTIA JURIS CANONICI SCHOLA MATUTINA

PATAVINIS ASSIGNATA STIPENDIO FLORENORUM XX.

INſtituta eſt ſchola hæc, cum deſiit tertia libri ſexti Decretalium, eamque occupavit anno MDLXIV. *Clemens Tealdinus*, qui anno poſt tranſiit ad locum tertium pomeridianum: tum poſtea rediit, & rurſus abiit eodem.

Cum diu ſchola vacaſſet, anno MDXC. eam obtinuit *Albertinus*, al. *Ubertinus*, *Miliaria*, qui triennio poſt migravit ad pomeridianam. Statim ſuffectus eſt *Thaddæus Piſo Soacia*, qui ſæculum clauſit.

MDC. VII. id. decemb. *Marcus Antonius a S. Cruce*, cui poſt annos plus quindecim ſucceſſit *Antonius Bradiolus*.

MDCXXI. xv. kal. ſept. *Marius Guſella*.

MDCXXV. Pridie id. dec. *Bartholomæus Silvaticus* junior. Poſt annos tres cum receſſiſſet, ſchola diu vacavit.

MDCLX. Id. jan. *Ubertinus Diſcalcius*, qui quadriennio poſt tranſiit ad Regulas Juris.

MDCLXIV. Idib. mart. *Jo. Baptiſta de Doctoribus*. Hic quoque ad Regulas Juris poſt annos quatuor evectus eſt.

MDCLXX. Poſtridie non. febr. *Franciſcus Maria Cittadella*, qui ſe hoc ipſo anno kalendis nov. abdicavit. Eodem menſe electus eſt *Petrus Laurentius Malacreta*, qui docuit per annos novem, poſtea vero ad Parmenſe Gymnaſium migravit.

MDCLXXIX. Kalendis dec. *Jo. Antonius Bonſius*, al. *Bonfilius*, qui non perrexit ultra annum.

MDCLXXX. XIII. kal. dec. *Petrus Bertoldus de Amatis*. Anno MDCXC. receſſit: ſed anno MDCCXV. v. kal. jun. rurſus in Gymnaſium rediit ad regendam ſcholam ſecundam Juris Canonici matutinam.

MDCXCI. *Antonius Bombardinus*, qui poſt triennium ad Criminalia tradenda electus eſt.

MDCXCIV. *Carolus Pochinus*, qui anno MDCCIII. ex Gymnaſio diſceſſit. Revocatus eſt anno MDCCXXVI. ad rerum Criminalium ſcholam.


MDCCIII. v. id. maj. *Joannes Antonius Moti*.

MDCCVI. III. kal. feb. *Carolus Antonius Solari*, qui ſe anno MDCCXIV. idib. febr. abdicavit.

MDCCXIV. xv. kal. dec. *Angelus Maraſca*, qui docuit per annos tredecim.

MDCCXXVII. xv. kal. dec. *Jo. Maria Panighettus*, qui cum aſſiduam ſcholæ operam publice privatimque impenderet, ſcriptiſque etiam ingenii ſui ſpecimen dediſſet, anno demum MDCCLIV. evectus eſt ad ſcholam Juris Civilis ſecundam Ordinariam pomeridianam.

MDCCLIV. XII. kal. jul. *Orlandus de Perotiis*.



PRI-

PRIMA JURIS CANONICI SCHOLA

ORDINARIA POMERIDIANA

Ad tertium, quartum, & quintum Decretalium Librum.

ANno MDXVIII. *Bartholomæus de Urbino* ex ſchola hujus claſſis ſecunda III. id. nov. traductus eſt, aucto ejus ſtipendio ad florenos CCXX. additaque conditione, ut per annos decem nullum præterea augmentum peteret. Anno MDXXI. Triumvirum auctoritate prope fuit ut mitteretur ad ſecundam matutinam: ipſe autem multa miſcuit, ne loco moveretur, obtinuitque hanc in rem Senatus decretum. Cum anno toto MDXXVI. ſcholis abſtinuiſſet, cauſſa non ſatis probata, proximo ineunte per litteras Ducales coactus eſt munus reſumere; ſuſtinuitque uſque ad ſextilem anni MDXXVIII. quo mortuus eſt, non quidem ita ſenex, ut ſcribit Scardeonius l. 2. Claſ. 8. p. 189. ſed anno ætatis quinto & ſexageſimo vix exacto, ut habet ſepulchri titulus in æde S. Franciſci.

MDXXXI. XVI. kal. nov. *Thomas Zanechinus* Vicetinus conductus eſt ad biennium flor. CL. & in Collegium Juriſconſultorum menſe proximo receptus. Quinquennio poſt diſceſſit, locumque vacuum reliquit uſque ad annum MDXL. quo anno revocatus eſt florenis centenis. Biennio poſt eodem ſtipendio ad primam Decreti ſcholam migravit.

MDXLIII. IV. id. oct. *Petrus Philippus de Matthæolis* Peruſinus ex Criminalium ſchola ad hanc traductus eſt florenis CC. quibus triceni additi ſunt quadriennio poſt. Anno MDLI. vacare locus cœpit.

MDLXVI. *Caſpar Fabianus* Patavinus ex loco ſecundo matutino ad hunc traductus eſt, aſſignatis florenis CLX. per litteras Triumvirales, quæ anno poſt decreto Senatus confirmatæ

matæ

matæ ſunt. Stipendium ejus ſæpius auctum anno demum MDLXXVIII. pervenit ad florenos CCCXX. Sed anno MDLXXXII. e vita diſceſſit, a Riccobono, & Scardeonio laudatus.

MDLXXXII. III. kal. nov. *Sebaſtianus Monticulus* Vicetinus ex loco ſecundo traductus eſt ſtipendio florenor. CCXX. qui ſæpius aucti anno MDCVII. IV. id. nov. crevere ad DCL. Obiit anno MDCXI. Ejus laudes & opera memorat Riccobonus l. 2. c. 20. & ex eo Papadopolus.

MDCXI. Pridie non. oct. *Jo. Jacobus Marta* Neapolitanus *Monticulo* ſucceſſit flor. DCL. qui anno MDCXV. aucti ſunt ad octingenos. Biennio poſt translatus eſt ad locum ſecundum Juris Civilis pomeridianum.

MDCXVII. Pridie non. oct. *Alexander Syncliticus* Cyprius, cum Venetiis degeret, & inter doctos haberetur, ad ſcholam hanc regendam florenis CDL. accitus eſt. Anno MDCXXIII. migravit ad locum ſecundum Juris Civilis pomeridianum, *Carbonchio* Peruſino æquatus loco & ſtipendio.

MDCXXIV. XV. kal. oct. *Camillus Pancetta* Serravallenſis, Canonicus primum Cenetenſis, deinde Patavinus, ex ſchola ſecunda aſcendit ſtipendio florenor. CC. Anno MDCXXXI. graſſante Patavii peſte, in patriæ portum confugit, ſed locum mutavit, non fatum. Ibi enim mortuus eſt eodem anno. De illo Tomaſinus in Elog. t. 2. p. 241.

MDCXXXI. XIII. kal. jan. *Marcus Marchianus* Vicetinus, Canonicus Patavinus, ex ſchola ſecunda matutina traductus eſt flor. CCC. qui iterum ac ſæpius aucti, anno MDCLVI. pridie non. jul. crevere ad quinquagenos ſupra mille. Triennio poſt V. id. Apr. Romam ſe contulit bona Principis venia, pollicitus ſe ad anni proximi ſtudia rediturum. Sed cum fidem feſelliſſet, V. id. jan. MDCLXI. locus vacuus declaratus eſt per litteras Triumvirales; ipſe autem *Marchianus* anno MDCLXIII. Feltriæ Epiſcopus creatus. Non tamen ſuam illam Eccleſiam videre potuit; ſed in itinere morbo

bo correptus Patavii obiit eodem anno pridie kalend. auguſt.

MDCLXI. x. kal. oƈt. *Antonius Paulucius* Venetus, Canonicus Patavinus, ex Codicis ſchola traduƈtus eſt florenis DL. quibus duceni additi ſunt quadriennio poſt. Anno MDCLXXIII. inter Romanæ Rotæ Judices, proponente Senatu, relatus ad eam urbem migravit; vacavitque locus hic annos amplius quadraginta.

MDCCIII. x. kal. april. *Nicolaus Comnenus Papadopolus* Cretenſis ex ſchola ſecunda matutina traduƈtus eſt ſtipendio ſuo, quod auƈtum eſt ad florenos oƈtingenos anno MDCCVIII. VIII. kal. ſept.

MDCCXIII. VIII. kal. apr. Cum *Papadopolus* ad ſcholam primam matutinam tranſiſſet, ſuffeƈtus eſt *Cyprianus Benalea* Abbas Caſſinenſis, qui ſecundam tenebat matutinam, florenis trecentenis, qui poſtea ſæpius auƈti, demum anno MDCCXL. idibus jan. crevere ad CML. Porro cum anno MDCCXLIII. XIV. kal. febr. ſuæ Congregationis Præſes eleƈtus fuiſſet, veniam ſilendi obtinuit per triennium, quæ poſtea produƈta eſt ad quadriennium. Anno MDCCXLVII. kalendis martiis ætatis vacatio viro egregio conceſſa eſt, detraƈtis flor. CCCCL. Sed triennio poſt iiſdem kalendis diem ultimum clauſit. Edidit philoſophicum curſum, antequam Gymnaſium ingrederetur, paucis notum. Per hos annos, quibus in Gymnaſio fuit, magnam ſibi doƈtrinæ & ingenii famam voce comparavit; ſed nihil in aſpeƈtum lucemque protulit, quod ad poſteritatis fruƈtum referretur.

MDCCLII. VII. id. maj. datus eſt Benaleæ ſucceſſor ex eodem Caſſinenſium ordine *Benediƈtus Oƈtavius de Ruſticis* Florentinus, florenis conduƈtus CCCLX. eodemque menſe proluſionem habuit gravem & elegantem.

SECUN-

SECUNDA JURIS CANONICI SCHOLA POMERIDIANA

Ad tertium, quartum, & quintum Decretalium Librum.

ANno MDXVII. xii. kal. dec. *Bartholomæus de Urbino*, al. *Urbinas*, al. *Urbinius*, Patavinus, qui superioribus annis ante bellum in Gymnasii scholis versatus cum laude fuerat, revocatus est ad locum hunc occupandum flor. CL. augendis ad CCXX. anno proximo, quo evectus est ad locum primum.

MDXVIII. xvi. kal. dec. *Jo. Baptista Ferretus* Vicetinus ex Universitatis judicio, cui arbitrium per litteras Ducales concessum fuerat, conductus est florenis LXXX.

MDXXI. xii. kal. sept. cum *Ferretus* abdicasset, *Ludovicus Braynus* Patavinus, qui anno MDIII. docere cœperat in sexti Decretalium schola tertia, conductus est ad hunc locum florenis LXXX. Paullo post Ecclesiæ se totum dedit, Veneti primum Patriarchæ, tum Episcopi Veronensis Vicarius, postremo Cathedralis Patavinæ Mansionarius. De illo Scardeonius l. 2. Clas. 8. p. 193. & Mantua n. 178.

MDXXIV. xiv. kal. jan. *Ludovicus Gomezius* Hispanus Oriolæ in Valentia natus, ex schola Sexti secunda ad hanc traductus est stipendio suo florenorum LI. Post aliquanto Romam profectus, inter Rotæ illius Judices relatus est, tum Archiepiscopus Sarnensis electus. De illo Pancirolus lib. 3. c. 54. & Mantua n. 176.

MDXXV. Pridie kal. dec. *Sigismundus Brunellus* Patavinus, & *Jo. Franciscus Oserius* Tolentinas simul conducti florenis L. & ut stipendio, ita loco æquati. Sed *Oserius* anno MDXXIX. ad primum Institutionum scholam migravit, aucto stipendio ad flor. CXX. *Brunellus* autem anno MDXXXII.

trans-

translatus est ad locum secundum Sacrorum Canonum matutinum florenis C.

MDXXXIII. xviii. kal. dec. *Alexander Socinus* Senensis, *Mariani* filius, conductus est flor. LXXX. Anno superiore ad Institutionum scholam accitus fuerat, sed tempore adesse non potuit. Anno sequenti ad tertium Juris Civilis locum descendit, servato tamen stipendio.

MDXXXIV. v. non. oct. *Jo. Baptista Pojana* Vicetinus a primo Decreti loco, quem adhuc scholaris tenere coeperat, ad scholam hanc traductus est flor. LXXX. In Collegium quoque statim receptus est; sed anno post exclusus per menses sex, quod sine caussa absuisset. Sponte discessit, & Romam se contulit, ibique Jus Pontificium professus est, & ad gravissima Religionis negotia adhibitus. Scripsit de Jubilæo, atque Indulgentiis.

MDXLI. Cum locus quinquennium vacasset, x. kal. nov. *Marcus Antonius Zabarella* Patavinus conductus est flor. L. qui anno MDXLVI. xviii. kal. feb. duplicati sunt. Docuit usque ad annum MDLIII. Orationem ejus ad novum Venetorum Principem Franciscum Donatum habitam, cum Legatus missus fuisset, laudat Scardeonius l. 2. Class. 8. p. 171.

MDLX. xvi. kal. april. *Caspar Fabianus* Patavinus conductus florenis C. Quadriennio post relatus est inter Professores classis hujus matutinos, additis ejus stipendio florenis XXX. Sed anno MDLXVI. rursus ad pomeridianos rediit, locumque primum occupavit.

MDLXVI. ix. kal. nov. *Martius Rutilius* Coloniensis ex schola secunda matutina Textus, Glossæ, & Bartholi traductus est flor. LX. Anno MDLXX. transiit ad tertium Juris Civilis locum matutinum, quem tamen ipsum valetudinis caussa deserere coactus est, & in patriam redire. Multa de illo Riccobonus l. 2. c. 9.

MDLXX. iii. non. sept. *Guerinus Piso Soacia* Patavinus ex primo loco vespertino Textus, Glossæ, & Bartholi

traductus est florenis LXXX. Mense novembri anni MDLXXIII. cœperat Feudorum doctrinam tradere ex mandato Triumvirali, ut ipse ferebat: sed cum Rector hac de re ad Magistratum scripsisset, ut est in Actis Cod. 53. p. 7. recepit se intra fines scholæ suæ. Quandoquidem autem Civilia libentius tractabat, anno sequenti translatus est ad scholam tertiam Juris Civilis matutinam florenis CXX.

MDLXXIV. v. kal. nov. *Nicolaus Bottonus* Patavinus ex schola prima matutina Textus, Glossæ, & Bartholi translatus ad hanc est florenis CXX. Sed anno proximo IV. kal. Maj. e vita discessit. De illo totaque ejus familia Riccobonus l. 2. c. 16.

MDLXXVI. III. non. maj. *Ottonellus Discalcius* junior Patavinus ab Institutionum schola ad hanc florenis centenis traductus est. Anno vix circumacto, migravit ad Criminalia.

MDLXXVII. XVI. kal. apr. *Sebastianus Monticulus* Vicetinus successit flor. CC. Anno MDLXXXII. ad locum primum evectus est, additis stipendio ejus florenis vicenis. Postea toto quadriennio schola vacavit, sed absque Gymnasii incommodo, quod *Michael Quarantaotto*, qui Feudorum scholam tenebat, eodem tempore Jus Canonicum pro sua diligentia traderet, quotidieque doceret.

MDLXXXVI. VII. id. Jun. *Michael Quarantaotto* traductus est ad locum hunc ex schola Feudorum, imminuto stipendio ad florenos L. quibus anno MDXCVI. additi sunt centeni. Sed anno post XVI. kal. julias mortuus est, ut diximus in schola hujus ordinis matutina.

MDXCVII. x. kal. aug. *Angelus a Saxo* Patavinus successit conductus florenis C. qui anno MDCXII. crevere ad CCCC. Anno MDCXIX. domi suæ sicarii manu vitam amisit. Vide Portenarium p. 236.

MDCXIX. XV. kal. nov. *Camillus Pancetta* Serravallensis, Canonicus Patavinus, ex Regulis Juris translatus est florenis

non

non amplius vicenis, primique loci Professori *Synclitico* verbis honorificis in Rotulo æquatus. Anno MDCXXIV. ad scholam primam ascendit.

MDCXXIV. xvi. kal. oct. *Petrus Brusonus* ex Plebe Sacci cum Regulas Juris traderet, translatus est ad hunc locum florenis ducenis. Sed anno MDCXXXI. peste sublatus est.

MDCXXXII. v. kal. nov. *Sebastianus Christophorus Columbina* Utinensis conductus est florenis ducenis, qui semel atque iterum aucti, anno MDCXLVII. pridie kal. jan. crevere ad D. Obiit anno MDCLIII. mense junio.

MDCLIII. v. non. oct. *Julius Clemens Scotus* Placentinus, Canonicus Parentinus, ex schola secunda Philosophiæ extraordinariæ traductus est florenis trecenis. Anno MDCLVI. pridie kal. febr. decreto Senatus abdicare jussus est, agentibus Societatis Gesuiticæ Patribus adversus instituti sui transfugam, votis majoribus obstrictum. Attamen stipendium illi solutum est usque ad annum MDCLVIII. De illo satis multa Papadopolus t. 1. p. 156.

MDCLVIII. iv. id. april. *Vincentius Francisconus* Canonicus Patavinus, ex Authenticorum schola ad hanc migravit florenis quinquagenis supra centum, qui iterum ac sæpius aucti, demum anno MDCXCVIII. x. kal. sept. crevere ad millenos. Sed hoc ipso anno obiit. V. Papadopolum t. 1. p. 157. & Urbanas Salomonii Inscriptiones p. 14.

MDCXCIX. vi. id. Aug. *Antonius Bellinus Constantinus* Patavinus ex loco hujus classis tertio ascendit florenis conductus ducenis, qui pridie kal. jun. MDCCXXVII. crevere ad DL. Triennio post obiit. Doctrina & probitate eximia cum esset, non ad docendum modo, sed etiam ad judicandum de controversiis gravissimis sæpe adhibitus est. Quandiu in humanis fuit, lingua viguit, sed nihil litteris consignatum reliquit.

MDCCXXXI. iii. kal. sept. *Gregorius de Campo S. Petri*

ex ſchola tertia , ipſa ſuffragante per ſuum Nuncium civitate , traductus eſt florenis ducenis , qui anno demum MDCCXLVII. nonis mart. aucti ſunt ad quadringenos . Vir nobilitate, ingenio, moribuſque ſpectatus , quæ ſui muneris ſunt, naviter explet.



SCHO-

SCHOLA TERTIA JURIS CANONICI POMERIDIANA.

SChola hæc instituta est cum aliis hujus Ordinis Patavinorum civium gratia anno MCCCCLXVIII. nonis februariis, assignato stipendio florenorum XX. quod nunquam augeretur. Restituto post bellum Gymnasio, ad eam accitus est idib. nov. MDXVIII. *Ludovicus Braynus*, qui triennio post ascendit ad secundam Classis ejusdem.

MDXXIII. *Joannes Lippus*, qui perrexit usque ad annum. MDXXVIII.

MDXXXVII. Cum locus vacasset per annos octo, demum *Bernardinus Contarenus* eum occupavit, nec tamen ultra annum retinuit.

MDXXXIX. *Marcus Antonius Zabarella*.

MDXLI. *Jo. Baptista Pancetta* Sacerdos Montaneanensis, qui vocis vitio, ut scribit Scardeonius in fine libri secundi Classis VIII. coactus est publicam scholam deserere.

MDXLV. *Franciscus ab Angelo*.

MDXLIX. *Annibal Buzzacarenus*.

MDLXV. *Clemens Tealdinus*, qui anno superiore locum tertium matutinum tenuerat. Ad eumdem regressus est anno sequenti, tenuitque biennio. Postea rursus huc rediit.

MDLXXVI. *Paullus Bradiolus*.

MDLXXIX. *Hermes Forzadura*.

MDLXXXIII. *Joannes Boatus*.

MDLXXXIV. *Franciscus Niasius*.

MDXCV. *Albertinus Miliaria* ex schola tertia matutina traductus. Anno MDC. ascendit ad secundam Institutionum.

MDCI. XVI. kal. jul. *Carolus Antonius Fortezza*.

MDCXVIII. Postr. kal. jun. *Arsenius Merius*.

MDCXXIV. *Paullus Leonius* Canonicus Patavinus ex ter-

tertio Juris Civilis loco pomeridiano traductus perrexit usque ad annum MDCXXIX. quo mortuus est.

MDCLIX. Cum schola diu vacasset, demum prid. kal. jun. commissa est *Toldo Bellino Constantino*, qui biennio post ad Authentica migravit.

MDCLXII. Nonis dec. *D. Placidus Frascà* Monachus Cassinensis.

MDCLXXVI. III. non aug. *Leonardus Bradiolus*.


MDCXCIII. Postr. kal. dec. *Antonius Bellinus Constantinus*, qui sexennio post ad scholam secundam evectus est.

MDCXCIX. XVI. kal. jan. *Aloysius Savonarola*, qui anno MDCCV. nonis jun. sponte abdicavit.

MDCCV. XIII. kal. sextil. *Co. Aloysius Zabarella* Canonicus Patavinus, qui obiit anno MDCCXIII.

MDCCXVIII. XIII. kal. febr. *Gregorius de Campo S. Petri*, qui anno MDCCXXXI. ad scholam secundam progressus est.

MDCCXXXII. Pridie non. jan. *Jo. Franciscus Solari*.



DE

DECRETI SCHOLA

INTER EXTRAORDINARIAS

ANno MDXVIII. reclufo Gymnafio, *Fr. Laurentius* Minorita ex Conventualibus XII. kal. fept. ad Decretum explicandum conductus eft florenis LI. Sed nec ultra annum docuit, nec nifi diebus feftis.

MDXIX. Kalendis nov. *Jo. Francifcus de Ducbis*, al. *Coradellus*, Brixianus eodem ftipendio conductus eft: fed anno litterario nondum elapfo fe abdicavit. Ad curriculum autem explendum poftridie non. jul. electus eft *Philippus Brocardus* Germanus.

MDXXI. XII. kal. fept. *Antonius Francifcus de Doctoribus* ex fchola fecunda facrorum Canonum matutina ad hanc traductus eft; imminutoque labore, etiam ftipendium imminutum eft ad florenos CC. Obiit anno MDXXVIII. V. kal. aug. Ejus merita, & fata tum profpera tum adverfa defcripfit Scardeonius in l. 2. Claff. 8. p. 188. & ex eo Papadopolus.

MDXXIX. IV. kal. fept. electus fuerat ab Univerfitate *Cafpar de Doctis* Presbyter: fed Senatus locum vacare voluit. Anno fequenti Univerfitas elegit *Francifcum Malfactum* Tridentinum, fed hic quoque per litteras Ducales filere juffus eft. Tandem geminata fchola eft; cujufmodi fuerat paullo ante bellum. Vide annum MDIV. de Jurift. Rector.

P R I M A.

ANno MDXXXI. VII. kal. fept. electus eft per fcholarium fuffragia, permittente Senatu, *Francifcus de Doctoribus* Patavinus; & loci primi Profeffor declaratus, attributis florenis C. quod ftipendium certum ac firmum fuit, quan-

quandiu scholæ huic Professores ab Universitate dati sunt.

MDXXXII. III. kal. sept. *Jo. Baptista Pojana* Vicetinus.

MDXXXIII. XIV. kal. sept. *Georgius Provana* Pedemontanus.

MDXXXIV. *Julius Camillus Maninus* Forojuliensis, qui anno vertente recessit. Statim suffectus est *Nicolaus Bertoldus* conterraneus ejus; locumque tenuit usque ad litterarii curriculi finem. Anno sequenti v. kal. sept. decreto Senatus vetitum est, ne in posterum schola hæc ab Universitatis arbitrio, nimis plerumque levi, penderet; vacavitque per annos sex.

MDXLII. IV. id. oct. *Thomas Zanechinus* Vicetinus, qui ætatem docendo contriverat, ex prima Sacrorum Canonum schola pomeridiana ad hanc traductus est, ut minore incommodo operam Gymnasio navaret. Anno sequenti postr. non. jan. mortuus est. De illo vide Mantuam n. 227.

MDXLIV. Postridie non. oct. Et prima hæc, & secunda Decreti schola una cum multis aliis Collegii decreto, cui ab Senatu mandata res erat, sublatæ sunt.

SECUNDA.

ANno MDXXXII. XIII. kal. Mart. *Marcus Antonius Blancus* Patavinus, Gymnasio restituto, secundum Decreti locum primus obtinuit stipendio flor. L. quod perpetuum scholæ fuit, quandiu stetit. Annis superioribus specimen industriæ suæ Blancus dederat in Juris Civilis schola tertia pomeridiana.

MDXXXIII. XIV. kal. sept. *Jacobus Maxius* Germanus qui anno sequenti confirmatus est.

MDXXXV. IX. kal. mart. electus fuerat *Petrus Brichetus* Gallus, sed postea exclusus est, quod Doctoris Lauream in Ferrariensi Gymnasio cepisset. Obtulit operam suam *Joannes Motinus* Januensis, qui in Feudorum schola docendi tirocinium posuerat. Sed hic quoque rejectus est, quod Doctoris

ctoris Laurea careret: locumque occupavit *Donatus Manchavella* Liciensis rescripto Triumvirali confirmatus.

MDXXXV. v. kal. sept. *Balthassar Pomeranus* Germanus.

MDXXXVI. xvii. kal. sept. *Ugo de Fervejes* Burgundus, qui se ante studiorum initium abdicavit, suffectusque est *Franciscus Vitalis* Avenionensis.

MDXXXVII. v. kal. nov. *Ubaldus Entstrosserus* Germanus.

MDXXXVIII. xi. kal. oct. *Hieronymus de Campo S. Petri* Patavinus. Anno sequenti ad secundam Civilium Institutionum scholam translatus est.

MDXXXIX. xv. kal. sept. *Andreas Etuig* Germanus.

MDXL. ix. kal. sept. *Joannes Muslerus* Germanus, qui superioribus annis Civiles Institutiones tradiderat, ut apparet ex ejus Oratione edita Venetiis anno MDXXXVIII. in qua contendit, liberales artes cum Jurisprudentia conjungendas esse.

MDXLI. xii. kal. sept. *Jo. Antonius de Ravesto*. Valetudinis caussa onus deposuit, eique suffectus est *Joseph de Ulmo* Bergomensis.

MDXLII. xv. kal. sept. electus fuerat *Pomponius Maranta:* sed ejus loco docuit *Joannes Muslerus* in Gymnasium revocatus.

MDXLIII. xvi. kal. sept. *Christophorus Alpheus* Vercellensis, qui anno sequenti confirmatus est. Sublata autem schola, translatus est ad cathedram de Actionibus.



AD SEXTUM DECRETALIUM LIBRUM

SCHOLA PRIMA

DIEBUS FESTIS SUB MERIDIEM

INTER EXTRAORDINARIAS.

ANno MDXVIII. XII. kal. sept. *Marsilius Papafava* Patavinus accitus est ad scholam primam Sexti, constituto stipendio florenor. LXXX. confirmatusque anno sequenti.

MDXX. Pridie kal. dec. *Antonius Porcellinus* Patavinus florenis octogenis conductus, cum menses quinque scholam tenuisset, IV. id. mai. anni sequentis suffectus est in ejus locum *Ottonellus de Pasinis* item Patavinus, qui paullo post abiit. De tota ejus vita, fatis, & operibus vide Scardeonium l. 2. Class. 8. p. 197. & Papadopolum T. I. p. 255.

MDXXI. v. kal. oct. *Marcus Mantua Benavidius* Patavinus, traductus ex loco tertio Juris Civilis pomeridiano per litteras Ducales, assignato stipendio florenorum L.

MDXXIII. Pridie id. aug. *Vincentius de Rubeis* Patavinus eodem conductus stipendio, quod certum ac firmum scholæ fuit per quadriennium. Perrexit in annum sequentem.

MDXXV. *Jo. Petrus Zurla* Cremensis, qui docuit biennium.

MDXXVII. *Fabius Accorambonus* Eugubinus, Hieronymi Medicinæ Professoris filius. Vide secundam Juris Civilis scholam Ordinariam matutinam anni MDXXXI.

MDXXVIII. *Antonius Trapolinus* Patavinus, cui auctum stipendium est floreno uno: idque tenuit in posterum, quamdiu schola stetit.

MDXXIX. IV. kal. sept. *Franciscus Tertius* Cremensis, qui sub initium anni sequentis translatus est ad scholam extraordina-

dinariam meridianam Juris Civilis; eique ad curriculum absolvendum VII. id. maj. suffectus est *Marcus Pignolatus* Veronensis.

MDXXX. XIV. kal. sept. *Theodosius Rodulfus* Veronensis.

MDXXXI. x. kal. dec. *Joseph Gradisca* Tarvisianus.

MDXXXII. III. kal. sept. *Jo. Baptista de Neva*, al. *de Nona*, Bariensis, qui se anno sequenti ineunte abdicavit; suffectusque illi est ad cursum litterarium explendum *Augustinus Capella* Veronensis.

MDXXXIII. XIV. kal. sept. *Julius de Arcano* Forojuliensis. Sed mense novembri discessit, ejusque loco docuit *Jo. Antonius Morzerius* Gallus. Hic autem ipse mense martio anni sequentis exclusus est, quod Doctor non esset, scholamque occupavit *Franciscus de Valentia*.

MDXXXIV. XIII. kal. sept. *Jo. Antonius de Neapoli* Romanus.

MDXXXV. Nonis april. *Ludovicus a Turre* Bergomensis: eodemque anno v. kal. sept. *Dominicus Blancus* Patavinus.

MDXXXVI. XVII. kal. sept. *Bernardus del Bene* Florentinus.

MDXXXVII. v. kal. nov. *Hieronymus Valvasorius* Saciliensis.

MDXXXVIII. III. non. nov. *Ubaldus de Blancuccis* Maceratensis.


MDXXXIX. xv. kal. sept. *Jo. Baptista Mancinus* Firmanus.

MDXL. xv. kal. nov. *Blasius Civicus* Anconitanus.

MDXLI. XII. kal. sept. *Cæsar Scaltriellus* Veronensis, qui anno sequenti v. kal. mart. locum cessit *Petro Leonio* Patavino, de quo in schola secunda pomeridiana Textus, Glossæ, & Bartholi.

MDXLII. xv. kal. sept. *Fabius Romanus*, qui statim locum cessit *Joanni Borello*. Huic ipsi v. id. dec. suffectus est *Joannes a Ferro* Patavinus.

MDXLIII. *Bartholomæus Hostiensis* Vicetinus, qui anno sequenti, clausa Sexti schola, traductus est ad secundam Textus, Glossæ, & Bartholi matutinam, recens institutam.



AD

AD SEXTUM DECRETALIUM LIBRUM

SCHOLA SECUNDA, QUÆ VESPERTINA ERAT, INTER EXTRAORDINARIAS.

ANno MDXVIII. XVII. kal. dec. excluso *Jo. Baptista Lubiano* Forojuliensi, qui electus ab Universitate fuerat, traductus est ad scholam hanc *Augustinus Berenzonus* Veronensis, qui Codicis libros tres interpretabatur, assignato stipendio florenorum L. quod perpetuum loci hujus esset.

MDXIX. III. kal jan. *Petrus Jacobus Averoldus* Brixianus.

MDXX. III. non. jun. *Jo. Baptista de Botanis* Bergomas, cui anno sequenti VII. id. apr. ad curriculum absolvendum successor datus est *Simeon de Verona* Presbyter.

MDXXI. V. kal. oct. *Ludovicus Gomezius* Hispanus. Hic perrexit in annum MDXXIV. quo anno æquatus est *Vincentio de Rubeis* Professori primario: proximo autem transivit ad scholam secundam Juris Canonici pomeridianam.

MDXXV. VIII. kal. apr. *Antonius ab Alexandro* Neapolitanus extra ordinem electus est ad reliquorum mensium operam scholæ navandam. Pridie autem kal. dec. ad novi anni curriculum auspicandum electus est *Thomas Gavardus* Brixianus: sed ne hic quidem pensum absolvit. Itaque suffectus est IV. id apr. *Joannes Renius* Venetus.

MDXXVI. V. non. oct. successit *Ludovicus de Asellio* Pedemontanus. Sed post mensem munere se abdicavit, suffecto in ejus locum *Ansaldo Justiniano* Januensi.

MDXXVII. Kalendis jun. *Stephanus de Elia* Patavinus, cui post mensem successit *Jo. Baptista Manza* Vicetinus. Huic autem ipsi pridie kal. dec. *Antonius Trapolinus* Patavinus suffectus est.

MDXXVIII. VI. id nov. *Ludovicus Marzolus* Montaneanensis

nensis ex loco tertio classis hujus traductus perrexit in annum proximum.

MDXXX. v. kal. nov. *Conradus Molla* Pedemontanus.

MDXXXI. vii. kal. sept. *Franciscus Marlivianus* Mediolanensis, cui successit viii. kal. dec. *Andreas Paganellus* Bergomensis, ex schola secunda Artis Notariæ translatus.

MDXXXIII. xiv. kal. sept. *Natalis Salernitanus* Dalmata. Sed paucis post diebus cum abdicasset, revocatus est *Andreas Paganellus*, qui ad secundam Institutionum scholam transierat.

MDXXXIV. xiii. kal. sept. *Thomas Pisanellus* Romanus: cujus loco rursus vi. kal. nov. electus est *Andreas Paganellus*. Quidam addunt *Jacobum Cornelium* Provincialem, sed nec in Rotulo, nec in tabulis Quæstoriis reperitur.

MDXXXV. v. kal. sept. *Jo. Baptista Valle*, qui Gymnasio cum abstineret, ejus loco suffectus est *Bernardinus Balianus* ex Monteferrato.

MDXXXVI. xvii. kal. sept. *Bernardinus Patussius* Brixianus, quo abdicante, electus est *Vincentius Peregrinus* Dalmata.

MDXXXVII. v. kal. nov. *Robertus Alet* Gallus.

MDXXXVIII. iii. Non. nov. *Gabriel Visca* Pedemontanus.

MDXXXIX. xv. kal. sept. *Franciscus Scotus* Senensis.

MDXL. ix. kal. sept. *Leonardus Zecca* Presbyter.

MDXLI. xii. kal. sept. *Seraphinus Rotingus* Salodiensis.

MDXLII. xv. kal. sept. *Robertus Monaldus* Pisaurensis.

MDXLIII. vi. Kal. nov. *Paullus Desideratus* Montaneanensis.

MDXLIV. Postridie id. aug. *Franciscus Lauretanus* Venetus, Presbyter. Sed schola decreto Senatus sublata est, antequam docere inciperet. Migravit statim ad secundam Civilium Institutionum.

AD

AD SEXTUM DECRETALIUM LIBRUM

SCHOLA TERTIA

PATAVINIS ASSIGNATA STIPENDIO

FLORENORUM XX.

ANno MDXVIII. electus est ad scholam hanc *Castorius ab Horario*, qui anno sequenti ad locum secundum Civilium Institutionum translatus est.

MDXXVI. *Ludovicus Marzolus*, qui biennio post ad secundam hujus classis scholam ascendit.

MDXXVIII. *Doymus de Olzignano*, qui perrexit usque ad annum MDXXXIII.

MDXXXVII. *Benedictus de Barisellis* Montaneanensis.

MDXXXVIII. *Joannes de S. Juliana*.

MDXXXIX. *Simeon Petrus de S. Vito*.

MDXL. XI. kal. apr. *Nicolaus de Villa*, qui quadriennio post migravit ad locum tertium meridianum Textus, Glossæ, & Bartholi recens institutum.

MDXLIV. *Dominicus de Barbobus* de Soncino ex schola tertia Juris Civilis meridiana ad hanc traductus est. Loco enim primo sexti libri Decretalium, & altero sublato, mansit tertius ejusque stipendium; non alio tamen in Rotulis titulo, quam *Sexti*. Et quia anno MDXLIV. pro *Sexto* inductæ sunt in Gymnasium Interpretationes Textus, Glossæ, & Bartholi, ab eo ipso anno in tabulis Quæstoriis scholæ hujus titulus perpetuus fuit: AD LOCUM TERTIUM MATUTINUM TEXTUS, GLOSSÆ, ET BARTHOLI.

MDXLV. *Daniel de Blasiis*.

MDLVIII. *Ludovicus Buzzacarenus*.

MDLXII. VI. kal. dec. *Nicolaus Bottonus*, qui biennio post ascen-


ascendit ad scholam primam matutinam Textus, Glossæ, & Bartholi.

MDLXVII. *Terentius de Terentiis*, qui anno MDLXX. traductus est ad scholam primam Textus, Glossæ, & Bartholi pomeridianam.

MDLXXI. *Franciscus Branca* Athestinus, qui triennio post ascendit ad locum primum matutinum Textus, Glossæ, & Bartholi. Hunc postremum Sexti Interpretem fuisse plerique volunt. Quidam ex fide codicis Quæstorii addunt praeterea duos qui sequuntur, rectius fortasse in schola ejusdem classis secunda collocandos.

MDLXXV. *Galeacius Bigolinus*, qui Orator satis bonus cum haberetur, semel atque iterum allegatus est ab ipso Civitatis Consilio ad gratulationes faciendas Ducibus Venetis recens electis. Suæ quoque & alterius Universitatis nomine Federico Cornelio Episcopo Patavino gratulatus est, quod inter Ecclesiæ Purpuratos a Sixto V. relatus esset; eamque orationem edidit. Anno MDLXXVII. ad scholam primam pomeridianam ascendit Textus, Glossæ, & Bartholi.

MDLXXVII. *Flaminius Bradiolus*, qui biennio post transiit ad locum tertium Juris Civilis matutinum, clausa schola hac, ceterisque classis ejusdem.



SCHO-

SCHOLA CLEMENTINARUM

INTER VESPERTINAS EXTRAORDINARIAS

CUm Clementinarum, & Sacramentorum schola sæculo quinto decimo instituta fuisset, eodemque sublata, anno sæculi sequentis tertio, petente Episcopo, restituta est, & *Francisco de Faciis* Patavino commissa florenis octogenis, ut diximus ad annum MCCCCXCIX. Sed anno MDVI. III. kal. jul. rursus clausa est, addita ejus materia Sexto Decretalium. Post bellum, recluso Gymnasio, ipsa quoque anno MDXVIII. cum aliis exerceri de integro cœpit per *Augustinum de Faciis Francisci* fratrem, qui pridie id. nov. electus est. Stipendium scholæ constitutum est florenorum XXX. quod perpetuum esset.

MDXIX. III. kal. jan. successit *Hieronymus de Capua*.

MDXX. Pridie non. nov. *Sanctes Quirinus*, qui anno sequenti confirmatus est.

MDXXII. Pridie kal. dec. *Ludovicus Merula* Utinensis, cui anno sequenti pridie kal. jun. ad curriculum absolvendum suffectus est *Jo. Baptista de Martinengo*.

MDXXIII. XIII. kal. sept. *Jo. Antonius Feroldus* Brixianus, qui ante editum Rotulum exclusus est, suffecto in locum ejus *Fr. Daniele Cremensi* ex Minoribus Conventualibus.

MDXXV. *Caspar de Doctis* Venetus Presbyter, qui idib. maj. anni sequentis locum cessit *Ludovico Zerio* Pedemontano.

MDXXVI. V. id. nov. *Jacobus Scarnatus* Consentinus, qui perrexit in annum proximum.

MDXXVIII. Non. maj. *Fr. Jacobus Salveti* Bergomas.

MDXXIX. IV. kal. sept. *Joannes a Vulpe* Forojuliensis docuit usque ad martium anni sequentis, quo illi suffectus est *Bonaventura Barili* Lucensis.

MDXXX. v. kal. nov. *Rainuccius Mancarella* Aletinus, cui suffectus est anno sequenti xiv. kal. jul. ad absolvendum litterarium curriculum *Ludovicus Alexandrinus* Brixianus ex Clario oppido, juris utriusque peritia & mitioribus litteris excultus, qui se postea Ecclesiæ addixit.

MDXXXI. v. kal. sept. *Jo. Petrus de Piciis* Siculus, qui in annum sequentem confirmatus est.

MDXXXIII. xiv. kal. sept. *Jacobus Corniglia* Gallus.

MDXXXIV. xiii. Kal. sept. *Franciscus de Gymnasio* Gallus, cui anno sequenti prid. non. mart. suffectus est *Antonius Sceva* ejusdem nationis.

MDXXXV. v. Kal. sept. *Antonius de Baculis* Catharensis.

MDXXXVI. xvii. Kal. sept. *Antonius Balduinus* Tridentinus, qui cum se iii. non. nov. abdicasset, suffectus est xv. Kal. dec. *Joannes Ludovicus Brasicanus* Germanus.

MDXXXVII. v. Kal. nov. *Nicolaus Marchesellus* Ariminensis.

MDXXXVIII. iii. non. nov. *Bernardinus de Zuffis* Patavinus.

MDXXXIX. xv. Kal. sept. *Caspar de Montalto*, cui ante editum Rotulum successit *Antonius Cerutus* Mantuanus. Sed ne hic quidem cursum absolvit. Etenim pridie Kal. maj. anni sequentis illi suffectus est *Jo. Baptista Pancetta* Montaneanensis.

MDXL. xv. Kal. nov. *Rizzardus de Errariis* Neapolitanus.


MDXLI. xii. Kal. sept. *Jo. Matthæus de Andreola*.

MDXLII. xv. Kal. sept. *Bartholomæus Capilistius* Patavinus. Sed ante editum Rotulum suffectus illi est *Cornelius Boninus* Brixianus; qui anno sequenti, sub mensis februarii finem eidem *Capilistio* locum cedere coactus est, quod non esset Juris Canonici Doctor, sed Civilis tantum.

MDXLIII. xvi. Kal. sept. *Petrus de Gofrido* Vigiliensis, cui prid. id oct. successit *Guido Branca* Patavinus. Sed hic ipse,

pse, exeunte mense, locum cessit *Antonio Thealdino* Civi suo.

MDXLIV. postridie id. aug. *Joannes de S. Justina* Patavinus, qui, sublata schola hac, translatus est ad secundam Institutionum cum Textu, & Glossa.



DE SCHOLIS JURIS CIVILIS.

PRIMA JURIS CIVILIS SCHOLA

ORDINARIA MATUTINA

Ad primam, & secundam Partem Codicis.

POst bellum aperto Gymnasio, potissimas Principis curas meruit schola hæc. Sed cum pro amplitudine ejus nemo inveniretur, qui idoneus esset, tandem anno MDXIX. IV. Kal. nov. traductus est ex primaria Juris Canonici matutina *Balthassar Carduccius* Florentinus, ne secundarius classis hujus Professor antagonista careret. Adhuc tamen Senatus liberum sibi loci primi arbitrium esse voluit, idque decreto suo declaravit. Et sane idib. dec. MDXXII. *Carduccius* eo rediit, unde venerat, vacavitque rursus schola per annos duos.

Anno MDXXV. pridie non. oct. accitus est florenis DCXXV. *Marianus Socinus* Senensis, *Mariani* senioris nepos, cum jam supra annos tres & viginti in celeberrimis Italiæ Gymnasiis docuisset, ut dicitur in decreto Senatus. Attamen ne hic quidem locum retinuit nisi per menses paucos, ut constat ex tabulis Quæstoriis, sed ad secundum pomeridianum missus est.

MDXXVIII. VII. Kal. nov. tandem schola commissa est *Francisco a Curte* Ticinensi, qui per annos fere quadraginta alibi per Italiam docuerat magna cum fama doctrinæ, sæpiusque a Venetis invitatus fuerat, constituto stipendio scutatorum aureorum M. Neque hic, si Petro Bembo credimus, neque *Rubeus*, de quo mox dicam, passi sunt acciri Alciatum, a tota expetitum Universitate, metu comparationis. Ejus schola maxime frequentabatur. Nam, ut habemus in Actis,

Actis, anno MDXXXI. XIII. Kal. april. numerati in illa sunt auditores tres & viginti supra ducentos. Obiit anno MDXXXIII. mense jun. De illo, ejusque genere, fatis, & operibus Pancirolus l. 2. c. 154. & Papadopolus T. 1. p. 241.

MDXXXIII. VII. Kal. nov. *Jo. Antonius Rubeus* Alexandrinus successit florenis millenis. Triennio post confirmatus est verbis honorificis. Anno MDXXXVIII. III. Kal. nov. auctum est stipendium ejus, mutatis florenis, qui æstimabantur libellis quinque, in ducatos libellarum sex, & solidorum quatuor. Post annos tres XIV. Kal. nov. novo decreto confirmata illi schola est, auctumque stipendium ad aureos millenos libellarum septem. Obiit anno MDXLIV. XVI. kal. apr. cum anno superiore abstinere Gymnasio cœpisset valetudinis caussa. De illo Pancirolus l. 2. c. 166. & post alios multos Papadopolus t. 1. p. 246.

MDLIX. XVI. Kal. dec. *Marcus Mantua Benavidius* in locum diu vacuum ex schola hujus classis secunda traductus est. Anno sequenti auctum illi stipendium est ad florenos DCCL. triennio autem post ad octingenos, quæ summa nulli ante ipsum Patavino concessa fuerat. Anno MDLXXII. migravit ad scholam primam Juris Pontificii matutinam.

MDLXX. V. id. sept. *Tiberius Decianus* Utinensis ex loco secundo ad hunc evectus est, & *Mantuæ* exæquatus. Auctum etiam illi stipendium est ad aureos millenos. Biennio post solus mansit. Anno MDLXXVI. III. non. majas confirmatus est decreto Senatus honorificentissimo. Obiit anno MDLXXXII. VIII. id. febr. ut est in Diario MS. Sansoni, laudatusque est in funere a Riccobono, cujus oratio extat. Multa de illo Tomasinus in Elogiis p. 73. & alii, postremus autem Papadopolus t. 1. p. 256.

MDLXXXII. Prid. kal. maj. *Jacobus Menochius* Papiensis ex loco secundo ascendit, aucto stipendio ad aureos millenos. Anno MDLXXXIX. revocatus est ad patrium Gymnasium Senatus Mediolanensis decreto. Obiit anno MDCVII. De illo ejus-

ejusque meritis, & operibus, præter alios, Riccobonus l. 2. c. 2. Crassus in Elog. P. I. p. 113. & Papadopolus t. 1. p. 262.

MDLXXXIX. iv. kal. oct. *Angelus Matthæaccius* Marosticensis ex Pandectis ad scholam hanc ascendit stipendio florenor. CD. quibus additi sunt duceni anno MDXCVI. viii. kal. oct. Obiit anno sæculi ultimo iv. id. feb. cum jam pro illorum temporum more Equitis & Comitis titulum obtinuisset. Habes elogium ejus apud Tomasinum p. 197. & Papadopolum t. 1. p. 260.

MDC. x. kal. maj. *Marcus Antonius Ottelius* ex Pandectis traductus florenis DL. servata æqualitate loci Equiti *Discalcio*, qui scholam secundam tenebat. Iterum ac sæpius confirmatus est, aucto demum stipendio anno MDCXXIV. ad florenos octingenos supra mille. Anno post v. id. nov. ætatis missionem obtinuit, relictis ad alimenta annua florenis millenis, & Collegii emolumentis. Obiit Venetiis anno MDCXXIX. De illo ejusque scriptis Papadopolus t. 1. p. 269. & Tomasinus in Elog. t. 2. p. 315.

MDCXXXII. xv. kal. apr. *Carbonchius de Carbonchiis* Perusinus, & *Alexander Syncliticus* Cyprius, qui loco & stipendio pares secundam hujus classis scholam regebant, ad hanc evecti sunt, servata loci æqualitate. Stipendium auctum *Carbonchio* est florenis ducenis, *Synclitico* trecenis. Sed *Carbonchius* anno MDCXXXVI. Messanam concessit. *Syncliticus* autem, tota petente Universitate, in schola majori docere cœpit, quam *Carbonchius* deseruerat.

MDCXXXVI. vi. id. febr. *Jo. Baptista Gallus* Bononiensis, in aliis Italiæ Gymnasiis diu multumque exercitatus, *Carbonchio* successit stipendio flor. DCL. attributis præterea ad itineris expensas quinquaginta. Sed anno post, cum memoria laborare cœpisset, & adversa valetudine conflictari, in patriam rediit.

MDCXXXIX. vii. id. oct. *Synclitico*, qui jam solus locum

cum

cum primum tenebat, auctum stipendium est ad florenos trecenos supra mille ; sexennio autem post ad MDL. Mortem obiit sub initium anni sequentis, ejusque heredes stipendii reliqua obtinuere usque ad kal. nov. De illo Papadopolus t. I. p. 271.

MDCLI. Nonis mart. *Marcus Aurelius Galvanus* Alexandri filius Ferrariensis ex schola secunda, ubi jam loci prærogativa gaudebat, ad hanc traductus est florenis MCCCL. quibus treceni additi sunt postridie id. sextil. MDCLIII. Obiit anno MDCLXX. XII. kal. oct. Papadopolus t. I. p. 272.

MDCLXI. X. kal. sept. *Jo. Michael Pieruccius Bondichius* Florentinus ex schola secunda hujus ordinis pomeridiana ad hanc traductus est florenis quinquagenis supra mille. Anno MDCLXIV. V. id. jan. per litteras Triumvirales interceptum illi stipendium est, quod sine caussa scholis abstineret. Postridie id. maj. libellum supplicem Magistratui obtulit, ut sibi rursus stipendium solveretur, quod jam frequens in Gymnasio esset. Annuere Triumviri, sed a die quo rediisset ad opus, assidueque peregisset. In domo ejus mortuus est magni nominis Grammaticus Caspar Scioppius, eumque heredem scripsit. Ipse autem obiit anno MDCLXXVIII. Papadopolus t. I. p. 157.

MDCLXXVIII. Non. apr. *Paullus Doctus* ex loco secundo ad primum hunc ascendit florenis quadringenis supra mille. Sed intra annum mortuus est. Jurisconsultorum præceptorem, qui Patavii sua ætate florebant, vocat Papadopolus t. I. p. 158.

MDCLXXXI. X. kal. nov. *Co. Aloysius Ottelius* Utinensis, qui foro operam in patria dabat, conductus est florenis octingenis. Anno MDCXCIV. XII. kal. sextil. confirmata illi schola est, aucto stipendio ad florenos millenos. Anno sæculi proximi tertio XIII. kal. jan. ætatis missionem obtinuit, detractis ex ejus stipendio florenis sexcenis. Papadopolus t. I. p. 158.

MDCCIV. V. kal. oct. *Comes & Eques Stephanus a Nivibus*

bus Cardeira Lusitanus ex Pandectis traductus florenis septingenis, qui bis aucti crevere ad millenos anno MDCCXX. postridie non. jul. Sed idibus ipsis obiit. Scripsit de Jure Canonico, ediditque Opus, cui titulus sane terrificus: *Clava Pontificia*. Papadopolus ibid.

MDCCXXI. VII. id. aug. *Jo. Baptista Cessis* origine Bergomas, ex prima Institutionum schola traductus florenis DCL. qui anno MDCCXXIII. postridie KAL. dec. aucti sunt ad octingenos. Biennio post publicus Veneti Senatus Consultor declaratus est, servato illi scholæ honore & stipendio; vixitque Venetiis usque ad annum MDCCXXVIII. V. KAL. febr. Vir fuit tota vita moribusque compositus, eorumque Jurisconsultorum, qui leges plurimas memoria tenent, atque extemplo recitant, longe omnium præstantissimus. Quamdiu Patavii docuit, maximam Juventutis partem ad honores scholasticos recipiendos unus instruxit, idemque onus suscepturis materiam paravit. De Jure consulentibus non voce modo, sed etiam scripto sæpe respondit; typis tamen nihil commisit, cujus præstet ad famam ejus mentionem facere. Vide plura de ejus laudibus apud Papadopolum, a quo *legum Monarcha* vocatur in T. I. p. 158.

MDCCXXVIII. IV. KAL. sextil. *Joseph Alaleona* Maceratensis ex primo Institutionum loco ad scholam hanc translatus est florenis DCL. quibus anno MDCCXXXV. VI. KAL. febr. additi sunt duceni, sexennio autem post III. KAL. oct. centeni quinquageni. Italica quædam edidit eleganter scripta, & Latinam Acroasim *de Suis*. Anno MDCCXLIX. nonis apr. decessit. Omnino vir egregius nulla in re muneri suo defuit, sed Christianæ pietatis studio præsertim eminuit. De ejus vita & meritis vide Historiam Litterariam P. Zachariæ T. 4. p. 167. & Mazzucchellum T. I. p. 239. qui opera ejus omnia recenset, non solum quæ edidit, sed etiam quæ promisit.

MDCCLIV. XIII. KAL. maj. *Stelius Mastraca* Corcyrensis huc

huc ascendit ex schola secunda Ordinaria pomeridiana, quamvis absens reip. caussa, stipendio suo florenor. CCCL. quibus duceni additi sunt x. kal. april. MDCCLVII. cum Venetias rediisset, laudatus & donatus ob egregiam operam in finibus constituendis impensam.



SECUNDA JURIS CIVILIS SCHOLA

ORDINARIA MATUTINA

Ad primam, & secundam partem Digesti Veteris.

ANno MDXVII. post bellum ad scholam hanc aperiendam *Achilles ex Comitibus Ilcii* Senensis, vulgo *Achilles de Senis*, XII. kal. dec. accitus est ex Gymnasio Papiensi, constituto stipendio florenor. CCC. quibus pridie id nov. MDXXIII. additi sunt quinquageni. Post annos septem discessit invitatus a Ferdinando de S. Severino Salerni Principe. De illo Mantua n. 32.

MDXIX. Ex eodem Papiensi Gymnasio *Jo. Franciscus Burla* Placentinus advenit, idibus decembr. collega *Achilli* additus, eodemque loco docere jussus: quandoquidem neuter primi loci fastigio par videbatur, quamvis uterque Jurisconsultissimus haberetur, & revera esset. Idem *Burlæ* attributum stipendium est florenorum CCC. qui anno MDXXIII. pridie id. nov. aucti sunt ad quingenos. Anno sequenti admissus in Collegium est: sed quinquennio post abdicavit, legationem obiturus Clementis Papæ VII. nomine ad Carolum V. Imperatorem. De illo Mantua n. 67. & Papadopolus t. 2. p. 238.

MDXXXI. Pridie id. oct. *Marcus Mantua Benavidius* Patavinus, ex schola secunda Juris Canonici matutina ad hanc traductus est stipendio florenorum CCL. qui iterum ac sæpius aucti, anno MDLIII. crevere ad septingenos. Sexennio post ascendit ad locum primum.

Eodem anno, eodemque mense *Fabius Accorambonus* Eugubinus, qui alias Patavii docuerat, Roma evocatus est, & Collega *Mantuæ* datus stipendio flor. CXL. petente Universitate, ut mature pararentur ad sedem primam viri præstantes, quos

quos invenire, cum tempus poſceret, difficillimum erat. Ita enim eſt in Senatus decreto. Triennio poſt tranſiit ad ſcholam ejuſdem ordinis pomeridianam.

MDXLV. Prid. non. jan. *Hieronymus Cagnolus* Eques Vercellenſis, qui in Taurinenſi Academia magnam ſibi doctrinæ famam comparaverat, non tamen ejuſmodi, ut ſatis eſſe videretur ad locum primum Gymnaſii hujus cum dignitate implendum, additus eſt *Mantuæ* collega, attributis florenis octingenis, qui bis aucti anno MDL. III. id. nov. crevere ad aureos millenos. Anno poſt kalendis febr. mortuus eſt. De illo Pancirolus l. 2. c. 7. & Papadopolus t. I. p. 249.

MDLII. IV. id. oct. *Tiberius Decianus*, qui triennio ante in rerum criminalium ſchola ad tempus docuerat, accitus eſt ad locum hunc, ut *Mantuæ* collega eſſet. Tanta autem undique ſtudentium multitudo ad eum affluebat, ut anno MDLXVI. X. kal. dec. Univerſitas cum Rectore egerit de ſchola capaciore quærenda. Stipendium ejus florenornm erat quingenorum, qui ſæpius aucti, anno MDLXX. crevere ad aureos millenos, addita etiam loci prærogativa. Biennio poſt locum ipſum primum occupavit.

MDLXXII. Pridie non. dec. *Jacobus Menochius* Papienſis ex prima Juris Canonici ſchola matutina traductus eſt, auctumque ſtipendium ejus ad florenos ſeptingenos. Anno MDLXXVIII. IV. non. ſept. obtinuit aureos DCCL. Quadriennio autem poſt aſcendit ad locum primum.

MDLXXV. VIII. kal. dec. *Guerinus Piſo Soacia* Patavinus *Menochio* collega datus eſt, cum anno ſuperiore in ſchola tertia Juris Civilis docuiſſet, aucto ſtipendio ad flor. CCL. Anno MDLXXIX. migravit ad Piſanam Academiam, in qua mortuus eſt anno MDXCI. De illo, ejuſque meritis, & operibus fuſe ſcribit Riccobonus l. 2. c. 5.

MDLXXXII. III. kal. nov. *Franciſcus Mantica* Forojulienſis ex Portu Naonis cum pomeridianam hujus claſſis ſcholam teneret, ad hanc traductus eſt florenis octingenis. Anno

MDLXXXVI. Romam migravit S. Rotæ Judex electus, quo primum tempore ab Anglis ad Venetos jus hoc transtulit Sixtus V. Decennio post inter S.R.E. Cardinales a Clemente VIII. relatus est. Obiit anno MDCXIV. De illo satis multa Crassus in Elog. P. I. p. 164. & Papadopolus in t. 1. p. 265.

MDLXXXVI. Kal. apr. *Ottonellus Discalcius* Patavinus, ex Criminalium schola huc demigravit florenis CC. qui bis aucti, anno MDXCVI. VIII. kal. oct. crevere ad DL. addita etiam loci prærogativa. Anno MDCI. III. non. nov. auctum est stipendium ejus ad florenos DCC. Obiit anno MDCVII. De illo Tomasinus in Elogiis t. 1. p. 216. & Papadopolus t. 1. p. 202.

MDCVII. Postridie id. oct. *Octavius Salgberius* Patavinus ex Pandectis translatus florenis CCCL. qui bis aucti crevere ad septingenos anno MDCXXII. Quadriennio post ad hujus classis scholam pomeridianam transivit; quique eam tenebant *Carbonchius*, & *Syncliticus*, loco & stipendio pares, ad hanc traducti sunt. Uterque porro anno MDCXXXII. XV. kal. apr. ad locum primum ascendit.

MDCXLI. VII. kal. nov. *Marcus Aurelius Galvanus* Ferrariensis ex Pisano Gymnasio traductus florenis CML. addita loci prærogativa, condonatisque florenis centum ad itineris expensas. Anno MDCXLVIII. nonis febr. additi sunt stipendio ejus floreni duceni: triennio autem post locum ipsum primum obtinuit.

MDCLIII. III. kal. jun. *Antonius Aloysius Aldreghettus* Patavinus ex schola prima Institutionum ad hanc migravit stipendio suo flor. DCC. quibus anno MDCLVII. VII. id. april. additi sunt duceni quinquageni. Anno MDCLXII. translatus est ad scholam ejusdem ordinis & classis pomeridianam, addita loci prærogativa.

MDCLXII. IV. id. febr. *Paullus Doctus* Castrofrancanus traductus ex schola prima Institutionum florenis DCCLVIII. qui sæpius aucti, anno MDCLXXVII. XIII. kal. apr. crevere


ad

ad quadringenos ſupra mille. Anno poſt aſcendit ad ſedem hujus claſſis primam.

MDCLXXVIII. VII. kal. jul. *Jo. Baptiſta Gnagnottus* Patavinus, ex prima Inſtitutionum ſchola ad hanc translatus eſt florenis trecenis, qui ſæpius aucti, anno MDCCIV. VII. id. febr. crevere ad DCXXX. Paullo poſt mœrore confectus eſt, ut ſcribit Papadopolus t. 1. p. 159. quod ſcholam primam obtinere non potuiſſet.

MDCCXI. Poſtridie non. oct. *Fauſtus de Pace* Venetus florenis CCC. conductus eſt, qui ſæpius aucti, anno MDCCXLVIII. crevere ad DCC. Anno MDCCLII. VII. id. maj. ætatis vacationem obtinuit, detractis florenis quadringenis. Obiit eodem anno pridie id. octobr.

MDCCLIII. VIII. kal. mart. *Joſeph de Pace*, *Fauſti* filius, conductus eſt florenis CCC. Docendi munus occepit pridie id. april. nec ſolum doctrina graviter ſuſtinet, ſed etiam orationis luminibus ornat.



SCHO-

SCHOLA TERTIA JURIS CIVILIS
MATUTINA.

ANno MDXXV. instituta est schola hæc ad Juventutis ingenia exercenda; eamque *Bernardus Cucuscula* Hispanus III. kal. nov. occupavit stipendio florenorum X. sed anno sequenti deseruit. Cum vacasset per annos ferme novem, a scholaribus ad Magistros traducta est. Itaque anno MDXXXIV. IV. id. oct. eam obtinuit *Alexander Socinus Mariani* filius, qui locum secundum Juris Canonici pomeridianum tenebat.

MDLXVI. Postridie id. decembr. *Franciscus Mantica* ex prima Civilium Institutionum schola translatus est florenis CL.. Quadriennio post transiit ad locum secundum Juris Civilis pomeridianum.


MDLXX. III. non. sept. *Marcius Rutilius* ex loco secundo Juris Canonici pomeridiano traductus est florenis CXX. Anno MDLXXIV. valetudinis caussa munus dimisit. De illo Jo. Baptista Sablonus conterraneus ejus, culti ingenii vir, in T. XIV. Opuscul. Venet. p. 60.

MDLXXIV. v. kal. nov. *Guarinus Piso Soacia* traductus florenis CXX. ex loco secundo Juris Canonici pomeridiano, anno sequenti obtinuit præterea florenos CXXX. & secundi loci Professori æquiparatus est. Quadriennio post ad Pisanum Gymnasium migravit, ubi docuit per annos duodecim. Patavium cum redjisset valetudinis gratia, paucis post diebus mortuus est anno MDXCI. Riccobonus in lib. 2. c. 9. scribit, alterum ex ejus filiis ad Jus Pontificium explicandum in hoc Gymnasio adhibitum fuisse. Vide ibi de *Pisone* plura.

MDLXXIX. *Flaminius Bradiolus* ex schola Sexti ad hanc traductus est stipendio suo flor. XX. eamque tenuit usque ad annum MDXC.

MDCXXIX.

MDCXXIX. III. kal. febr. *Josephus de Angelis* ex Regulis Juris translatus est florenis CL. Biennio post migravit ad locum secundum Juris Civilis vespertinum . Postea schola siluit.



PRI-

PRIMA JURIS CIVILIS SCHOLA

MERIDIANA INTER EXTRAORDINARIAS.

ANno MDXVII. XII. kal. dec. *Antonius Porcellinus* Patavinus, qui ante bellum ſcholam hanc tenuerat, rurſus excitus eſt decreto Senatus, attributis ſalarii nomine florenis ſeptuagenis.

MDXVIII. XV. kal. ſept. Idem *Porcellinus* ab Univerſitate, cui electionis arbitria permiſſa fuerant, confirmatus eſt: ſed cum abnuiſſet, IV. id. oct. electus eſt *Marcus Antonius de Godis* Vicetinus, aſſignato ſtipendio florenorum LI. quod certum ac firmum ſcholæ eſſet.

MDXXI. Pridie kal. dec. *Vincentius Rubeus* Patavinus, qui biennio poſt migravit ad ſcholam primam Sexti.

MDXXIII. XV. kal. dec. *Jo. Franciſcus de Oſeriis* Tolentinas ex ſchola Inſtitutionum prima translatus.

MDXXV. V. id. nov. *Jo. Baptiſta Magrè* Vicetinus.

MDXXVI. VI. id. nov. *Marcus Antonius de Villamarca* Veronenſis.

MDXXVII. Prid. kal. dec. *Aloyſius de Carminatis* Veronenſis.

MDXXVIII. III. kal. maj. *Antonius Trapolinus* Patavinus, *Petri* Artium Profeſſoris filius, ex ſchola Sexti ad hanc traductus. Anno ſequenti pridie non. ſept. fato præreptus eſt. De illo Scardeonius l. 2. Claſſ. 8. p. 190.

MDXXIX. Poſtridie id. ſept. *Caſpar Sajanus* Brixianus.

MDXXXI. XIV. kal. jun. *Vincentius Stella* Brixianus, cujus loco intra menſem electus eſt *Princivallis Barbiſonus* ejus conterraneus.

MDXXXII. III. kal. ſept. *Melchior Scaravellus* Pedemontanus.

MDXXXIII. XIV. kal. ſept. *Arnaldus Ferrerius* Gallus, cui

cui anno sequenti pridie kal. maj. ad litterarium curriculum explendum suffectus est *Bartbolomæus Fayo* nationis ejusdem.

MDXXXIV. XIII. kal. sept. *Hieronymus Bragatus* Cremensis, qui cum repente abiisset, ejus loco XI. kal. nov. electus est *Camillus Costa* Maceratensis.

MDXXXV. V. kal. sept. *Hieronymus Trissinus* Vicetinus.

MDXXXVI. XVII. kal. sept. *Fabius de Bonifaciis* Tarvisianus.

MDXXXVII. V. kal. nov. *Antonius Balduinus* Tridentinus. Sed cum anno vertente obiisset, docuit mense ultimo *Nicolaus Maria Scriva* Hispanus.

MDXXXVIII. III. non. nov. *Onufrius de Madiis* Brixianus. Sed mense februario anni sequentis, cum scholam deseruisset, suffectus est III. non. mart. *Andreas Elia* Patavinus.

MDXXXIX. XV. kal. sept. *Valerianus de Monte* Vicetinus, qui V. id maj. locum cessit *Petro de Candis* Patavino.

MDXL. XV. kal. nov. *Nicolaus Durastante* Anconitanus.

MDXLI. XII. kal. sept. *Marcus Antonius a Ripa* Brixianus.

MDXLII. XV. kal. sept. *Cornelius Boninus* Brixianus, qui extremo anni transiit ad Clementinas, locumque cessit *Seraphino Rotingo* Salodiensi. Porro *Rotingus* substituit sibi mense junio anni sequentis *Thomam Grisellum* conterraneum suum.

MDXLIII. XVI. kal. sept. *Aloysius Marogna* Veronensis.

MDXLIV. Postridie id. aug. *Gregorius Gualteruccius* Romanus, qui hoc ipso anno, sublata schola, translatus est ad locum primum Institutionum cum Textu, & Glossa.

SCHOLA SECUNDA JURIS CIVILIS

MERIDIANA

INTER EXTRAORDINARIAS.

SCholam hanc anno ultimo ante bellum regebat *Jacobus de Villabruna* florenis XXX. conductus; quod ſtipendium certum ac firmum, etiam poſt bellum, ſcholæ fuit. Remiſſo juſtitio, elapſoque anno primo, xv. kal. ſept. MDXVIII. electus ab Univerſitate eſt *Federicus de Rogeriis*, al. *Rogerius*, Patavinus, origine Regienſis, & quidem ad annum, ut moris erat. Sed triennio poſt rurſus in Gymnaſium accitus eſt ad ſcholam Ordinariam tertiam Pomeridianam; anno autem MDXLIV. ad Pomeridianam primam Textus, Gloſſæ, & Bartholi.

MDXX. Pridie kal. dec. *Simeon de Albertis* Brixianus.

MDXXI. Prid. kal. dec. *Hieronymus de Boccalinis* Acelinus.

MDXXII. Pridie kal. jun. *Paullus Baratus* Brixianus.

MDXXIII. XIII. kal. jan. *Thomas de Lonico* Vicetinus, cui XIII. kal. jun. anni ſequentis ſuffectus eſt ad litterarium penſum explendum *Sigiſmundus Brunellus* Patavinus.

MDXXIV. xv. kal. nov. electi ſunt *Georgius Provana* Pedemontanus, & *Jo. Paullus de Aſſaſſinis* Ferrarienſis, & inter ſe comparati, diviſo ſtipendio. Porro alter hic ex prima Inſtitutionum ſchola venerat. Neuter tamen curſum abſolvit. Itaque anno ſequenti pridie kal. maj. in eorum locum ſuffectus eſt *Antonius Villa* Neapolitanus.

MDXXV. VI. kal. ſextil. *Antonius Camutius* ex Civitate Auſtria, cui anno ſequenti v. id. april. ad litterarium curriculum explendum ſucceſſit *Antonius Trapolinus*.

MDXXVI. XVI. kal. nov. *Marcus Antonius de Villamarca* Veronenſis, qui menſe proximo ad ſcholam primam aſcendit:

dit: ejus autem locum occupavit *Galeaccius Feramusca* Vicetinus. Sed cum anno sequenti ineunte *Feramusca* abiisset, revocatus est ad cursum absolvendum *Antonius Trapolinus*.

MDXXVII. Postrid. kal. nov. *Dominicus de Ninna* Bariensis.

MDXXIX. Postridie non. decembr. *Aloysius Cengbiarius* Tarvisianus.

MDXXX. XIV. kal. sept. *Bonaventura Barilli* Lucensis.

MDXXXI. VII. kal. sept. *Michael Hospitalis* Burgundus.

MDXXXII. III. kal. sept. *Camillus Manerba* Brixianus. Anno sequenti cum abiisset, pridie non. maj. electus est *Hieronymus Bucchia*, cui ægrǒtanti suffectus est mense proximo *Benignus de Rossano*.

MDXXXIII. XIV. kal. sept. *Andreas Maurus* Veronensis, cui anno sequenti postridie non. Maj. successit *Petrus Panizza* ad cursum litterarium absolvendum.

MDXXXIV. XIII. kal. sept. *Camillus Costa* Maceratensis, qui mense proximo transiit ad locum primum, revocatusque *Panizza* est.

MDXXXV. V. kal. sept. *Rainaldus Rosellus* Patavinus, qui anno sequenti exæquatus est loco & stipendio scholæ primæ Professori.

MDXXXVII. V. kal. nov. *Franciscus Pelizzonus* Patavinus.

MDXXXVIII. III. non. nov. *Franciscus Buccamajor de Gattis* Mantuanus.

MDXXXIX. XV. kal. sept. *Hieronymus Malvetius* Brixianus.

MDXL. XV. kal. nov. *Franciscus de Scotis* Senensis, qui se mense aprili anni sequentis abdicavit; ejusque loco suffectus est *Nascimbenus Pectenellus* Patavinus.

MDXLI. XII. kal. sept. *Augustinus de Madiis* Brixianus, in cujus locum suffectus est mense junio anni sequentis *Joannes de Ferro* Patavinus.

MDXLII. XV. kal. sept. *Alexander Campesanus* Bassanensis, cui successit anno sequenti pridie non. apr. *Guido Branca* Patavinus.

MDXLIII. XVI. kal. fept. *Jo. Baptifta Maragna* Veronenfis, Comes & Eques.

MDXLIV. Poftridie idus fextil. *Cornelius Zambellus* Venetus, qui, claufa fchola, ad locum fecundum Inftitutionum cum Textu, & Gloffa translatus eft.



SCHO-

SCHOLA TERTIA JURIS CIVILIS
MERIDIANA
PATAVINORUM GRATIA INSTITUTA

Stipendio florenorum XX.

ANno MDXVIII. Primus post bellum accessit ad scholam hanc *Vincentius de Rubeis*, qui triennio post ascendit ad primam.

MDXXIII. *Aloysius Musca*.

MDXXVI. *Caspar Castellanus*.

MDXXIX. *Francifcus Maripetrus Saxonia*.

MDXXXVII. v. kal. nov. *Antonius de Baculis* Ascrivienfis

MDXXXIX. *Dominicus de Barbobus* de Soncino, qui quinquennio post, clausa schola, migravit ad Sextum Decretalium.



PRI-

PRIMA JURIS CIVILIS SCHOLA

ORDINARIA POMERIDIANA.

Ad Primam, & secundam partem Infortiati.

TOto post bellum quadriennio cum vacasset schola hæc, anno demum MDXXII. XI. kal. nov. electus ad eam est *Petrus Paullus Parisius* Consentinus, qui antea primam tenuerat Juris Canonici matutinam. Constituti sunt illi floreni libellarum quinque DCCL. auctique anno MDXXVII. VII. id mart. ad argenteos millenos libellarum sex & solidorum quatuor. Sed triennio post operam suam Bononiensibus addixit. Inde autem Romam se contulit, ubi primum Cameræ Auditor, ut eum vocant, Apostolicæ fuit, deinde Cardinalis creatus est a Paullo III. anno MDXXXIX. Reliqua ejus merita, & fata habes apud Papadopolum T. I. p. 247. & Biographos alios. Scripsit *Responsa*, *Lecturas*, & *Commentaria* pro more illorum temporum.

MDXXXIII. XII. kal. nov. *Marianus Socinus* junior ex loco secundo ad hunc ascendit florenis millenis, qui anno MDXXXV. mutati sunt in argenteos Venetos, quos ducatos appellant; anno autem MDXL. in scutatos aureos libellarum septem. Biennio post a multis Principibus expetitus ob ingentem quam sibi pepererat, nominis famam, ad Bononienses transire maluit, in quorum Gymnasio mortuus est anno MDLVI. De illo multa Papadopolus t. I. p. 251.

MDLX. XIII. Kal. mart. *Hieronymus Torniellus* ex loco secundo evectus florenis centenis quinquagenis supra mille. Sed triennio post ad Ticinense Gymnasium rediit, unde venerat, ibique mortuus est anno MDLXXV. De ejus vita, fatis, & operibus vide Pancirolum ejus æqualem l. 2. c. 176. & Papadopolum. t. I. p. 252.

MDLXIII.

MDLXIII. Universitas commendavit *Tobiam Nonium* Perusinum; sed magis placuit *Julius Salernus* Ticinensis, qui per multas Italiæ scholas fama ingenti vagatus fuerat. Itaque prid. kal. oct. conductus est florenis quingenis. Intra annum mortuus est; ejusque heredibus stipendii reliqua usque ad litterarii curriculi finem Principis munificentia soluta sunt. Ceterum ad curriculum explendum docuere substituti duo, loco & honore pares, *Bonifacius Rogerius*, & *Franciscus Mantica*, ut est in Actis Cod. 47. p. 4.

MDLXV. *Joannes Cephalus* Ferrariensis, qui superioribus annis Patavii docuerat, si Buccio credimus, postea vero Papiam migraverat, ex eo Gymnasio revocatus est hoc anno XIV. kal. sept. florenis millenis, qui anno MDLXXII. in aureos mutati sunt. Obiit anno MDLXXXI. laudatusque est in funere a Riccobono, cujus oratio extat. Videndus etiam Papadopolus in t. I. p. 254. & Tomasinus in Elogiis t. I. p. 70. non tamen omnia pro certis habenda.

MDLXXXII. XIV. kal. maj. *Guido Pancirolus* Regiensis, qui antea Patavii docuerat, ex Taurinensi Gymnasio revocatus est aureis millenis, qui bis aucti; anno MDXCV. III. non. nov. crevere ad MCC. Quadriennio post mortuus est. Multa de illo Papadopolus in T. I. p. 259. Ejus quoque Opera recenset, inter quæ eminent, ad usum nostrum quod attinet, libri quatuor de claris Legum Interpretibus. In Diario MS. Gabrielis Sansoni p. 106. memoratur etiam *Laurentius Pancirolus*, qui in Jurisconsultorum Collegium admissus est anno MDLVI. XIV. kal. nov. diciturque ibi *Lector Ordinarius*.

MDXCIX. Cum idibus majis *Pancirolus* mortuus esset, nonis oct. successit *Sfortia Oddus* Perusinus, qui in patria profitebatur, multisque antea in Gymnasiis fuerat. Constitutum illi stipendium est aureorum M. adjectis ducentis ad itineris expensas. Anno proximo magnis conditionibus abductus est a Duce Parmensi, qui Gymnasium recens instituerat. Ex Rossi Diario p.84.

MDCII.

MDCII. IX. kal. nov. Comes & Eques *Jacobus Gallus* Neapolitanus, ex Messanensi Gymnasio accitus est non sine contentione multa stipendio aureorum M. adjectis argenteis ducentis in antecessum solvendis ad itineris expensas. Bis confirmatus est decretis admodum honorificis, auctumque stipendium ejus anno demum MDCXVII. ad aureos quadringenos supra mille. Sed anno post VIII. kal. apr. mortuus est, cum oculorum usum aliquanto ante amisisset. In Patrum Theatinorum æde ex testamento conditus est: sed funus illi celebratum est in templo D. Antonii, orationemque habuit Sigismundus Boldonius Mediolanensis coram Gymnasio toto, atque Urbis Rectoribus. De ejus vita, & scriptis Papadopolus t. I. p. 268. & Tomasinus in Elogiis t. I. p. 207.

MDCXX. *Julius Pacius* Vicetinus, cum anno superiore hæresim ejurasset, cujus caussa in Germaniam confugerat ætate prima, XII. kal. maj. evocatus est ex Valentino Gymnasio, agente Parisiis Veneto Legato, ut bona Regis Christianissimi venia discedere posset. Decretum illi stipendium est aureorum MCC. libellarum septem, præbitis insuper quadringentis ad itineris expensas; & filio ejus *Jacobo* ad Authentica explicanda conducto. Et ne quid ad commodum & honorem deesset, ornatus est statim Equitis titulo & insignibus a Veneto Duce Antonio Priolo. Attamen cito pertæsus, cum suorum desiderium, quos in Gallia reliquerat, ferre non posset, Valentiam cum filio rediit, ibique docendo consenuit, Consiliariis quoque honorariis Senatus Gratianopolitani adscriptus, auctusque pensione coronatorum DC. Obiit anno MDCXXXV. Vir fuit non Jurisprudentiæ modo, sed etiam Aristotelicæ Philosophiæ longe omnium suæ ætatis peritissimus. Vitam ejus, & opera describunt Tomasinus in Elogiis t. 2. p. 169. Papadopolus t. I. p. 270. Capassius l. 4. c. 6. p. 337. & postremus Niceronus vol. 39. p. 270. Vide etiam Epistolas Italicas Virorum Illustrium. Illud ego omittere non debeo, quod ex domestico Bidelli Generalis commentariolo cognovi,

modum

modum ejus docendi, Patavinis ſcholis parum idoneum, minime placuiſſe; ideoque bona Principis & Univerſitatis venia diſceſſiſſe. Videlicet paullo ſenior ad nos acceſſerat, quam ut poſſet memoriæ periculis aſſuefieri.

MDCXXVI. IX. kal. mart. *Bartholomæus Vecchius* Senenſis, magni per Italiam nominis famæque Juriſconſultus, ad ſcholam hanc regendam ex Parmenſi Gymnaſio vocatus eſt florenis MCD. quibus præterea duceni additi ſunt anno MDCXXXII. Primus hic Veneti Juriſtarum Collegii Præſes fuit. Sed quinquennio poſt ad Piſanum Gymnaſium deductus eſt a Principe ſuo Magno Etruriæ Duce.

MDCXXXVIII. XII. kal. nov. *Carbonchius de Carbonchiis* Peruſinus ex Meſſanenſi Gymnaſio accitus eſt florenis quadringenis ſupra mille, attributis inſuper trecentis ad itineris expenſas. Anno MDCXLV. confirmata illi ſchola eſt ad ſexennium, additique ſtipendio ejus floreni duceni. Poſtremum conductionis annum ſenectute debilitatus explere non potuit: attamen integrum illi ſtipendium Principis liberalitate ſolutum eſt, & venia data redeundi in Patriam.

MDCLI. V. non. mart. Comes *Jacobus Caimus* Utinenſis ex ſchola ſecunda traductus florenis ſexcentenis, qui ſæpius aucti, anno demum MDCLXXVI. III. id. apr. crevere ad MCM. Triennio poſt mortuus eſt. Laudatur a Papadopolo in t. I. p. 159. cui adde, Univerſitatem idib. mart. MDCLXXIX. decreviſſe illi publicum in Gymnaſio monumentum. Ex Actis Cod. 39. p. 10.

MDCLXXXI. X. kal. nov. *Almericus Paſſarellus* Ferrarienſis ex ſchola prima Juris Canonici matutina tranſlatus eſt florenis octingenis. Sed cum bonus ſenex dare operam liberis conſtituiſſet, uxore ducta, obiit intra annum.

MDCLXXXII. Pridie id. octobr. *Julius a Puteo* Marchio & Eques Veronenſis, ex Adſeſſorum ordine, in quo ſibi famam judicando & ſcribendo pepererat, in Gymnaſium venit florenis conductus octingenis, quibus

præterea LXXX. additi sunt decennio post. Sed novo laboris genere, & senectute fractus rediit in patriam, ibique mortuus est.

MDCXCIV. XII. kal. sextil. *Jo. Baptista Rainis* Venetus ex loco secundo ad hunc ascendit stipendio suo flor. quingenorum, qui sæpius aucti crevere ad millenos. Veram solidamque tenuit Jurisprudentiam; nihilque ei defuit ad recte docendum & disputandum. Obiit anno MDCCXXV. VII. kal. sextil. Ejus laudes habes apud Papadopolum t. 1. p. 159. inter quas illa mihi rursus memoranda videtur, quod bibliothecam suam Gymnasticæ legaverit.

MDCCXXI. Prid. kal. nov. *Antonius Bombardinus* Canonicus Primicerius Patavinus, ex Criminalium schola translatus est florenis quingenis. Sed anno post v. id. nov. mortuus est. In veteri eruditione libenter versabatur, plurimumque valebat: cujus rei argumento est Syntagma de Carcere & antiquo ejus usu, anno MDCCXIII. ab illo editum. Monendum autem puto, virum egregium, cum hæc scriberet, & Criminalia tractaret, nondum Ecclesiæ addictum fuisse.

MDCCXXVII. IX. kal. maj. *Petrus Bertoldus de Amatis* Patavinus, Præpositus S. Sophiæ ex schola secunda Juris Canonici matutina ad hanc progressus est stipendio florenor. CCCL. Triennio post VI. id. febr. decessit. Vir fuit Juris utriusque valde peritus, sed magis Canonici, quam Civilis. Idcirco Ecclesiasticis controversiis disceptandis tota vita adhibitus est; magnumque sui desiderium Episcopali hujus civitatis Curiæ reliquit.

MDCCXXX. IV. id. aug. *Antonius Arrighius* ex schola Juris Pontificii secunda matutina translatus est florenis quadringenis, qui sæpius aucti anno demum MDCCLI. XVI. kal. oct. crevere ad MCC. Tum in hac, tum in priore schola cum esset, quædam cum laude scripsit, typisque edidit.

SE-

SECUNDA JURIS CIVILIS SCHOLA

ORDINARIA POMERIDIANA.

Ad primam, & secundam partem Digesti novi.

ANno MDXVIII. XII. kal. febr. *Vincentius Salviolus ab Occa* Bononiensis ad scholam hanc regendam ex patrio Gymnasio accitus florenis CCCCL. cum antea & Taurini, & Papiæ non sine magna doctrinæ fama docuisset. Eodem anno IV. id. nov. datus illi collega est, qui pari loco doceret, & cum eo certaret, *Aloysius Discalcius* Patavinus: quandoquidem neminem adhuc fortuna offerebat, qui loci primi dignitatem & amplitudinem tueri posse videretur. Sed hic quidem biennio post abdicavit, seque Veneto foro dedit. Suffectus est *Jo. Franciscus Burla* Placentinus, qui scholam matutinam tenebat; sed paullo post eo rediit, unde venerat: ejusque locum occupavit *Franciscus Sfondratus* Cremonensis, Gregorii Papæ XIV. pater, postea Cardinalis. Hic in Collegium receptus est anno MDXXIV. sed cito abiit.

MDXXVI. Mortuo *Salviolo*, *Marianus Socinus* junior, qui anno superiore per menses paucos in schola prima docuerat, conductus est florenis DCXXV. subinde auctis ad octingenos kalendis dec. MDXXVIII. Quinquennio post ad scholam primam evectus est.

MDXXXII. VIII. kal. jun. *Ragusius de Raguseis* Perusinus, petente Universitate, accitus est ex patrio Gymnasio florenis quingenis, sed ad annum tantum, quo elapso, discessit.

MDXXXIV. V. non. oct. *Fabius Accorambonus* Eugubinus, qui in ipso ætatis flore Patavii docuerat, revocatus est florenis quingenis. Sed quinquennio post Romam rediit, unde venerat, ibique post annos duos inter Rotæ Judices relatus est.

est. Obiit anno MDLIX. De illo Pancirolus l. 2. c. 178. & Papadopolus t. 1. p. 252.

MDXXXIX. Pridie non. oct. *Caspar Malmignatus* Lendenariensis ex prima Civilium Institutionum schola ad hanc translatus est florenis CXX. Triennio post valetudinis caussa ultro abdicavit. De illo Mantua n. 117.

MDXLII. xv. kal. Nov. *Julius Oradinus* Perusinus, qui prima docendi rudimenta in patrio Gymnasio posuerat; & *Ansuinus de Medicis* Camerinensis, qui & Bononiæ & apud Biturigas in Gallia professus fuerat, pari loco & honore ad scholam hanc regendam vocati sunt, non tamen pari stipendio. *Oradino* enim floreni CCCL. tributi sunt, *Ansuino* CCCC. sed *Oradinus* quidem anno MDXLIV. mense februario discessit, variisque muneribus & in Patria, & Romæ functus, demum anno MDLXIV. Perusinus Episcopus declaratus est. Paullo post *Ansuinus* quoque ad suos rediit. De hoc Riccobonus l. 1. c. 14. & Papadopolus t. 1. p. 248.

MDXLIV. Kalendis apr. *Hieronymus Torniellus* Novariensis, non Jurisperitus modo, sed etiam Theologus, qui multis in Gymnasiis per Italiam docuerat, conductus est florenis CCC. sed cito crevere ad millenos. Statim in Collegium admissus est, & post annos octo ad locum primum ascendit.

MDXLV. vi. kal. nov. *Joannes Scapinellus* Mutinensis collega *Torniello* datus est stipendio florenorum CCC. Sed triennio post abiit.

MDXLVIII. xi. kal. apr. *Matthæus Gribaldus Mopha*, ex Cheriano Galliæ Oppido, florenis octingenis conductus est, qui bis aucti crevere ad centenos supra mille idib. oct. MDLII. Tanta frequentia docuit, ut interdum locus auditoribus deesset. Sed anno post hæreseos compertus Genevam secessit, inde autem post varias peregrinationes Lugdunum, qua in urbe crimen ejuravit. De illo Papadopolus l. 1. p. 252. Operibus, quæ ab eo recensentur, adde Catalogum Ju-

ris

ris Interpretum versibus conscriptum. Plura habes apud Niceronum vol. 41. p. 235.

MDLVI. Postridie non. oct. Cum biennio ante *Guido Pancirolus* Substituti nomine in schola hac docere cœpisset, totique probaretur Universitati, demum florenis trecenis conductus est, ut *Tornielli* collega esset. Ejus stipendium bis auctum, anno MDLXIV. crevit ad florenos DCL. Sexennio post ad Taurinensem migravit Academiam magnis conditionibus accersitus. Sed anno MDLXXII. ad nos rediit, locumque primum occupavit.

MDLXX. VI. id. jul. *Franciscus Mantica* ex tertio Juris Civilis matutini loco traductus est florenis CCCL. quibus duceni additi sunt anno MDLXXVI. nonis juniis. Sexennio post ad scholam matutinam migravit.

MDLXXII. XIII. kal. Jan. *Bonifacius Rogerius* Comes & Eques, ex tertia Juris Civilis pomeridiani schola ad hanc translatus est florenis trecenis, ut *Manticæ* collega esset, eique loco & honore par. Ejus stipendium bis auctum crevit ad florenos septingenos anno MDLXXXVIII. Triennio post v. kal. aug. mortuus est. De illo Riccobonus l. 2. c. 12. & l. 4 c. 8. ubi ridiculam controversiam refert cum *Angelo Matthæaccio*, quem sibi de via decedere volebat, quoties obviam fieret.

MDXCII. *Petrus Paullus Rutilius* Coloniensis, qui gravissimum *Consultoris Ecclesiastici* munus magna cum dignitate Venetiis sustinebat, traductus est Patavium XIII. kal. feb. ad regendam scholam hanc florenis CCCC. Anno exacto, sponte abdicavit Vicetiam profectus ad cernendam Antonii fratris hereditatem, qui Vicarius Episcopi fuerat. Ibi autem Jurisconsultorum Collegio adscriptus vixit usque ad annum MDXCVII. Bernardini Rutilii longe celeberrimi nepos fuit, & *Martii* frater, qui ante illum in Gymnasio docuit. De illorum studiis, totiusque vitæ institutis scripsit Jo. Baptista Sablonus in Tom. XIV. opuscul. Venet. anno sæculi hujus trigesimo septimo.

MDXCIV.

MDXCIV. *Rutilii* locum occupavit IV. kal. mart. *Joachimus Scainus* Salodiensis. Conductus est florenis quingenis, qui bis aucti, anno MDCVII. postridie id. oct. crevere ad CM. Anno post obiit. De illo Tomasinus l. 2. c. 13.

MDCVIII. III. kal. oct. *Alexander Galvanus* Centensis ex Gymnasio Ferrariensi accitus est florenis D. quibus additi sunt duceni anno MDCXV. Sed anno post obiit. Habitus est inter Jurisconsultos eruditos; & quædam etiam scripsit, de quibus Papadopolus T. I. p. 267.

MDCXVII. x. kal. maj. *Jacobus Antonius Marta* Neapolitanus ex prima Juris Canonici pomeridiani schola traductus est florenis octingenis. Anno MDCXXI. e vita discessit. De illo, ejusque moribus, & operibus Papadopolus t. 1. p. 268.

MDCXXIII. Postrid. kal. nov. *Carbonchius de Carbonchiis* ex Perusino accitus Gymnasio, & *Alexander Syncliticus* ex schola prima Juris Canonici pomeridiana translatus, florenis uterque septingenis, in schola hac operam suam fidemque obstrinxerunt, vacante interim loco primo. Triennio post ad scholam matutinam ordinis ejusdem simul transierunt.

MDCXXVI. III. id. apr. *Octavius Salgherius* Patavinus ex schola matutina traductus est florenis septingenis, qui anno MDCXXIX. III. id. mart. crevere ad DCCCL. Biennio post peste sublatus est. De illo Tomasinus l. 2. c. 13.

MDCXXXI. x. kal. oct. *Joseph de Angelis* Patavinus ex tertio Juris Civilis matutini loco ad hunc ascendit florenis CCL. quibus insuper duceni additi sunt anno MDCXXXVIII. Sed in ipso ætatis flore scholam vitamque deseruit. Tomasinus de Gymnasio l. 2. c. 13.

MDCXLIII. III. non. nov. *Co. Jacobus Caimus* Utinensis ex Pandectis traductus florenis DC. qui quinquennio post crevere ad CM. Anno autem MDCLI. ad locum primum ascendit.

MDCLVI. v. id. febr. *Joannes Michael Pieruccius Bondichius* ex Pandectis translatus florenis octingenis, addita loci præ-

prærogativa. Anno MDCLXI. locum primum matutinum occupavit.

MDCLXII. VIII. kal. febr. *Comes Antonius Aloysius Aldrobgbettus* Patavinus ex schola matutina traductus, æquatusque primario est, aucto etiam stipendio ad florenos CL. supra mille, qui anno MDCLXVIII. crevere ad MCD. Sed hic ipse annus finis illi vitæ fuit. Papadopolus t. I. p. 273. opus ab illo editum memorat *de absoluta Philosophiæ cognitione*, itemque anecdota quædam. Sed plura de illo Mazzucchelus T. I. p. 399.

MDCLXIX. Nonis dec. *Achilles Bonfilius* Patavinus ex Pandectis traductus est florenis trecenis, qui semel atque iterum aucti, anno MDCLXXVIII. III. id. jul. crevere ad DXX. Quinquennio post v. id. sextil. fato functus est

MDCLXXXIII. Pridie kal. sept. *Jo. Baptista Castellus* Patavinus ex prima Institutionum schola ad hanc translatus est florenis ducenis, qui duplicati sunt quadriennio post. Obiit anno MDCXCII. pridie kal. nov.

MDCXCII. IV. id. april. *Jo. Baptista Rainis* Venetus ex Pandectis traductus est florenis quingenis. Biennio post ad locum primum ascendit.

MDCXCV. Nonis majis *Stephanus a Nivibus Cardeira* ex Pandectis traductus est florenis DCC. quibus centeni additi sunt XIII. kal. jan. MDCCIII. Quinquennio post ad scholam primam matutinam evectus est.

MDCCVIII. XI. kal. jan. *Vincentius Viale* Patavinus ex Pandectis huc processit stipendio florenorum CCL. quibus præterea centeni additi sunt post annos undecim. Anno MDCCXXIX. fato concessit, legatis publicæ Bibliothecæ libris suis.

MDCCXXXI. VIII. kal. mart. *Antonius Tertius* Bergomas ex Adsessorum ordine, inter quos haud dubie eminebat, evocatus est florenis quadringenis, qui bis aucti anno MDCCXLIII. III. kal. oct. crevere ad octingenos. Quinquennio post ad primam

mam Juris Canonici ſcholam matutinam aſcendit.

MDCCXLVIII. xv. kal. ſextil. *Stelius Maſtraca* Corcyrenſis conductus eſt ad hunc locum florenis CCCL. Ineunte anno MDCCL. datus eſt decreto Senatus comes & adſeſſor præſtantiſſimo Senatori Joanni Donato *Commiſſario* ad componendas inter noſtros & Tirolenſes finium controverſias. Anno MDCCLIV. XIII. kal. maj. evectus eſt, quamvis abſens, ad ſcholam primam ordinariam matutinam.

MDCCLIV. XIII. kal. maj. *Joannes Maria Panighettus* translatus eſt ex loco tertio Juris Canonici, aſſignato ſtipendio florenor. CCC.



SCHO-

SCHOLA TERTIA JURIS CIVILIS

POMERIDIANA

PATAVINORUM GRATIA FLORENIS XX.

ANno MDXVIII. XI. kal. jan. electus est ad locum hunc *Marcus Mantua Benavidius*, qui triennio post migravit ad primam Sexti Decretalium scholam.

MDXXII. XIII. kal. jul. *Federicus de Rogeriis* Ludovici illius filius, qui sub finem sæculi superioris sibi suisque sepulchrum condidit extra januam Basilicæ Antonianæ ad aquilonem, quatuor columnis suffultum. Triennio ante in Gymnasio fuerat inter Professores meridianos.

MDXXIV. *Sigismundus Brunellus*, qui anno sequenti transiit ad locum secundum Juris Canonici pomeridianum.

MDXXV. III. kal. nov. *Marcus Antonius Blancus*, qui scholam retinuit quadriennium.

MDXXIX. Prid. id. dec. *Carolus Guarnacia* Montaneanensis, cui ob insignem industriam anno MDXXXII. auctum est stipendium decreto Senatus ad florenos sexagenos, anno autem MDXLI. ad centenos.

MDXLVIII. III. kal. sextil. *Petrus Leonius*, qui docuit usque ad annum MDLXV.

MDLXVI. Postrid. id. dec. *Bonifacius Rogerius* traductus ex loco primo Textus, Glossæ, & Bartholi pomeridiano, attributo stipendio florenorum CL. & addita conditione, ne primi, aut secundi loci Professores tenerentur in disputationibus encyclicis illi respondere. Anno MDLXXII. XIII. kal. jan. translatus est ad locum secundum, & *Manticæ* æquiparatus.

Eodem anno MDLXVI. *Nicolaus de Campo S. Petri* Patavinus, qui locum tenuit una cum *Rogerio* usque ad annum MDLXXIII.

MDLXXIII. *Franciscus Zabarella*.

MDLXXXIII. Postridie id. nov. *Marcus Trivisanus*, qui quinquennio post translatus est ad scholam Institutionum tertiam.

MDXC. *Claudius a Curtivo*, qui post annos duodecim ad secundam Civilium Institutionum scholam translatus est.

MDCII. VIII. kal. nov. *Jo. Paullus Tardisius*.

MDCXI. V. kal. nov. *Fabius Maximus*.

MDCXVII. XI. kal. oct. *Paullus Leonius*.

MDCXXVIII. *Antonius Leonius*.

MDCXLV. XI. kal. aug. *Hieronymus de Zachis*.

MDCLIX. Pridie kal. jun. *Franciscus Salinerius*.

MDCLXII. XVII. kal. sept. *Jo. Franciscus Savonarola*.

MDCLXVIII. XII. kal. jul. *Vincentius Viale*, qui anno MDCXCVII. ad Pandectas evectus est.

MDCXCVII. III. non. dec. *Antonius Panzoldus*, qui scholæ hæsit eodem vicenorum stipendio usque ad supremum vitæ diem an. MDCCXXI.

MDCCXXI. V. kal. apr. *Jo. Baptista Gomberti*, qui se anno MDCCXXXII. abdicavit.

MDCCXXXIV. III. id. aug. *Antonius Pastorius*, qui anno MDCCXLVII. Prætoris Bergomensis adsessor electus est.

MDCCXLIX. pridie non. febr. *Hieronymus Capovilla*, qui frustra per triennium Rotulum occupavit.

MDCCLII. IV. non. mart. *Caspar de Donatis*, qui scholæ possessionem oratione de more habita cum cepisset, postea Gymnasio abstinuit.

PRI-

PRIMA CIVILIUM INSTITUTIONUM
S C H O L A,
QUÆ INTER ORDINARIAS HABITA EST.

QUarto sæculi sextidecimi anno IV. non. jul. Institutionum Civilium scholas duas esse Senatus jussit, quarum primæ stipendium assignavit florenorum L. secundæ XXX. nono autem prima hæc regebatur per *Arcuanum Buzzacarenum* Patavinum. Ingruente bello, siluit cum aliis usque ad annum MDXV. quo, si Tomasino fides, ad eam rursus aperiendam electus est *Marcus Mantua Benavidius* ab ipso Venetarum copiarum ductore Bartholomæo Liviano. Sed electionis hujus certa monumenta nulla sunt. Illud extra controversiam est, pace anno MDXVII. composita, primum omnium *Mantuam* Institutiones explicuisse, sed in schola secunda, & stipendio paullo majore, quam scholæ conditio ferebat. Prima anno sequenti xv. kal. sept. *Nicolao Zanotto* Patavino commissa ab Universitate est stipendio suo florenorum L. quod quidem certum ac firmum scholæ fuit, quamdiu electionis arbitria ad Universitatem pertinuere. Fere autem Scholares eligi consueverunt, & quidem singuli in annos singulos, vel binos.

Anno MDXIX. III. kal. jan. electus est *Guido de Pluvenis* Vicetinus.

MDXX. Postridie id. maj. *Fabius Capella* Romanus, qui anno superiore scholam secundam tenuerat.

MDXXII. *Jo. Franciscus de Oseriis* Tolentinas, in cujus locum paullo post suffectus est *Jo. Franciscus Bebius* Regiensis, loci secundi Professor.

MDXXIII. Rursus electus est *Oserius*, qui cito transiit ad locum primum Juris Civilis meridianum, eique successor da-

tus eſt *Jo. Paullus Ptolemæus de Aſſaſſinis* Ferrarienſis. Sed hic quoque anno ſequenti ad Jus Civile meridianum migravit, loco ſecundo contentus.

MDXXIV. Kal. ſept. electus eſt ab Univerſitate *Dionyſius Montia* Romanus; quem confirmavit Senatus decreto ſuo III. id. oct. Anno ſequenti VIII. kal. jul. ſuffectus eſt ad menſes paucos *Fabius Accorambonus*.

MDXXV. III. non. nov. *Bernardinus de Marzariis* Vicetinus cui menſe aprili anni ſequentis, ad curriculum explendum, ſucceſſit conterraneus ejus *Petrus de Lonico*.

MDXXVI. XVI. kal. ſept. *Comes Pigafetta* Vicetinus.

MDXXVII III. kal. nov. *Albertus Papaito* ex Portu Naonis, cui menſe februario anni ſequentis ad curriculum explendum ſucceſſit *Camillus a Porto* Vicetinus. Huic autem ipſi additus eſt, & loco æquatus *Franciſcus Diſcalcius* Patavinus.

MDXXVIII. Kal. dec. ſcholæ hujus arbitrium ſibi Senatus adſcivit, revocavitque *Jo. Franciſcum de Oſeriis*, qui ad locum ſecundum Juris Canonici pomeridianum migraverat, conſtituto ſtipendio florenor. CXX. ad quadriennium. Anno MDXXX. V. id. apr. cum *Oſerius* ob patris mortem reverſurus in Patriam eſſet, Univerſitas Magiſtratui commendavit *Antonium Covium* Mediolanenſem, qui in Papienſi Gymnaſio magnam ſibi doctrinæ famam acquiſierat: ſed commendationis hujus ratio nulla habita eſt.

MDXXXI. V. non. mart. *Nicolaus Ungarus*, qui biennio ante locum ſecundum tenuerat, flor. XC. conductus eſt ad triennium, addito onere capiendæ Laureæ, & diſputandi cum collega pro ejus ætatis more. Sed anno ſequenti bona Principis venia abdicavit.

MDXXXII. IX. kal. maj. *Caſpar Malmignatus* Lendenarienſis ex loco ſecundo per litteras Triumvirales translatus eſt, attributis florenis XLI. qui VI. id. nov. decreto Senatus aucti ſunt ad ſexagenos, anno autem MDXXXVIII. ad nonagenos.

genos. Anno post transiit ad locum secundum Juris Civilis pomeridianum.

MDXXXIX. XII. kal. nov. Cum *Hieronymus de campo S. Petri* loci secundi Professor, & una cum illo *Josephus Fontanella* Regiensis, *Antonius de Catharo*, & *Paullus de Leone* scholam hanc poscerent, omnes simul æquati loco & stipendio docere jussi sunt ad experimentum, ut is demum locum teneret, qui præstantissimus judicaretur. Anno sequenti, cum eminere visi essent *Hieronymus de Campo S. Petri*, & *Antonius de Catharo*, Senatus X. kal. nov. utrumque conduxit honore & stipendio pari florenor. LX. Porro cum *Antonius de Catharo* anno MDXLIV. transisset ad scholam matutinam Textus, Glossæ, & Bartholi, alter, qui solus mansit, anno MDXLIX. obtinuit florenos CXL. cum *Repetitionem* edidisset *super titulum de testamentis ordinandis*.

MDLIV. IV. id. feb. *Guido Pancirolus* Regiensis ex loco secundo ad hunc evectus est stipendio florenorum CXX. Biennio post migravit ad locum secundum Juris Civilis pomeridianum.

MDLVII. Prid. non. jan. *Philippus Octavianus de Cantù* Montaneanensis, qui loco secundo annis superioribus docuerat, conductus est florenis LXX. qui triennio post aucti sunt ad centenos. Anno MDLXI. transiit ad scholam secundam Juris Canonici matutinam, & aggregatus Collegio est, quod anno superiore per litteras Triumvirales frustra tentaverat.

MDLXI. IV. id. dec. *Bartholomæus Silvaticus* Patavinus, qui annis superioribus in schola hujus classis secunda docuerat, florenis sexagenis conductus est. Biennio post transiit ad Criminalia.

MDLXIII. Postrid. non. jun. *Cæsar Mazzonus* Cæsenas ex schola secunda traductus est florenis LX.

MDLXIV. XII. kal. oct. *Franciscus Mantica* ex loco secundo ad hunc ascendit florenis octogenis. Anno autem post descen-

scendit ad locum tertium Juris Civilis matutinum, ad ingenia exercenda institutum.

MDLXV. v. kal. jun. *Ottonellus Discalcius* Patavinus conductus est florenis XXX.

MDLXVIII. VII. kal. febr. *Philippus Octavianus de Cantù*, qui ante annos septem, ut diximus, ad Jus Canonicum migraverat, revocatus est florenis CCC. qui semel atque iterum aucti, anno MDLXXXII. crevere ad quingenos. Sexennio post mortem obiit, ejusque merita describit Riccobonus l. 2. c. 19.

MDLXXII. III. non. dec. *Sebastianus Monticulus*, qui locum secundum tenebat, æquatus est *Octaviano*, & habitus ipse quoque tamquam primus usque ad annum MDLXXVII. quo ad secundam Juris Canonici scholam pomeridianam translatus est.

MDLXXXVIII. IV. kal. sept. *Franciscus Branca* Patavinus ex secundo loco traductus florenis quadragenis. Sed obiit anno post. De illo Riccobonus l. 2. c. 22.

MDLXXXIX. v. kal. oct. *Aloysius Durantius* Venetus ex schola secunda ad hanc ascendit florenis LXXX. Triennio post mortuus est. Laudatur a Riccobono l. 3. c. 20. diciturque non Juris solum, sed etiam Philosophiæ Doctor.

MDXCII. v. kal. nov. *Fabricius Ceconus* Anconitanus ex Venetis scholis ad Patavinas traductus est flor. CLX. Nonnihil illi controversiæ cum *Riccobono* fuit Humanitatis Professore, quod alter alteri docendo impedimento esset: sed omnia per Civitatis Rectores composita sunt. Obiit anno MDXCIX.

MDXCIX. Postr. non. oct. *Octavius Salgberius* ex Regulis Juris ad scholam hanc traductus est florenis CXX. Anno sequenti ad Pandectas migravit.

MDC. XII. kal. nov. *Octavius Livellus* ex schola secunda ad hanc ascendit florenis CL. qui sæpius aucti, anno MDCXXXI. pridie non. febr. crevere ad CM. Cum anno MDCVIII. creatus fuisset librorum Censor, qui Patavii ederentur,

rentur,

rentur, florenos præterea centenos hoc nomine obtinuit. Obiit anno MDCXXXIV. Papadopolus t. 1. p. 289.

MDCXXXIV. Postr. kal. mart. *Antonius Aloysius Aldregherrus* ex loco secundo florenis CC. traductus, qui anno demum MDCLI. v. kal. febr. aucti sunt ad septingenos. Biennio post transiit ad scholam secundam Juris Civilis matutinam.

MDCLIII. Id. Aug. *Paullus Doctus* ex loco secundo ad hunc ascendit florenis sexcenis, quibus anno MDCLXI. additi sunt CLXXX. Anno post migravit ad scholam secundam Juris Civilis matutinam.

MDCLXII. IV. Id. febr. *Joseph de Marchis* Apulus ex Authenticorum schola translatus est stipendio suo flor. CXX. qui bis aucti, anno MDCLXVIII. XI. kal. jan. crevere ad quingenos. Quinquennio post mortuus est.

MDCLXXV. Prid. id. febr. *Jo. Baptista Gnagnottus* ascendit ex loco secundo florenis CLXXX. Anno sequenti confirmatus est aucto stipendio ad florenos trecenos; eodemque anno migravit ad scholam secundam Juris Civilis matutinam.

MDCLXXVIII. VII. kal. jul. *Antonius Vaira* ex schola secunda ascendit florenis CLXXX. Triennio post ad locum primum Juris Canonici matutinum translatus est.

MDCLXXXI. IV. kal. nov. *Jo. Baptista Castellus* Patavinus ex loco secundo florenis traductus ducenis, biennio post ad scholam secundam Juris Civilis pomeridianam migravit.

MDCLXXXIII. Prid. id. sept. *Carolus Tebaldus* Patavinus ex forensi opera ad docendum traductus est florenis CC. Sed obiit biennio post. Ejus *Aurora Legalis*, opus posthumum, adhuc in manibus juventutis est.


MDCLXXXVI. Nonis jan. *Stephanus a Nivibus Cardeira* Lusitanus ex loco secundo traductus florenis CCL. qui post annum crevere ad CDL. Hinc ad Pandectas migravit anno MDCXCII.

MDCXCII. XVII. kal. sept. *Jo. Baptista Ceffis* Patavinus; origi-

origine Bergomas, conductus florenis ducenis, qui sæpius aucti, anno MDCCXV. crevere ad DCL. Magnus *Tebaldi* admirator, *Auroram* ejus suis additionibus auctam typis edendam curavit. Sexennio post ad scholam primam Juris Civilis manutinam progressus est.

MDCCXXI. VII. id. sextil. *Joseph Alaleona* Maceratensis conductus est florenis CDL. Anno MDCCXXVII. ascendit ad scholam primam Juris Civilis matutinam.

MDCCXXIX. Nonis jan. *Ludovicus Pigbius* Veronensis ex loco secundo traductus est florenis CD. qui post annos undecim aucti sunt ad sexcenos, anno autem MDCCXLVIII. ad septingenos.



SECUN-

SECUNDA CIVILIUM INSTITUTIONUM SCHOLA.

INTER EXTRAORDINARIAS.

ANno MDXVII. XII. kal. dec. *Marcus Mantua Benavidius* Patavinus, non Juris modo peritus, sed omnium bonarum artium ſtudioſus, florenis XXXV. conductus eſt ad Inſtitutiones loco ſecundo tradendas.

NDXVIII. xv. kal. ſept. cum ſchola Univerſitatis arbitrio permiſſa eſſet, *Mantuæ* loco electus *Jo. Franciſcus de Duchis* Brixianus.

MDXIX. Kal. nov. *Caſtorius ab Horario* Patavinus ex ſchola tertia Sexti Decretalium traductus. Huic anno ſequenti III. id. jan. ſucceſſit *Fabius Capella* Romanus. Uterque autem meruit ſtipendio florenorum XXX. *Capella* porro hoc ipſo anno tranſiit ad locum primum.

MDXX. kal. nov. *Ottonellus de Paſinis* Patavinus, qui anno proximo aſcendit ad ſcholam primam meridianam Sexti Decretalium.

MDXXI. Idib. maj. *Jo. Franciſcus Bebius* Regienſis, qui anno poſt evectus eſt ad locum primum.

MDXXII. Kal. nov. *Scipio Boſellus* Bergomas, cui anno ſequenti XVI. kal. apr. ſucceſſit *Martius de Agazzis* Brixianus.

MDXXIII. Kal. nov. *Auguſtinus Dulcettus* Veronenſis.

MDXXIV. Senatus ſcholæ hujus arbitria Triumviris tribuit. Attamen Univerſitas confirmavit *Auguſtinum Dulcettum*, qui anno ſuperiore docuerat; eoque a Triumviris excluſo, elegit *Antonium ab Alexandro* Neapolitanum. Poſtea Senatus indulgentia quadam erga Univerſitatem utrumque admiſit, addita conditione, ut *Dulcettus* toto frueretur ſtipendio, alter autem gratis doceret uſque ad Natalia, non ſine ſpe collegæ ex-

cludendi, si ipsius opera magis probaretur. Sed vicit *Dulcettus*, cui anno sequenti VI. kal. sextil. ad curriculum explendum successor datus est *Franciscus de Crassis* Mediolanensis.

MDXXV. Kal. nov. *Fabius Accorambonus* Eugubinus, qui anno sequenti cum progressus fuisset ad scholam primam, locum cessit *Antonio de Verris* Mediolanensi pridie kal. maj. electo.

MDXXVI. XVI. kal. sept. *Pompejus de Datis* Acelinus, cui anno sequenti III. id. febr. successit *Galeatius Feramusca* Vicetinus per mensem. Subinde III. id. mart. electus est *Antonius Santonus* Mediolanensis. Sed hic ipse V. non. jul. locum cessit *Joanni Corbello* Utinensi.

MDXXVII. Kalendis nov. *Antonius Franciscus Discalcius* Patavinus, qui exæquatus est Professori scholæ primæ honore ac stipendio.

MDXXVIII. IV. kal. nov. *Nicolaus de Ungaris* Dalmata; al. Venetus.

MDXXIX. IV. kal. sept. *Fabius Brisus* Romanus. Sed mense decembri exclusus est, quod Lauream intra mensem non recepisset, revocatusque *Nicolaus de Ungaris*. Anno tamen sequenti postridie id. jan. *Brisus* litteris Ducalibus munitus bona Universitatis venia rursus admissus est. Sed cito abdicavit, & in ejus locum VII. kal. apr. suffectus est *Franciscus de Doctoribus* Patavinus.

MDXXX. XIV. kal. sept. *Petrus Pagellus* Vicetinus, cui anno sequenti VI. id. jan. successit *Hieronymus Prioratus* Vicetinus. Hic autem ipse XVII. kal. maj. locum cessit *Casparі Malmignato* Lendenariensi.

MDXXXI. VII. kal. sept. *Caspar Malmignatus*, qui mense aprili anni sequentis cum ad locum primum ascendisset, successorem habuit *Franciscum de Landriano* Mediolanensem: huic autem ipsi VI. kal. jul. successit *Ludovicus Guarinus* Veronensis, ad curriculum explendum.

MDXXXII. III. kal. sept. idem *Ludovicus Guarinus* electus fue-

fuerat in annum proximum; sed cum abnuisset, schola concessa est nonis oct. *Vigilio Zuichemo* Frisio.

MDXXXIII. xiv. kal. sept. *Andreas Cechinus* Veronensis. Sed cum paucis post diebus abdicasset, iv. kal. nov. electus est *Andreas Paganellus* Bergomas, qui mense sequenti ad scholam Sexti Decretalium secundam migravit.

MDXXXIV. xiii. kal. sept. *Carolus ex Comitibus & Dominis Lucernæ* Pedemontanus.

MDXXXV. v. kal. sept. *Julius Capra*, al. *de Caprellis*, Vicetinus.

MDXXXVI. xvii. kal. sept. *Aloysius Savonarola* Patavinus.

MDXXXVII. v. kal. nov. *Hieronymus Ormanettus* Veronensis.

MDXXXVIII. iii. non. nov. *Jacobus de Rubeis* Patavinus.

MDXXXIX. xv. kal. sept. *Hieronymus de Campo S. Petri* Patavinus, qui anno sequenti ad locum primum ascendit.

MDXL. kal. nov. *Benedictus de Barisellis* Montaneanensis, qui annis superioribus tertiam Sexti scholam tenuerat.

MDXLI. xii. kal. sept. *Antonius Bantadericus* Pedemontanus, cui abnuenti suffectus est paucis post diebus *Franciscus Fumatus* Dalmata, Prorector Universitatis.

MDXLII. xv. kal. sept. *Joannes Roncagallus*. Sed cum abnuisset, ejus loco electus, est & in Rotulum relatus *Albertus Corradus* Regiensis. Hic tamen ipse anno sequenti xiii. kal. febr. exclusus est, quod nondum Lauream recepisset. Attamen pridie id. febr. cum mulctam solvisset, restituta illi schola est. Mense aprili abiit, & in locum ejus suffectus est *Ghelinus de Ghelinis* Vicetinus ad annum litterarium explendum.

MDXLIII. xv. kal. sept. *Modestus de Homodeis*. Sed cum abnuisset, electus est paullo post *Petrus Leonessa* Patavinus, qui septem ante annis in schola Universitatis docuerat.

MDXLIV. Postridie id. sextil. *Antonius de Rubeis* Mediolanensis, quo abdicante, v. kal. dec. electus est *Jo. Andreas*,

de Anguillaria Romanus. Huic autem ipsi substitutus per mensem est *Caspar Trissinus*. Anno sequenti ineunte conductus est decreto Senatus *Franciscus Lauretanus* Venetus ad triennium florenis LI. additusque collega Professori ab Universitate electo.

MDXLV. IV. kal. sextil. *Paullus de Desideratis* Patavinus electus est ab Universitate, constituto stipendio florenorum XL.

MDXLVI. V. kal. sextil. *Hieronymus Tienæus.* Vicetinus ab Universitate electus eodem stipendio.

MDXLVII. III. kal. nov. *Guido Pancirolus* Regiensis, cum adhuc inter scholares esset, conductus est a Senatu ad triennium florenis LI. qui anno MDL. aucti sunt ad octogenos. Biennio ante, cum ingredi in Jurisconsultorum Collegium vellet per litteras Triumvirales, rejectus a Præside est. Ex Actis ipsius Collegii pag. 436.

MDXLVIII. V. kal. sextil. *Hector Richerius* Forojuliensis ab Universitate electus, qui perrexit ultra morem.

MDL. VI. kal. sextil. *Philippus Octavianus de Cantù* Montaneanensis ab Universitate electus. Post annum suum cum abjisset, postea rediit a Senatu revocatus.

MDLII. V. kal. sextil. *Martius Paradisus* Veronensis ab Universitate electus.

MDLIII. VI. kal. sextil. *Guerinus Piso Soacia* Patavinus ab Universitate electus. Mense proximo conductus est decreto Senatus ad triennium *Philippus Octavianus de Cantù* Montaneanensis florenis quinquagenis, datusque collega *Pancirolo*, qui paucis post mensibus ad locum primum ascendit.

MDLIV. Postridie non. oct. *Bartholomæus Silvaticus* Patavinus electus ab Universitate est, & inter Ordinarios relatus, ut in Actor. cod. 36. p. 66.

MDLVI. V. kal. sextil. *Hilarius Ventura* Parmensis electus ab Universitate. Sed postridie non. nov. cum nondum adesset, per litteras Triumvirales revocatus *Silvaticus* est. Eodem

dem

dem anno VII. id nov. conductus est a Senatu *Nicolaus Gratianus* Utinensis florenis L. ad triennium. Sed post biennium discessit.

MDLVIII. III. kal. nov. *Hilarius Ventura* rursus ab Universitate electus est. Sed anno sequenti ineunte, quod adhuc Laurea careret, exclusus est. Haud ita multo post cum Lauream cepisset, restitutus rediit, pensumque absolvit.

MDLX. IV. kal. sextil. *Cæsar Mazzonus* Cæsenas ab Universitate electus. Triennio post ascendit ad locum primum. Hoc anno scholas omnes arbitrii sui esse Senatus jussit. Itaque decreto ejus *Franciscus Mantica* ex schola Textus, Glossæ, & Bartholi matutina loci secundi traductus est, & inter Ordinarios habitus, assignato stipendio florenor. XL. qui duplicati sunt anno MDLXIV. Hoc autem ipso anno ad locum primum ascendit.

MDLXIII. IV. kal. jun. *Ottonellus Discalcius* Patavinus collega additus *Manticæ* est stipendio florenor. XXX. Hinc postea migravit ad Criminalia.

MDLXV. XII. kal. nov. *Sebastianus Monticulus* Vicetinus florenis L. conductus est ad annos sex; quibus elapsis, æquatus est loci primi Professori, & novo hoc titulo confirmatus.

MDLXXI. IV. kal. nov. *Laurentius Castellanus* ex loco tertio traductus est florenis LX. qui bis aucti crevere anno MDLXXXIV. ad ducenos. Anno post exclusus a Collegio est, quod scholares ambitiose captaret ad Lauream promovendos. Sed Universitas ipsa ejus defensionem suscepit, missis ad Magistratum semel atque iterum litteris, quæ crimen diluerent, precibusque interpositis, ut restitueretur. Ex Actis p. 34. & 43. Postea ad rerum Criminalium scholam transivit.

MDLXXXVI. *Franciscus Branca* Patavinus florenis quadragenis conductus est. Biennio post ascendit ad scholam primam.

MDLXXXVIII. III. kal. sept. *Aloysius Durantius* Venetus conductus est eodem stipendio, eoque post annum duplicato, ascendit ad locum primum.

MDLXXXIX.

MDLXXXIX. v. kal. Oct. *Marcus Trivisanus* Patavinus ex schola tertia traductus est florenis XL.

MDXCVI. VIII. kal. oct. Cum *Trivisanus* obiisset, conductus est *Octavius Livellus* Patavinus florenis L. & quadriennio post ad locum primum evectus.

MDC. XII. kal. nov. *Albertinus Miliaria* Patavinus ex tertia Juris Canonici schola pomeridiana eodem stipendio excitus est. Biennio post migravit ad locum secundum Juris Canonici matutinum.

MDCII. idib. apr. *Claudius a Curtivo* Patavinus ex tertio Juris Civilis loco traductus florenis LX. qui sæpius aucti, anno MDCXXIX. III. id. mart. crevere ad CD.

MDCXXXII. Postridie kal. jan. *Antonius Aloysius Aldreghettus* ex loco tertio classis hujus ad hunc evectus est florenis CC. & biennio post ad primum.

MDCXXXIV. Postridie kal. mart. *Jacobus Caimus* Utinensis ex Regulis Juris translatus florenis L. Anno altero elapso, migravit ad Pandectas.

MDCXXXVIII. III. non. oct. *Jo. Michael Pieruccius Bondichius* a Colle Florentinus, Pisis evocatus est florenis CCCCL. & æquiparatus loci primi Professori. Hinc ad Pandectas migravit; tum porro ad secundam pomeridianam Juris Civilis scholam; subinde vero ad primam matutinam.

MDCXLIII. III. non. nov. *Paullus Doctus* Castrofrancanus ex Regulis Juris translatus florenis CC. qui triennio post geminati sunt. Anno MDCLIII. ascendit ad scholam primam.

MDCLIII. VIII. kal. oct. *Felix Rossi* Vicetinus conductus florenis CC. Sed anno MDCLX. mortuus est.

MDCLXI. VII. id. dec. *Nicolaus Galiardus* Tridentinus florenis conductus CL. qui anno MDCLXVIII. XIV. kal. jun. crevere ad CCC. Anno MDCLXX. ad Pandectas missus est.

MDCLXX. IX. kal. jun. *Jo. Baptista Gnagnottus* Patavinus ex schola tertia ad hanc ascendit florenis octogenis; quinquennio autem post ad primam.

MDCLXXV.

MDCLXXV. x. kal. mart. *Antonius Vaira* Venetus florenis CLXXX. conductus est. Triennio post ad scholam primam ascendit.

MDCLXXVIII. VIII. kal. jul. *Jo. Baptista Castellus* Patavinus ex loco tertio ad hunc progressus est stipendio florenor. C. & post annos tres ad primum, stipendio duplicato.

MDCLXXXI. IV. kal. nov. *Stephanus a Nivibus Cardeira* Lusitanus Patavium excitus est florenis CCL. Quinquennio autem post ascendit ad scholam primam.

MDCLXXXVI. Nonis jan. *Jo. Baptista Rainis* Venetus conductus est florenis CCL. Anno post migravit ad Codicis scholam.

MDCLXXXVII. VII. kal. oct. *Camillus Otellius*, *Aloysii* filius, Utinensis eodem stipendio conductus est. Anno MDCCIII. rediit in patriam secutus patrem, qui ætatis missionem obtinuerat.

MDCCVIII. XI. kal. jan. *Ludovicus Pighius* Veronensis conductus est florenis CC. qui bis aucti, anno MDCCXXIV. XIV. kal. dec. crevere ad CD. Anno MDCCXXIX. ad locum primum ascendit, quem navus senex adhuc tenet.

MDCCXXIX. Nonis jan. *Michael Fantonus* Patavinus ex loco tertio traductus est florenis CC. qui bis aucti, anno MDCCXLII. III. kal. sept. crevere ad CDL. anno autem MDCCLI. ad DC.

SCHO-

SCHOLA TERTIA INSTITUTIONUM CIVILIUM.

ANno MDXLIII. v. kal. febr. aperuit ſcholam hanc *Albertus Corrarius* Regienſis, ab Univerſitate electus, & per litteras Triumvirales confirmatus contra Rectoris decretum. Rector enim illi & ſtipendium, & ſcholam abſtulerat, tum quod pecuniam non ſolviſſet, quam ad docendi jus obtinendum pollicitus fuerat, tum quod Doctor non eſſet. Magiſtratus & ab injuſto ſolvendi onere hominem liberavit, & Laureæ accipiendæ tempus indulgendo diſtulit ad Quadrageſimam. Ceterum etiam ante hoc tempus ſcholares quidam bona Rectoris venia Civiles Inſtitutiones publice explicabant, ſed ſine ſtipendio ad ingenii exercitationem. Ex his fuit *Joannes Muslerus*, cui anno MDXL. Decreti ſchola inter extraordinarias ſecunda commiſſa eſt.

MDLVI. Pridie id. febr. *Laurentius Caſtellanus* conductus eſt a Magiſtratu florenis XX. & confirmatus decreto Senatus.

MDLXXVII. VIII. kal. mart. *Ubertinus Fabianus Caſparis* filius conductus florenis LX. Biennio autem poſt III. kal. jul. ſchola Patavinis aſſignata eſt, conſtituto vicenorum ſtipendio, quod perpetuum eſſet, cum primum vacaret.

MDLXXXVIII. *Marcus Triviſanus* ex tertia Juris Civilis ſchola pomeridiana. Anno poſt ſecundum ſcholæ hujus locum obtinuit.

MDLXXXIX. *Octavius Livellus*, qui anno MDXCVI. ad ſcholam ſecundam aſcendit.

MDXCVII. *Joannes Cartularius*, qui anno MDCVII. tranſiit ad Codicem interpretandum.

MDCXI. Pridie non. jan. *Caſpar de Campo S. Petri*, qui ſe quadriennio poſt abdicavit.

MDCXV.

MDCXV. IV. id. nov. *Aloysius Corrarius*, qui anno post discessit.

MDCXVII. *Ottonellus Discalcius*.

MDCXVIII. III. non. dec. *Josephus de Angelis*, qui anno MDCXXIV. migravit ad Regulas Juris.

MDCXXV. VII. kal. jan. *Aloysius Antonius Aldreghettus*, qui anno MDCXXXII. conductus est florenis CC. ad scholam hujus classis secundam, & post biennium ad primam.

MDCLIX. Pridie kal. jun. *Aloysius de Angelis*.

MDCLXII. XVII. kal. sept. *Ludovicus Justachinus*.

MDCLXVI. VII. kal. jan. *Jo. Baptista Gnagnottus*, qui elapso quadriennio ad secundam ascendit, nec ita multo post ad primam.

MDCLXX. VII. Kal. jul. *David Cataneus* Lendenariensis, Civibus Patavinis adscriptus.

MDCLXXIII. Pridie id. dec. *Jo. Baptista Castellus*, qui progressus est quinquennio post ad secundam, atque inde porro ad primam.

MDCLXXVIII. Pridie non. jul. *Firmanus Pochinus*, qui statim magnam sui expectationem movit.

MDCLXXXIII. VII. id. dec. *Aloysius Antonius de Campo S. Petri*, qui postea se rebus civilibus dedit, nunquam tamen litterarias oblitus.

MDCXC. Postridie id. majas *Matthæus Bellinus Constantinus*.

MDCXCVII. V. non. febr. *Petrus Antonius Flessatus*, qui septennio post mortuus est.

MDCCIV. III. id. jun. *Nicolaus Barbarossa*, qui anno MDCCXIV. transiit ad Regulas Juris.

MDCCXV. III. id. jan. *Michael Fantonus*, qui anno MDCCXXIX. ad locum secundum ascendit.

MDCCXXIX. *Matthæus Brodegattus*, qui adhuc impigre locum tenet; publicæque operæ privatam industriam sine intermissione adjungit.

SCHOLA PRIMA INSTITUTIONUM CUM TEXTU, ET GLOSSA INTER EXTRAORDINARIAS.

SChola hæc gemina instituta est anno MDXLIV. ut horis meridianis exerceretur; quandoquidem Gymnasium pro illorum temporum felicitate, a summo mane ad noctem usque sine intermissione frequentabatur. Primus autem omnium electus ab Universitate est ad eam aperiendam XII. kal. nov. *Gregorius Gualteruccius* Romanus, constituto stipendio, quod perpetuum scholæ esset, florenorum LI. *Gualteruccium* excepit anno proximo *Alexander Mutianus* Vicetinus, loco *Annibalis Marliani* Placentini, in quem Universitatis suffragia convenerant, si se tempore stitisset. Porro ipse quoque *Mutianus*, anno sequenti ineunte, scholam deseruit; suffectusque est in menses reliquos *Lazarus Rosinus* ex Abbatia.

MDXLVI. Postridie non jul. electus est *Laurentius de Urinis* Vicetinus. Sed mense novembri abdicavit, & in ejus locum paucos post dies successit *Transalgardus Capilistius* Patavinus.

MDXLVII. Pridie id. sept. *Jacobus Fenzolus* Abbatiensis in locum venit *Florii de Furlanis*, annuente Universitate, quæ in priore conventu *Florium* elegerat.

MDXLIX. VI. kal. aug. *Ottonellus Mercandillus* Pedemontanus, cui exeunte februario anni sequentis, ad tempus substitutus est *Petrus Philippus de Matthæolis* Perusinus, qui scholam primam Juris Canonici pomeridianam tenebat.

MDLI. XV. kal. nov. *Julius Pagellus* Vicetinus.

MDLIII. VII. kal. aug. *Bartholomæus de Beccaris* Lendenariensis.


MDLV. VI. id. nov. *Jo. Baptista Manaria* Bergomas, cui mense

menſe junio anni ſequentis ſubſtitutus eſt ad tempus *Jo. Baptiſta Ragonus*.

MDLVII. III. kal. aug. *Georgius Meſſina* Cyprius.

MDLVIII. III. kal. nov. *Franciſcus Torquatus*, cui pridie kal. febr. anni ſequentis ſucceſſit *Franciſcus Mutius* Bergomas.

MDLIX. v. kal. aug. *Valentinus Saccagnolus*. Sed anno ſequenti cum aliis præterea nonnullis, quæ ab Univerſitatis arbitrio pendebant, clauſa ſchola eſt.



SCHOLA SECUNDA INSTITUTIONUM CUM TEXTU, ET GLOSSA,

INTER EXTRAORDINARIAS.

ANno MDXLIV. XII. kal. nov. *Joannes de S. Justina* Patavinus electus est ab Universitate, assignato stipendio floren. xxv. eaque summa firma in posterum scholæ fuit. Sed cum *S. Justina* cito abdicasset, suffectus est *Cornelius Zambellus* Venetus. Hic tamen ipse mense januario anni sequentis, cum Gymnasio identidem abstineret, coactus est scholam cedere *Archangelo de Merzariis* Vicetino.

MDXLV. XVII. kal. jul. *Paullus Petreus* Dalmata, loco *Archangeli de Merzariis*, qui a Magistratu rejectus est.

MDXLVI. v. kal. sextil. *Sertorius Colloredus* Forojuliensis, qui XI. kal. nov. locum cessit *Francisco Morando* Veronensi.

MDXLVIII. v. kal. sextil. *Ludovicus de Lazara* Patavinus.

MDXLIX. VI. kal. sextil. *Horatius Lomellinus* Durantinus, in cujus locum bona Rectoris venia substitutus est ad tempus *Andreas Malatinus*.

MDL. VI. kal. sextil. *Nicolaus de Lazaris* Veronensis.

MDLII. v. kal. sextil. *Marcus Antonius Rubeus* Brixianus.

MDLIV. Postr. non. oct. *Hieronymus Petrobellus* Veronensis.

MDLVI. v. id. nov. *Franciscus Carrara* Rhodiginus, in cujus locum suffectus est mense junio anni sequentis *Ludovicus Nasellus* ejus conterraneus, sed ad tempus.

MDLVIII. x. kal. sept. *Marcus Antonius de Peregrinis* Vicetinus.

MDLX. IV. kal. aug. *Andreas de Zavicont* Gallus. Sed hoc ipso anno fatum primæ secuta schola est.

DE

DE FEUDIS, ET USIBUS FEUDORUM

SCHOLA EXTRAORDINARIA.

Restituto Gymnasio, ipsa quoque Feudorum schola rursus aperta est, & scholaribus ipsis ad ingenium exercendum assignata stipendio florenorum X. Itaque anno MDXXIII. XII. kal. sept. electus ab Universitate est *Camillus de Lanciano* Aprutinus.

Anno MDXIX. Pridie kal. dec. *Leo Baptista de Albertis* Veronensis.

MDXX. Prid. kal. dec. *Michael Pergolottus* Presbyter Regiensis.

MDXXI. kalendis nov. *Hieronymus Perucinus* ex Foro Sempronii.

MDXXII. III. kal. jan. *Petrus Menolinus* Cremensis.

MDXXIII. IV. Id. dec. *Petrus Lovaria* Utinensis.

MDXXIV. kalendis nov. *Antonius Campus* Rhodiginus.

MDXXV. Prid. kal. dec. *Innocentius Salodiensis*.

MDXXVI. XV. kal. dec. *Franciscus Gratianus* Utinensis.

MDXXVII. IV. id. dec. *Julius de Arecano* Forojuliensis.

MDXXVIII. VI. id. maj. *Antonius Romanus*.

MDXXIX. IV. kal. sept. *Principallis Barbisonus* Brixianus.

MDXXX. V. Kal. nov. *Cornelius Castellus* Forojuliensis.

MDXXXI. Kalendis nov. *Petrus Percuteus* Forojuliensis.

MDXXXII. III. Kal. sept. *Jo. Maria a Fino* Bergomas.

MDXXXIII. XIV. Kal. sept. *Jo. Motinus*, al. *Mutius*, Januensis, qui biennio post ad scholam Decreti secundam extraordinariam missus est.

MDXXXIV. XIII. Kal. sept. *Joannes Cyprius*.

MDXXXV. Kalendis jan. *Antonius Manuel* Gallus, qui post mensem discessit.

Eodem anno v. Kal. sept. *Angelus Garambertus* Parmensis.

MDXXXVI.

MDXXXVI. kal. nov. *Antonius Caballinus* Patavinus loco *Rinaldi Schilini* Brixiani, qui cum electus fuisset XVII. kal. sept. antequam Gymnasium aperiretur, se abdicavit.

MDXXXVII. v. kal. nov. *Georgius Comensis*. Sed mense decembri discessit, eique suffectus est *Cæsar Albergbettus* Ferrariensis.

MDXXXVIII. III. non. nov. *Franciscus Fumanus* Jadrensis.

MDXXXIX. xv. kal. sept. electus fuerat *Saladinus* Tridentinus; sed cum aliter Triumviris visum esset, pridie non. nov. in ejus locum suffectus est *Franciscus Morandus* Veronensis. Anno sequenti XVI. kal. maj. successit ad cursum explendum *Jo. Stephanus Rullus* Calaber.

MDXL. IX. kal. sept. electus ab Universitate est *Joannes de Auria* Januensis; sed in Rotulum relatus est *Laurentius Silvanus*, jubente Urbis Præfecto ex litteris Ducalibus.

MDXLI. XI. kal. sept. *Laurentius de Nobilibus* Januensis.

MDXLII. xv. kal. sept. electus fuerat *Federicus Palatius*. Sed loco ejus docuit *Pompejus Zannabellus* Brixianus, & quidem biennium.

MDXLIV. Postridie id. aug. *Franciscus Reveslatus* Novariensis electus ab Universitate est. Sed VIII. kal. nov. refecto per Triumviros Rotulo, schola commissa est *Cornelio Zambello*, qui paullo post migravit ad scholam Institutionum secundam cum Textu, & Glossa. In locum autem ejus revocatus est in Gymnasium *Joannes de S. Justina*, qui Institutiones deseruerat: sed eo renuente, rursus electus est *Reveslatus*.

MDXLV. XIII. kal. aug. Constitutum scholæ stipendium est florenorum XXX. addita conditione Extraordinariis omnibus communi, ut Professor eligeretur ad biennium. Electus est autem *Matthæus* quidam Apulus, Joannis filius, qui inter scholares erat.

MDXLVII. *Barnabas Pramperus* Forojuliensis.

MDXLIX.

MDXLIX. Pridie kal. maj. *Curtius de Roma* Vicetinus, quod reliquum erat litterarii curriculi, absolvit. Eodem anno VI. kal. aug. ad novum curriculum inchoandum electus est *Julius Montanarius* Veronensis.

MDLI. XV. kal. nov. *Joannes Barocius* Belga, mutato ad Germanorum voluntatem Rotulo, cum antea electus fuisset ab Universitate *Leonatus de Clivono* Vicetinus.

MDLIII. VII. kal. aug. *Joannes Cirrus* Germanus.

MDLV. VI. id. nov. *Joannes Vestelius* Germanus.

MDLVII. III. kal. aug. *Raphael Seyler* Augustanus, Comes Palatinus.

MDLIX. III. kal. febr. *Paullus Volger* Germanus; eodemque anno, cum *Volger* abiisset, suffectus est v. kal. aug. *Henricus Cusana*.

MDLX. XI. kal. febr. *Simeon Latius*, eoque abeunte, *Michael Preboer*, ambo Germani. Decrevit autem Senatus, ut anno elapso, schola clauderetur.

MDLXXVII. III. non. oct. restituta schola est Transalpinorum gratia, & ad eam regendam traductus *Michael Quarantaocto* ex secunda Juris Canonici schola matutina, florenis CXX.

MDLXXIX. III. Kal. jul. mandavit Senatus, ut, clausa denuo schola, Professor aliquis ex ordinariis Feudorum doctrinam traderet extra ordinem diebus festis. Onus hoc geminum statim suscepit *Quarantaocto*, eodemque tempore Jus Pontificium, & Feudale professus est, usque ad idus junias anni MDLXXXVI. Tum vero placuit, Feudorum scholam rursus aperiri, & ad eam regendam accitus est *Hercules Bursatus* Mantuanus vicenorum auctoramento. Anno sequenti cum Collegii Jus obtinuisset a Triumviris, oppugnatus est Collegii ipsius nomine, quod nemo antea ex tantula schola fuisset aggregatus. *Bursatum* porro triennio post excepit stipendio majore *Victor Saxonia* Patavinus. Attributa sunt enim illi sexagena: sed anno MDXCIV. ad Criminalia transivit.

MDXCIV. IV. Kal. oct. *Jo. Baptista Silvaticus* Patavinus condu-

conductus est florenis quinquagenis, qui iterum ac sæpius aucti, anno MDCXV. crevere ad CDL. Triennio post migravit ad primum Juris Canonici locum matutinum.

MDCXVIII. VI. id. mart. *Carolus Antonius Fortezza* Patavinus conductus centenis est, quibus post annos octo additi sunt quinquageni.

MDCXXVIII. Pridie non. apr. *Albertinus Barisonus* Canonicus Patavinus conductus est flor. CCL. Quadriennio post transivit ad Pandectas, aucto stipendio ad flor. CCCL.

MDCXXXII. XVI. Kal. febr. *Jacobus Sala* Canonicus Patavinus, qui in foro & Ecclesiasticis Judiciis cum laude versabatur, ad docendum accessit ducenorum stipendio, quod anno MDCXXXIX. auctum est ad CCCL. Triennio post migravit ad secundam Juris Canonici scholam matutinam.

MDCXLI. Postridie non. oct. *Scipio Gonemus* Cyprius, qui antea in Gymnasio fuerat, & Juris Regulas explicuerat, florenis revocatus est ducenis, qui sexennio post duplicati sunt. Anno MDCLXIV. VII. kal. mart. *Consultor de re Feudali* decreto Senatus declaratus est, nec tamen Gymnasio abductus, in quo docuit usque ad annum MDCXCVIII. Hoc demum anno ætatis vacationem obtinuit, & Equitis titulum; vixitque usque ad annum sæculi ultimum. Stipendium ejus sæpius auctum, anno MDCLXXXIV. crevit ad florenos MD. Cum autem vacare cœpit, imminutum est ad sexcentenos. De illo copiosissime, & magnificentissime Papadopolus t. I. p. 275. & seq. Sed mihi quidem nihil videtur magnificentius, quam quod annos docuit novem & sexaginta. Litteram tamen nullam reliquit.

MDCXCIX. VI. id. aug. *Parmesanus a Curtivo de Sanctis* Patavinus conductus est florenis CC. qui anno demum MDCCXLI. III. kal. oct. crevere ad millenos. Vir in omni Jurisprudentia præstans ad summum quemque locum contendere poterat, nisi maluisset in blanda hac, sibique familiari dierum vacantium exercitatione ætatem conterere.

Anno

Anno MDCCL. VII. id. april. ſupremum diem obiit, cum paucis ante diebus operoſus ſenex, ſervorum manibus in cathedram ſublatus, erudita quædam, ex tot annorum conſuetudine ſponte fluentia, recitaſſet. Nihil, dum viveret, in lucem edidit; ſed acroaſes ejus omnes, quas ſcriptas reliquit, luce digniſſimæ ſunt.



SCHOLA AUTHENTICORUM.

INstituta est schola hæc ad studiosam Juventutem exercendam, ipsiusque juventutis arbitrio permissa, ut novus quotannis Professor eligeretur, attributis florenis X. quos plerique ne exigebant quidem, honore contenti. Postremus ante bellum eam tenuit *Jacobus de Tarento*.

Anno MDXIX. Pridie kal. dec. electus est *Alexander de Tridento* Vicetinus.

MDXX. VIII. kal. mart. *Aloysius Musca* Patavinus.

MDXXI. *Joannes de Bassano*, eodemque anno *Simeon Locatellus* de Castrofranco.

MDXXII. Pridie kal. jun. *Ascanius Serravallensis*.

MDXXIV. Pridie kal. dec. *Matthеus Forzadura*, al. *Forcatura*, Bassanensis.

MDXXV. Pridie kal dec. *Jacobus Farienti* Coneglanensis.

MDXXVI. Postridie non. nov. *Ludovicus Bellunensis*.

MDXXVII. Pridie id. dec. *Paullus de Getto* Tarvisianus.

MDXXVIII. XVI. kal. jun. *Jo. Thomas Regniculus*.

MDXXIX. IV. kal. sept. *Jo. Angelus Corio* Mediolanensis.

MDXXX. *Julius Maninus* Forojuliensis, qui postea locum cessit *Nicolao Venzano* conterraneo suo, Rotulo tamen minime mutato.

MDXXXI. *Camillus Manerba*, al. de *Manerbis*, Brixianus, eodemque anno *Jo. Franciscus Castilioneus* ejusdem Civitatis, cum *Manerba* ad Professores meridianos transisset.

MDXXXII. III. kal. sept. *Leonardus Venturinus* Forojuliensis.

MDXXXIII. XIV. kal. sept. *Paullus Rapicius* Brixianus.

MDXXXIV. Pridie id. sept. *Joannes Jovinus* Jadrensis loco *Ludovici Benvignati* Perusini, qui electus ab Universitate fuerat.

MDXXXV. v. kal. sept. *Ventura de Peregrinis* Vicetinus.

MDXXXVI.

MDXXXVI. XVII. kal. sept. *Cæsar de Medicis* Forojuliensis.

MDXXXVII. v. kal. nov. *Caspar Bonatus* Patavinus.

MDXXXVIII. v. kal. nov. *Rainaldus Leonius* Patavinus.

MDXXXIX. idib. jan. *Joannes a Ferro* Patavinus, eodemque anno XV. kal. sept. *Laurentius de Lentis*, & pridie non. nov. *Riccardus de Errariis*. Hoc anno pensi loco assignata scholæ est *Constitutio*, *quæ de Dignitatibus* &c.

MDXL. x. kal. sept. *Sebastianus Bravus* Venetus.

MDXLI. XII. kal. sept. *Thomas de Bettellis* Veronensis.

MDXLII. XV. kal. sept. *Joannes Solza* Bergomas, cui locum ultro cessit *Lepidus Griffonus*.

MDXLIII. XVI. kal. sept. *Antonius a Mari* Apulus.

MDXLIV. Postridie id. aug. *Bartholomæus Padernus* Cremonensis.

MDXLV. IV. kal. aug. *Petrus Granger* Hungarus, qui anno sequenti mortuus est.

MDXLVII. XVII. kal. febr. *Pax Scala* Patavinus, eodemque anno *Ventura Cianciarinus* Pisaurensis.

MDXLVIII. VII. id. oct. *Aloysius Quadra* Hispanus loco *Petri de Augubio*, qui electus ab Universitate fuerat. Anno sequenti III. kal. apr. ipse quoque *Quadra* locum cessit *Eliæ Capreolo* ad cursum explendum.

MDXLIX. XVI. kal. aug. *Philibertus a Pingon* Gallus, qui sub martii finem anni sequentis bona venia discessit.

MDL. VI. kal. aug. *Bartholomæus de Beccaris* Lendenariensis, qui triennio post ad Institutiones cum Textu & Glossa loci primi designatus est.

MDLI. XV. kal. sept. *Marcus Antonius Caparoccius* Vicetinus.

MDLIII. VII. kal. aug. *Marcus a Turre* Tarvisianus.

MDLIV. Postridie non. oct. *Bernardus Luisinus* Forojuliensis, qui biennio post in Gymnasium rediit ad regendam Universitatis scholam.

MDLV. VI. id. nov. *Franciscus Pacianus* Romanus.

MDLVI. v. kal. aug. *Annibal Albertinus* Cæſenas.

MDLVII. Poſtridie id. aug. *Celſus de Duchis* Brixianus, cui locum ceſſit *Cæſar Buſdragus* ab Univerſitate electus.

MDLIX. Poſtridie kal. nov. *Princeps Biſuccius*, cui anno ſequenti pridie id. jan. ſubſtitutus eſt per menſem *Donatus Aurelius*. Sed eodem anno clauſa ſchola eſt.

Anno MDCXX. rurſus aperta ſchola eſt, & *Jacobo Pacio*, *Julii* Profeſſoris filio, trecenorum auctoramento commiſſa. Extat de re hac Senatus decretum. Attamen ejus nomen nec in Rotulo, nec in libris Quæſtoriis apparet.

MDCXXIV. xv. kal. oct. cum *Pacius* abjiſſet, *Andreas Triviſanus* ex Plebe Sacci locum occupavit florenis XXX. uſque ad annum MDCXXXI. quo peſte extinctus eſt.

MDCXLI. Cum diu ſchola vacaſſet, IV. id. aug. eam occupavit *Antonius Pauluccius* Venetus, Canonicus Patavinus, florenis conductus centenis, qui duplicati ſunt anno MDCXLVII. Sexennio poſt migravit ad Pandectas.

MDLIII. III. kal. jun. *Vincentius Franciſconus* Canonicus Patavinus ſucceſſit florenis octogenis. Triennio poſt ad ſecundam ſacrorum Canonum ſcholam pomeridianam traductus eſt.

MDCLVIII. Pridie id. apr. *Joſephus Marchius* Apulus centenis vicenis conductus eſt. Anno autem MDCLXI. ad primam Inſtitutionum Civilium ſcholam migravit.

MDCLXII. XVII. kal. oct. *Bertoldus*, vulgo *Toldus*, *Bellinus Conſtantinus* Patavinus florenis conductus eſt octogenis, qui iterum ac ſæpius aucti, anno MDCCXI. poſtridie non. oct. crevere ad DCL. Obiit anno MDCCXV.

MDCCXV. v. kal. jun. *Jo. Andreas Donulus* Ilicenſis, *Alphonſi* filius, acceſſit conductus florenis CCL. qui poſtea aucti ſunt ad DL. Sed anno MDCCXXXVIII. rurſus clauſa ſchola eſt, ejuſque materia Pandectis adjecta: *Donulus* autem bona Principis venia dimiſſus eſt, ducenis in annos vitæ reliquos condonatis.

SCHO-

SCHOLA TRIUM LIBRORUM CODICIS GREGORIANI, HERMOGENIANI, ET THEODOSIANI,

DIEBUS FESTIS APERTA.

SCholam hanc ad Juventutis exercitationem inſtitutam anno MCCCCXXII. regebat vicenorum ſtipendio *Franciſcus de Zenariis*, qui ſub Carrarienſibus docere cœperat, ut eſt in vetuſtis Urſatornm ſchedis. Initio autem ſæculi ſequentis uſque ad bellum eam tenuerat *Jo. Baptiſta de Macerata*. Recluſo poſt bellum Gymnaſio, ordinatiſque ſcholis, anno MDXVIII. XII. kal. ſept. accitus ad hanc eſt *Auguſtinus Berenzonus* Veronenſis. Sed menſe novembri locum ceſſit conterraneo ſuo *Thomæ Culpano*, ipſe autem migravit ad ſcholam ſecundam Sexti Decretalium.

MDXIX. *Fabius Capella* Romanus v. kal. oct. acceſſit ad docendum, meruitque florenis XVI.

MDXX. Pridie Kal. dec. *Julius Villalta* Feltrienſis conductus eſt florenis X. quod ſtipendium cœpit eſſe ſcholæ firmum ac perpetuum.

MDXXI. Kalendis nov. *Marcus Ardus* Forojulienſis.

MDXXII. Kalendis apr. *Georgius Almerigottus* Juſtinopolitanus: eodemque anno pridie Kal. dec. *Jo. Maria Pedrocca* Bergomas.

MDXXIII. XII. Kal. dec. *Jo. Andreas Schinardus* Mediolanenſis.

MDXXIV. *Philippus Buſtuchius* Pedemontanus Kalendis nov. electus eſt, & in album Gymnaſticum relatus; ſed in tabulis Quæſtoriis, quæ adhuc extant, non apparet niſi *Georgius Barnus* Laudenſis, qui abſenti ſuffectus eſt.

MDXXV.

MDXXV. Pridie kal. dec. *Antonius Laudensis*.

MDXXVI. *Antonius Catalido* Coloniensis.

MDXXVII. XVII. kal. dec. *Jo. Petrus Jordanus* Bergomas.

MDXXIX. kalendis nov. *Franciscus Lucensis*.

MDXXX. IX. kal. dec. *Andreas Gratianus* Tarvisianus.

MDXXXI. IX. kal. dec. *Aloysius Frontinus* de Corinaldo.

MDXXXII. v. id. nov. *Vincentius Magagninus* Brixianus.

MDXXXIII. kalendis nov. *Thomas de Tomasiis* Pisaurensis.

MDXXXIV. XIII. kal. sept. *Octavianus Genuensis*.

MDXXXV. v. kal. sept. *Franciscus Novellus* Tarvisianus.

MDXXXVI. XVII. kal. sept. *Thomas Zaccaria* Veronensis.

MDXXXVII. v. kal. nov. *Franciscus Maccasola* Mediolanensis.

MDXXXVIII. v. id. oct. *Jo. Baptista Franzinus* Florentinus.

MDXXXIX. xv. kal. sept. *Matthæus Perla* Patavinus. Hoc anno assignata scholæ materia est per Universitatem *de Jure Fisci*.

MDXL. IX. kalendas sept. *Julius de Augustis* Bergomas.

MDXLI. v. kal. febr. *Alexander Niger de Roncalis* Bergomas; eodemque anno IX. kal. sept. *Leonardus Pastinus*, & kalendis nov. *Pomponius Maranta*.

MDXLII. xv. kal. sept. *Jo. Antonius Blancus* Patavinus.

MDXLIII. XVI. kal. sept. *Jo. Petreus* Dalmata.

MDXLIV. Postridie id. aug. *Joachimus Socius* Salodiensis. Sed cum abdicasset, suffectus est in locum ejus *Lazarus Rosinus* ex Abbatia, qui anno MDXLVI. XVII. kal. febr. scholam primam Institutionum cum Textu, & Glossa occupavit.

MDXLV. xv. kal. sept. *Jo. Baptista Amuserius* Pedemontanus, qui scholam cessit *Galasso de Crema* Vicetino.

MDXLVI. v. kal. aug. Idem *Jo. Baptista Amuserius*.

MDXLVIII. IV. kal. jul. *Matthæus Guidottus* Patavinus.

MDXLIX. IV. kal. aug. *Antonius Maria Pojana* Vicetinus.

MDLI.

MDLI. xv. kal. nov. *Paullus Abundius.*

MDLII. Postridie kal. jul. *Vincentius Minolla* Venetus.

MDLIII. xvii. kal. nov. *Hilarius Ventura* Parmensis loco *Georgii Tridentini*, qui electus ab Universitate fuerat.

MDLIV. Postridie non. oct. *Paullus Madius* Romanus.

MDLVI. v. kal. aug. *Balthassar Valdina.*

MDLVII. iii. kal. aug. *Cæsar Mazzonus.*

MDLVIII. iii. kal. nov. *Honoratus de Lascaris* Provincialis.

MDLIX. v. kal. aug. *Hieronymus de Advocatis* Pedemontanus.

MDLX. vi. kal. nov. *Hippolytus Lampugnanus.* Hoc anno schola intermissa est cum aliis Ordinis ejusdem. Sed biennio post, petente Universitate, restituta, atque horæ secundæ pomeridianæ assignata. Electus est autem v. non. jul. ad eam regendam *Thaddæus Piso Soacia* Patavinus, *Guarini* Professoris filius, centenum stipendio. Anno MDCVII. ad Pandectas migravit.

MDCVII. iv. id. nov. *Joannes Cartularius* Patavinus ex loco Institutionum tertio traductus florenis LX. qui bis aucti crevere anno MDCXXXI. ad CL. Anno MDCXL. xvi. kal. maj. suspensum illi stipendium, quod identidem scholæ deesset. Obiit anno sequenti.

MDCXLI. Postridie non. oct. *Cæsar Feramusca* Vicetinus successit stipendio florenorum C. qui anno MDCXLVII. aucti sunt ad CCL. Biennio post Veneta Nobilitate decoratus discessit, soluto illi ex Principis liberalitate totius anni litterarii stipendio.

MDCXLIX. Pridie non. oct. *Hieronymus Zacchus* Patavinus, qui Regulas Juris in Gymnasio interpretabatur, ad scholam hanc translatus est.

MDCLIII. x. kal. oct. *Zaccho* Nobilium Venetorum ordini adscripto, commissa schola est *Achilli Bonfilio* florenis C. quibus anno MDCLXI. v. id. mart. additi sunt præterea LX. Anno MDCLXII. ad Pandectas migravit.

MDCLXII.

MDCLXII. III. kal. maj. *Joannes Capivaceus* conductus florenis CCXX. cum Artem Notariam tradidisset per annos duos & viginti. Anno MDCLXVI. x. kal. jun. additi sunt stipendio ejus floreni CXXX. Biennio post traductus est ad Pandectas.

MDCLXIX. Postridie kal. nov. *Aloysius de Angelis* ex Regulis Juris translatus florenis CL. qui ter aucti crevere ad quadringenos anno MDCLXXXVII. Sed intra eundem annum mortuus est. Ipsa quoque schola intercidit, ejusque pensum Pandectis est adjectum.



DE

DE ACTIONIBUS

DIEBUS FESTIS APERTA.

ANno MDXLIV. XII. kal. nov. ad ſcholam hanc recens inſtitutam evocatus eſt *Criſtophorus Alpheus* Vercellenſis, ſervato ſtipendio florenor. L. quod obtinuerat, dum Decretum explicaret.

MDXLV. IV. kal. aug. *Juſtus Bayerus* Germanus conductus eſt florenis XXV. docuitque biennium.

MDXLVII. *Jo. Dominicus a Cava* Calaber. Hic quoque biennium docuit, ſed illi per menſem ſubſtitutus eſt *Alexander Niconitius*.

MDXLIX. VI. kal. aug. *Jacobus Armerius* Dalmata.

MDLI. XV. kal. nov. *Ludovicus Naſinus* Brixianus.

MDLII. V. kal. Aug. *Hippolytus Craina* Dalmata.

MDLIII. VII. kal. aug. *Bartholomaeus de Turchis* Veronenſis.

MDLIV. Poſtridie non. oct. *Georgius Tradellus* Germanus.

MDLV. VI. id. nov. *Camillus a Cornu* Tarviſianus, qui menſis veniam poſtulavit ad Lauream accipiendam, quod propter epidemiæ ſuſpicionem mature accedere ad Gymnaſium non potuiſſet, ut eſt in Actis Cod. 38. p. 15.

MDLVII. III. kal. aug. *Jo. Paullus a Porta* Novarienſis, qui perrexit in annum ſequentem.

MDLIX. V. kal. aug. *Cæſar Lana* Brixianus. Sed anno ſequenti nonis oct. clauſa ſchola eſt.

CRIMINALIUM RERUM SCHOLA

INTER EXTRAORDINARIAS.

Ab anno MDXXXII. cœpit Univerſitas viribus omnibus contendere, ut rerum criminalium doctrina in Gymnaſio traderetur, miſſis Venetias non litteris modo, & nunciis, ſed aliquando etiam Rectore ipſo, qui cum Magiſtratu ageret. Profeſſores etiam deſignavit, ac propoſuit alios ſuper alios: donec Triumviri precibus fatigati anno demum MDXL. poſtridie id. dec. retulere de re hac ad Senatum; ejuſque decreto aperta ſchola eſt, & commiſſa ducenorum ſtipendio *Petro Philippo de Matthæolis* Peruſino, qui diu in patria docuerat. Exercebatur diebus ordinariis hora ſecunda matutina: ſed initio ſæculi decimi ſeptimi translata eſt ad dies vacantes; ut locum cederet Pandectis, quod ſchola hæc latius pateret, magiſque neceſſaria crederetur. Sæculo ſequenti ad minuenda vitæ incommoda admodum facili, Pandectarum quoque Profeſſoribus idem indultum eſt.

MDXLIII. Cum *Matthæolus* tranſiſſet ad ſcholam primam Juris Canonici pomeridianam, ſuffectus eſt *Marcus Antonius Blancus* Patavinus, qui ante annos decem ſecundam Decreti rexerat. Obtinuit ſtipendii nomine florenos CL. quibus additi ſunt viceni quadriennio poſt. Sed anno MDXLVIII. valetudinis cauſſa onus depoſuit, nec ita multo poſt mortuus eſt.

MDXLIX. IX. kal. maj. *Tiberius Decianus* Utinenſis florenis conductus CC. & Juriſconſultorum Collegio ſtatim aggregatus eſt *ex gratia ſpeciali*, ut eſt in Actis Gymnaſticis hujus anni.

MDL. v. id. oct. Traducto *Deciano* ad Jus Civile explanandum, locum hunc occupavit *Hieronymus de Campo S. Petri* Patavinus, qui primam Inſtitutionum ſcholam cum laude tenuerat, florenis CXL.

MDLVI.

MDLVI. Cum *Hieronymus* objiſſet, x. kal. maj. ſuffectus eſt per litteras Triumvirales *Michael Calidonius* Vicetinus ſine ſtipendio, ad ingenium experiendum: eodemque anno Senatus a ſchola prima matutina Textus, Gloſſæ, & Bartholi ad hanc deduxit *Antonium de Catharo*, attributis florenis CXL. quibus viceni additi ſunt quadriennio poſt. Sed anno MDLXI. ſupremum diem obiit, ut eſt in Actor. Cod. 40. p. 24. Quod nunquam ſtipendium exegiſſet, integrum Corneliæ ejus filiæ ſolutum eſt dotis nomine, annuentibus Carolo & Mario fratribus.

MDLXII. *Fabricius Fuſcus a S. Severino* Neapolitanus, qui ſcholam ſecundam matutinam Textus, Gloſſæ, & Bartholi regebat, juſſus eſt a Triumviris Criminalia explicare. Sed cum cito abiiſſet, *Sebaſtianus Monticulus* Vicetinus ex eadem ſchola Textus, Gloſſæ, & Bartholi huc migravit flor. LXI.

MDLXIII. *Bartholomæus Silvaticus* Patavinus ex Inſtitutionibus ad ſcholam hanc deductus eſt ſtipendio flor. LXX. qui anno MDLXXII. aucti ſunt ad CC.

MDLXXV. Cum *Silvaticus* tranſiſſet ad ſcholam Juris Canonici primam matutinam, VII. id. oct. ad hunc locum accitus eſt florenis CXX. *Donatus Fina* Sangrenſis, a tota Juriſtarum expetitus Univerſitate, ut ſcribit Riccobonus, qui ejus laudes fuſe deſcribit l. 3. c. 16. Sed obiit anno poſt.

MDLXXVII. XVI. kal. apr. *Ottonellus Diſcalcius* Patavinus ex ſecunda Juris Canonici ſchola pomeridiana traductus florenis C. qui bis aucti anno demum MDLXXXIV. crevere ad CC. Biennio poſt migravit ad ſecundam Juris Civilis ſcholam matutinam.

MDLXXXVI. IV. kal. maj. *Laurentius Caſtellanus* Patavinus ab Inſtitutionum ſchola ſecunda traductus eſt flor. CC. qui anno MDLXXXIX. IV. kal. oct. aucti ſunt ad CCC. & quinquennio poſt ad CCCC. Sed obiit eodem anno XIII. kal. ſept. *Ad juvenum ſtudia ſummopere adjuvanda aptus & natus* dicitur a Riccobono in l. 2. c. 21. ubi ejus laudes

persequitur, & quædam etiam memorat ab eo scripta.

MDXCIV. IV. kal. oct. *Victor Saxonia* Patavinus ex Feudorum schola translatus ad hanc est flor. CXX. qui sæpius aucti, anno MDCXV. v. non. oct. pervenere ad CD.

MDCXX. Pridie non. maj. *Joannes Galvanus* Patavinus ex Regulis Juris traductus est florenis CC. qui iterum ac sæpius aucti, anno MDCLXI. XVI. kal. dec. crevere ad DCL. supra millenos. Primariis Professoribus par anno MDCXLVIII. declaratus est, cunctisque usus est honoribus & commodis, quæ ad primarios pertinent. Datus est etiam Germanicæ nationi Patronus, & Græco Collegio Præfectus. Comes item & Eques a Ferdinando II. Imperatore creatus fuerat; sed titulis uti noluit. Obiit anno MDCLXV. mense augusto. Scripsit etiam quædam, quæ memorantur a Papadopolo t. I. p. 273. sed quia typis non commisit, ætatem non tulere.

MDCLXV. Nonis sept. *Ubertinus Discalcius* Patavinus ex Regulis Juris ad hanc scholam missus est florenis CLX. qui iterum ac sæpius aucti, anno MDCXCII. x. kal. aug. crevere ad DCCL. Sed biennio post obiit non sine magno totius Civitatis dolore.

MDCXCIV. XII. kal. aug. *Antonius Bombardinus* Patavinus ex tertia Juris Canonici schola matutina translatus est flor. CC. Ejus stipendium sæpe auctum, anno MDCCXXII. III. non. dec. crevit ad flor. DCC. Triennio post, cum Ecclesiæ nomen dedisset, migravit ad locum primum Juris Civilis pomeridianum.

MDCCXXVI. IV. non. jul. evocatus est ad scholam hanc *Carolus Pochinus* Patavinus, qui in tertio Juris Canonici loco superioribus annis cum meruisset, postea ad Forum migraverat. Principio minerval ejus trecenorum fuit, qui postea bis aucti, idib. jan. MDCCXL. crevere ad DC. Triennio post ætatis missionem obtinuit, prima conductionis summa detracta. Dissertationes aliquot emisit ex iis, quas prima quaque anni litterarii schola recitare consueverat, & qui-

dem

dem ita elaboratas atque elegantes, ut se ipsum superasse communi judicio visus sit. Obiit v. id. mart. MDCCXLV. cum etiam per eos annos, quibus addictus Gymnasio fuit, multis in re criminali opem & auxilium tulisset.

MDCCXLIII. v. id. aug. *Franciscus Pochinus* Patavinus, *Caroli* filius, ex Forensium Adsessorum ordine in Gymnasium venit, lege solutus qua Patavini Professores a locis tertiis incipere jubentur. Constitutum viro præstanti stipendium est florenor. CC. Et, ut alio quodam beneficii genere frueretur, secundarius Germanæ juventutis Protector declaratus est, quæ olim admodum frequens in hoc Gymnasio Jurisprudentiæ studiis operam dabat. Semel atque iterum confirmatus est, aucto stipendio ad florenos DC.



DE

DE REGULIS JURIS.

ANno MDLXXXVI. instituta est schola hæc, & decreto Senatus XVI. kal. sextil. *Marco Antonio Ottelio* Utinensi commissa, qui in Patria Juris Institutiones privatim tradebat. Constitutum illi stipendium est florenorum x. Sed quadriennio post ad Pandectas migravit. Successere Patavini duo, *Franciscus Bottonus* anno MDXCIII. florenis tricenis, *Octavius Salgherius* quadriennio post sexagenis. Hic autem post annos duos ad scholam Institutionum primam translatus est.

MDXCIX. tertius Patavinus accessit *Franciscus Vidua* florenis conductus LX. quibus anno MDCVII. additi sunt quadrageni. Sed anno proximo mortuus est.

MDCVIII. III. kal. oct. *Jacobus Cesana* Serravallensis docendi onus sumpsit florenis quinquagenis, sustinuitque per annos octo. Postea cum abdicasset, suffectus est postridie non. sept. MDCXVI. *Joannes Galvanus* Patavinus, qui non multo post ad Criminalia transivit.

MDCXX. Pridie non. maj. *Petrus Brusonus* ex Plebe Sacci docuit centenis, sed quarto vertente anno ad secundam Juris Canonici scholam pomeridianam migravit.

MDCXXV. III. id. Jan. *Josephus de Angelis* Patavinus octogenis docuit.

MDCXXX. III. kal. febr. *Scipio Gonemus* Cyprius centenis.

MDCXXXII. XV. kal. apr. *Jacobus Caimus* Utinensis centenis quinquagenis.

MDCXXXV. Non. maj. *Paullus Doctus* ex Castrofranco centenis, qui duplicati sunt idib. Julii MDCXLI.

MDCXLIV. XIV. kal. febr. *Zacchus de Zacchis* Patavinus octogenis, quibus x. kal. nov. MDCLIII. additi sunt quadrageni.

MDCLVII. IV. kal. oct. *Bernardinus Corneanus* Venetus, Canonicus Patavinus, octogenis. Postea Episcopus Polensis creatus est; eique successit postridie kal. april. MDCLXIII. *Franciscus*

ciſcus Salinerius Patavinus, florenis conductus LXXX. ſed intra annum mortuus eſt.

MDCLXIV. v. id. febr. *Ubertinus Diſcalcius* eodem ſtipendio conductus, poſt annum ad Criminalia migravit.

MDCLXVI. x. kal. apr. *Aloyſius de Angelis* ad ſcholam hanc ex arte Notaria traductus eſt flor. LXXX. Hinc porro ad Codicem.

MDCLXIX. Kalendis jun. *Jo. Baptiſta de Doctoribus* ex ſchola tertia Juris Canonici matutina evectus eſt florenis LXXX, qui iterum ac ſæpius aucti, anno MDCCX. crevere ad CDXXX. Quadriennio poſt vita deceſſit, cum annos ferme quinquaginta pro viribus in Gymnaſio docuiſſet.

MDCCXIV. Cum ſchola, mortuo *Jo. Baptiſta de Doctoribus*, vacaſſet, poſſetque Magiſtratus eam claudere ex decreto Senatus XII. kal. ſextil. MDCLXXXVIII. maluit nonis decembr. committere *Nicolao Barbaroſſa*, qui tertium Inſtitutionum locum non ſine laude tenebat, conſtituto ſtipendio florenorum C L. quibus præterea centeni additi ſunt anno MDCCXXII. Sed cum anno MDCCXXVIII. obiiſſet, ſcholæ titulus ex Rotulo ſublatus eſt.



DE

DE PANDECTIS

DIEBUS ORDINARIIS APERTA USQUE AD ANNUM MDCCXXXVI.

ANno MDLXXVIII. instituta est schola hæc, primusque omnium IV. id. jul. conductus est ad eam regendam *Angelus Matthæaccius* Marosticensis, constituto stipendio florenor. CC. quibus anno MDLXXXVII. additi sunt præterea centeni. Biennio post IV. kal. oct. translatus est ad primam Juris Civilis matutinam.

MDXC. Pridie non. jul. *Marcus Antonius Ottelius* Utinensis ex Regulis Juris traductus est florenis C. qui duplicati sunt anno MDXCVIII. XIII. kal. mart. Hinc ad Juris Civilis scholam primam matutinam ascendit.

MDC. XII. kal. nov. *Octavius Salgherius* ex prima Civilium Institutionum schola traductus flor. CC. Hinc postea ad Juris Civilis scholam secundam matutinam migravit.

MDCVII. Postridie id. oct. *Thaddæus Piso Soacia*, *Guarini* filius, ex Codicis schola evocatus flor. CC. Obiit anno MDCXV. cum antea commentariolum edidisset de Sponsalibus & Matrimonio. De illo ejusque genere Riccobonus l. 3. c. 7.

MDCXV. V. non. oct. *Franciscus Pola* Veronensis sexcenis accitus est. Sed obiit anno sequenti. De illo Tomasinus in Elogiis, & Maphejus in Verona illustrata l. 5. p. 232.

MDCXVII. Postridie id. jan. *Aloysius Coradinus* Patavinus ex Foro, in quo eloquentiæ fama florebat, deductus est florenis quadringenis. Antiquitatis studium cum Jurisprudentia conjunxit, ut scribit Tomasinus in Elogiis p. 282. & seq. Sed anno proximo inclinante mortuus est.

MDCXVIII. XVII. kal. dec. *Joannes Boatus* Patavinus eodem stipendio conductus est florenorum CD. quibus centeni additi

diti

diti ſunt III. id. mart. MDCXXIX. Obiit anno poſt. De illo Tomaſinus in Athenis Patavinis.

MDCXXXI. Pridie non. febr. *Albertinus Bariſonus* Canonicus Patavinus ex Feudis traductus flor. CCCL. anno MDCXXXVI. ultro ſe abdicavit, ut, mortuo Epiſcopo, Capituli ſui nomine Eccleſiam Patavinam regeret. Anno MDCXLVII. in Gymnaſium rediit Philoſophiæ moralis Interpres.

MDCXXXVII. v. id. apr. *Jacobus Caimus* Utinenſis, qui ſecundam Inſtitutionum ſcholam tenebat, ad hanc traductus eſt florenis trecenis ea conditione, ut utranque teneret, donec alteri provideretur. Itaque per menſes viginti geminam quotidie exercitationem habuit, ut colligitur ex decreto Senatus XI. kal. jul. MDCXLII. quo ſtipendium illi duplicatum eſt. Biennio poſt ad ſecundam Juris Civilis ſcholam pomeridianam migravit.

MDCXLIV. *Jo. Michael Pieruccius Bondichius* Florentinus huc indidem venit, ut ſcribit Tomaſinus ejus æqualis; atque hinc porro ad ſcholam ſecundam Juris Civilis pomeridianam migravit. In quibuſdam tamen Actorum tabulis translatus apparet ab Inſtitutionibus ad Juris Civilis ſcholas ſine ulla Pandectarum mentione.

MDCLIII. III. kal. jun. *Antonius Pauluccius* Venetus ex Authenticis traductus eſt florenis CD. quibus anno MDCLIX. additi ſunt centeni quinquageni. Triennio poſt ad primam Juris Canonici ſcholam pomeridianam aſcendit.

MDCLXII. XVII. kal. febr. *Achilles Bonfilius* Patavinus ex Codicis ſchola translatus eſt florenis CLX. qui ad trecenos aucti ſunt anno MDCLXVI. Biennio poſt ad ſecundam Juris Civilis ſcholam pomeridianam migravit.

MDCLXVIII. XI. kal. jan. *Joannes Capivacceus* ex Codicis ſchola traductus florenis CCCL. anno poſt obiit.

MDCLXX. XIII. kal. maj. *Nicolaus Galiardus* Tridentinus ex ſecunda Inſtitutionum ſchola traductus florenis CCC.

anno sequenti IX. kal. oct. mortuus est; vacavitque locus annos sexdecim.

MDCLXXXVII. VII. kal. oct. rursus Pandectarum desiderium excitatum est, additoque illis Codice, schola una conflata est, & *Jo. Baptistæ Rainis* Veneto commissa, qui secundum Civilium Institutionum locum tenebat flor. CCL. Hinc ad secundam Juris Civilis scholam migravit quinquennio post.

MDCXCII. X. kal. sextil. *Stephanus a Nivibus Cardeira* Lusitanus huc transiit ex prima Institutionum schola stipendio suo florenor. CDL. qui aucti sunt ad DC. anno MDCXCV. III. non. febr. Eodem anno nonis maj. ad secundam Juris Civilis scholam pomeridianam migravit.


MDCXCVII. III. non. oct. *Vincentius Viale* Patavinus ex loco tertio Juris Civilis pomeridiano huc ascendit florenis CL. Cum autem statim docere cœpisset, omissa Præfatione, quæ more solemni ad auspicium haberi solet, monitus a Triumviris est, irrogata etiam mulcta, donec consuetudini pareret. Conatus est persuadere Magistratui, nihilo plus ab eo requiri posse, qui jamdiu inter Professores esset, scholæ tertiæ satis superque præfatus: sed frustra. Itaque paruit post menses sex. Anno MDCCIX. ad locum secundum Juris Civilis pomeridianum translatus est.

MDCCIX. VI. kal. oct. *Andreas a Nivibus Cardeira Stephani* Professoris fil. successit stipendio florenor. CL. qui postea crevere usque ad CDXXX. Anno MDCCXXI. pridie kal. jun. mortuus est.

MDCCXXXVI. Pridie id. jul. *Co. Hercules Franciscus Dandinus* Cæsenas quingenis conductus est. Ejus gratia schola hæc, quæ diebus ordinariis exercebatur, ad vacantes redacta est. Anno MDCCXLII. crevit stipendium ejus ad flor. DCC. Sed nondum senex fato cessit VI. id. nov. MDCCXLVII. totique Universitati magnum sui desiderium reliquit. Adolescentiam Romæ egerat auditor, & affectator Jani Vincentii Gravinæ Juris-

Jurisconsultissimi. Hic mihi maxime in munere tam gravi visus est, cui nihil deesset. Nam præter Jurisprudentiæ studia omnem politioris humanitatis doctrinam & eruditionem secutus est. Huic autem generi laudum vitæ innocentia, morumque integritate præluxit. Varia edidit opuscula, inter quæ eminent *Commentariolus* de ea distribuentis Justitiæ parte, quæ in præmiis largiendis versatur, *Dialogus* de forensi scribendi ratione culta atque perspicua, *Epistolæ* de servitutibus prædiorum.

MDCCXLVIII. xv. kal. sextil. *Pax Marianus* Patavinus, incolatu Venetus, solido vir ingenio, & forensi opera exercitato, conductus est florenis CCC. Ad comparandam scholæ frequentiam Magistratus edixit III. non. aug. MDCCLII. ne cui Juris studioso annus primus computaretur, nisi constaret, eum non solum Institutiones audivisse, sed etiam Pandectas. Anno MDCCLVII. XIII. kal. jun. confirmatus est, aucto stipendio ad florenos CCCCL.



SCHOLA UNIVERSITATIS.

POstremus omnium hoc titulo docuit ante bellum *Joannes de Mulgia* anno ipſo MDIX. quo intermiſſæ ſcholæ ſunt. Et ne, recluſo Gymnaſio, ullius ſcholæ, quæ in honore fuiſſet, vacaret locus, hæc quoque anno MDXVIII. ſcholarium gratia reſtituta eſt, & xv. kal. ſept. *Ottonello Paſino* Patavino commiſſa priſtino ſtipendio florenor. X. quod fixum firmumque manſit, quamdiu ſchola ſtetit. Ejus penſum primis temporibus Decretum fuit, poſtea quidvis ex Jure Civili, petita a Rectore venia, explicare licuit, nemini tamen ultra annum.

MDXIX. III. kal. jan. *Guido Gulielmus* Anglicus.

MDXX. *Scipio Boſellus* Bergomas.

MDXXI. Pridie kal. dec. *Federicus Maccabeus* Apulus.

MDXXII. Poſtridie non. maj. *Guido de Agathonibus* Urbinas: eodemque anno, exeunte decembri, *Bernardinus Duca* Brixianus.

MDXXIII. XIII. kal. jan. *Jo. Petrus Zurla* Cremenſis.

MDXXIV. xv. kal. nov. *Franciſcus Bellinus* Sacilienſis, quem tamen non conſtat docuiſſe.

MDXXV. Pridie kal. apr. *Jo. Franciſcus Regius* ex Monteferrato.

MDXXVI. Kalendis nov. *Franciſcus Oliverius* Vicetinus.

MDXXVII. IV. non. mart. *Leonellus de Nigris* Venetus, eodemque anno pridie non. nov. rurſus *Jo. Franciſcus Regius*, qui docuit uſque ad februarium anni ſequentis.

MDXXVIII. III. non. mart. *Marcus Fulcus* Vicetinus.

MDXXIX. IV. kal. ſept. *Jo. Franciſcus de Lover*, cui ſucceſſit III. kal. dec. *Vincentius Sala* Brixianus.

MDXXX. XIV. kal. ſept. *Ludovicus Guarinus* Veronenſis, cui ad annum litterarium explendum ſucceſſit primum *Franciſcus Gajoncellus* Bergomas, deinde *Andreas Maurus* Veronenſis.

MDXXXI.

MDXXXI. VII. kal. sept. *Jo. Thomas Britius* Calaber.

MDXXXII. III. kal. aug. *Donatus Guerinus* Leciensis, quo absente, x. kal. dec. electus est *Donatus Mancarella* conterraneus ejus.

MDXXXIII. XIV. kal. sept. *Antonius Manuel* Gallus.

MDXXXIV. XIII. kal. sept. *Petrus Sardena* Patavinus.

MDXXXV. v. kal. aug. *Bernardus del Bene* Florentinus.

MDXXXVI. XVII. kal. sept. *Petrus Leonessa* Patavinus, qui anno MDXLIII. in Gymnasium rediit ad regendam scholam Civilium Institutionum secundam.

MDXXXVII. XIII. kal. nov. *Simeon de Vertua* Bergomas, cui eodem anno successit *Hieronymus Bassus* Feltriensis.

MDXXXVIII. III. non. nov. *Jo. Baptista Piccolomineus* Senensis.

MDXXXIX. xv. kal. sept. *Leonardus Passeri* Molfettanus.

MDXL. IX. kal. sept. *Hieronymus Pugiades*. Sed cum studiorum instaurationi defuisset, suffectus est *Marcus Antonius de Ferrariis* Calaber.

MDXLI. XII. kal. sept. *Marcus Antonius Bagolinus* Veronensis, qui kalendis maj. anni sequentis obiit, suffectusque est eodem mense *Jo. Antonius Blancus* Patavinus.

MDXLII. xv. kal. sept. *Leonardus Valtrinus*, cui sponte abeunti mense novembri successit *Marcus Antonius de Gregoriis*. Hic ipse mense martio anni sequentis se abdicavit.

MDXLIII. XVI. kal. sept. *Claudius de Chom* Gallus, cui absenti suffectus est IV. kal. dec. *Jo. Andreas Lilius* Venetus.

MDXLIV. V. id. maj. *Panfilius Fratina* Forojuliensis. Eodem anno postridie id. sextil. *Bernardinus Tespius* ejusdem patriæ in locum ejus suffectus est.

MDXLV. IV. kal. aug. *Bernardinus Borgaruccius* Anconitanus.

MDXLVI. V. kal. aug. *Prosper Podocatarus* Cyprius. Sed cum abdicasset, electus est in locum ejus VII. id. dec. *Co Cornelius de Pepolis* Bononiensis.

MDXLVIII.

MDXLVIII. V. kal. aug. *Nicolaus Lizarius* Veronensis.

MDL. vi. kal. aug. *Joannes Cogollo* Belga.

MDLI. *Joannes Carolus* Antuerpiensis.

MDLII. v. kal. aug. *Franciscus de Rubeis* Alexandrinus.

MDLIV. Postridie non. oct. *Bernardinus Fornaserius* Rhodiginus.

MDLVI. v. kal. aug. *Bernardus Luisinus* Forojuliensis, qui per mensem bona Rectoris venia substituit sibi *Cæsarem Busdragum*.

MDLVIII. iii. kal. nov. *Cæsar Mazzonus*.

MDLIX. v. kal. aug. *Princeps Bisuccius*, qui mense proximo transiit ad Authentica, revocato *Mazzono*.

MDLX. iv. kal. aug. *Bartholomæus Verde* Picens. Sed hoc anno cum aliis pluribus clausa schola est.



ARTIS

ARTIS NOTARIÆ SCHOLA PRIMA.

HOc titulo majores nostri superiore sæculo tradi voluerunt, quæ ad Tabellionis officium pertinerent. Scholæ pensum erat Rolandina summa, a Rolando Passagerio Bononiensi composita. Anno autem MCCCCLXXXVII. egit Civitas cum Magistratu, ne ad munus tam grave Doctores eligerentur a Comitibus Palatinis creati. Post bellum locus scholæ primus, qui anno MDVI. sublatus fuerat, restitutus est, missis a Decemvirali Consilio duobus Civibus ex ordine Cancellariorum, qui artem addiscerent. Ad eam porro tradendam revocatus est xv. kal. dec. MDXXIII. *Bartholomæus Rorarius*, al. *ab Orario*, Patavinus, qui superioribus annis in Gymnasio docuerat, constituto stipendio flor. XL. Anno MDXLIII. ob senectutem, eamque infirmam, sibi ipse substituit, annuente Magistratu, *Nascimbenum Pectenellum*, eique, quandiu vixit, de suo solvit. Multis laudibus ornatur a Scardeonio in lib. 2. class. 8. p. 191. & opera quædam recensentur ab eo edita.

MDXLVII. Cum *Rorarius* mortuus esset, *Pectenellus* decreto Senatus IV. id. oct. locum retinuit, totumque stipendium decessoris. Triennio post III. id. nov. confirmata illi schola est, auctumque minerval ad flor. L. sed in ipso ætatis flore anno MDLIV. decessit. Jure laudatur a Scardeonio in l. 2. clas. 8. p. 194. & a Papadopolo in t. 1. p. 250.

MDLX. *Aloysius de Veris* Patavinus, & *Joseph Bellirotus* ex loco tertio Juris Civilis traductus, inter se comparati, & experimento probati, simul accessere ad scholam hanc regendam pari loco, & stipendio florenor. XX. Sed anno MDLXVI. solus remansit *Aloysius*, additumque illi collegæ stipendium est.

MDLXXI. xv. kal. jan. *Joannes Leonessa* Patavinus conductus est flor. XXX. Docuit usque ad annum vigesimum sæculi

culi sequentis, aucto stipendio ad flor. CCXXV. Mortuus est admodum senex. A Tomasino *Hieronymus* vocatur, & docuisse dicitur per annos fere sexaginta.

MDCXXIX. III. id. mart. *Joannes Acinus* Veronensis conductus est flor. LX. Petiit, & obtinuit ab Universitate, ut liceret sibi post meridiem docere, quo tempore campana pulsatur. Eodem jure usi sunt reliqui post illum Professores.

MDCXLI. Postridie non. oct. *Joannes Capivacceus* Patavinus eodem conductus stipendio est, quod crevit anno MDCLX. ad flor. CCXX. Biennio post ad Codicem interpretandum translatus est.

MDCLXII. XVII. kal. oct. *Aloysius de Angelis* Patavinus conductus est flor. LXXX. Sed quadriennio post migravit ad Regulas Juris.

MDCLXVI. III. non. nov. *Ludovicus Justachinus* Patavinus eodem conductus stipendio est flor. LXXX. qui sæpius aucti crevere ad CCLX. Perrexit usque ad annum MDCCXV. quo vacare jussus est, detractis ex ejus stipendio flor. CLX. Obiit anno post v. kal. jul. cum edidisset Magistri sui ope, ut ingenue fatebatur, ad Institutiones Civiles commentarios quosdam. Horum exemplaria vir priscæ simplicitatis, ut eum appellat Papadopolus, scholasticæ juventuti vendere solebat, cum opera sua in publicis examinibus indigeret.

MDCCXVI. Nonis maj. *Petrus Dominicus Cessis*, *Jo. Baptistæ* Professoris filius, conductus est flor. CLX. qui bis aucti crevere ad CDXX. Anno MDCCXXXVIII. pridie non. dec. missionem obtinuit, condonatis ad reliquum vitæ cursum, quem absolvit quatriduo post, centenis octogenis. Vulgavit commentarium de Regulis Juris, de quo Papadopolus in t. I. p. 165. Schola porro ipsa sublata est.

ARTIS

ARTIS NOTARIÆ SCHOLA SECUNDA.

CUm ſchola artis Notariæ prima anno MDVI. ſublata fuiſſet, hæc una ſtetit, quæ ab Univerſitate diſtribuebatur, & quidem plerumque ſcholaribus ſtipendio florenor. X. qui nunquam augerentur. Itaque remiſſo belli juſtitio, anno MDXVIII. xv. kal. ſept. *Marcus Juſtus* Patavinus electus ab Univerſitate eſt, locumque tenuit per annos tres.

MDXXI. Kalendis nov. *Hieronymus Puleſinus* Juſtinopolitanus, qui anno ſequenti III. kal. febr. locum ceſſit conterraneo ſuo *Petro Paullo Vergerio* Juniori, cujus vitam, mores, & exitum minime laudandum habes apud Papadopolum, qui eum inter Alumnos recenſet in t. 2. p. *66*.

MDXXII. Decembri exeunte, ſucceſſit *Vincentius Noalius* Tarviſianus.

MDXXIII. XIII. kal. ſept. electus eſt *Jo. Franciſcus de Lanciano*, cui datus eſt a Senatu collega & antagoniſta *Bartholomæus Rorarius*, qui loco præcederet, & privatim quoque diſcendi ſtudioſos inſtrueret. Hinc ſchola prima claſſis hujus, de qua dictum eſt.

MDXXIV. xv. kal. nov. *Franciſcus Fecia* Pedemontanus.

MDXXV. Pridie kal. dec. *Antonius Valerius* Mantuanus, cui menſe majo anni ſequentis ſuffectus eſt ad curriculum explendum *Jacobus Mantuanus*.

MDXXVI. XVI. kal. ſept. *Hieronymus de Portu Naonis*.

MDXXVII. Poſtridie id. dec. *Petrus de Onigo* Tarviſianus.

MDXXIX. IV. kal. ſept. *Franciſcus a Sonica* Bergomas, qui confirmatus perrexit in annum ſequentem. In tabulis Quæſtoriis anno MDXXX. poſt XVI. kal. dec. ſufficitur *Alexander Monica* Bergomas.

MDXXXI. VII. kal. ſept. *Andreas Paganellus* Bergomas, qui VIII. kal. dec. migravit ad ſcholam Sexti Decretalium ſecundam, ſuffecto in ejus locum *Marco Solono* Dalmata.

MDXXXII. III. kal. sept. *Nicolaus Palatinus*.

MDXXXIII. XIV. kal. sept. *Gregorius de Castro Romano*.

MDXXXIV. XIII. kal. sept. *Jacobus Basileus* Patavinus.

MDXXXV. V. kal. sept. *Jo. Antonius Brandolesius* Montaneanensis.

MDXXXVI. III. kal. nov. *Hieronymus Pilottus* Brixianus.

MDXXXVII. V. kal. nov. *Carceranus de Nores*, in cujus locum XIII. kal. dec. suffectus est *Antonius Caballinus* Patavinus.

MDXXXVIII. III. non. nov. *Claudius de Simeonibus* Forojuliensis.

MDXXXIX. XV. kal. sept. *Paschalicus de Paschalicis*.

MDXL. IX. kal. sept. *Marcus Antonius de Ferraria*, cui V. id. nov. successit *Jo. Baptista de Amigonibus* Coneglanensis usque ad aprilem anni sequentis. Cursum absolvit *Joannes Cornalus* Patavinus IX. kal. maj. electus.

MDXLI. XII. kal. sept. *Cornelius Boninus* Brixianus, qui anno sequenti migravit ad scholam primam Juris Civilis meridianam.

MDXLII. XV. kal. sept. *Gabriel de Citris* Neapolitanus, cui anno proximo XIII. kal. jun. substitutus est ad cursum explendum *Ventura Spinetta* Bariensis.

MDXLIII. XVI. kal. sept. *Julius Ganè*, cui onus ægre ferenti suffectus est mense novembri *Antonius Tessarius* Patavinus.

MDXLIV. Postridie id. aug. *Petrus Granger* Hungarus.

MDXLV. IV. kal. aug. *Honoratus Valle de Galeanis* Pedemontanus.

MDXLVI. V. kal. aug. *Paullus Petreus* Dalmata, in cujus locum anno sequenti III. idus martias suffectus est conterraneus *Antonius Roseneus*.

MDXLVIII. V. kal. nov. *Joannes Baptista Puellus* Parmensis.

MDL.

MDL. VI. kalend. aug. *Andreas Aleardus* Gallus.

MDLI. XV. kalend. Novemb. *Andreas de Nicolis* Rhodiginus, cui poſtridie kalend. decembr. ſucceſſor datus eſt *Joannes Attelerius* Belga.

MDLII. VI. kal. auguſt. *Petrus Carrara* Veronenſis.

MDLIII. Pridie kalend. decemb. *Georgius Cimiſinus* Tridentinus.

MDLIV. IV. kal. novemb. *Andreas Metellus* Brixianus, qui anno proximo ineunte abdicavit, ſucceſſoremque habuit *Franciſcum Albaraſium* Provincialem.

MDLVI. V. kal. aug. *Marcus Antonius Ariſius* Mediolanenſis.

MDLVIII. III. kalend. novemb. *Felix de Chriſtianis*.

MDLIX. V. kal. aug. *Jo. Baptiſta Donatus* Patavinus.

MDLX. IV. kal. aug. *Aleander Piſentius* Veronenſis, qui poſtremus ſcholæ hujus Profeſſor fuit.



SCHOLA PRIMA MATUTINA TEXTUS, GLOSSÆ, ET BARTHOLI.

ANno MDXLIV. tota petente Universitate, instituta est schola hæc, & quidem gemina, quæ bis in die aperiretur. Utrumque autem locum primum sibi Senatus reservavit; secundi arbitria scholaribus concessit. Porro primum hunc matutinum occupavit III. kal. nov. *Antonius de Castbaro* Patavinus, ex Institutionibus traductus florenis octogenis, qui bis aucti anno MDLIII. crevere ad CXL. Triennio post ad Criminalia transivit.

MDLIX. III. non. nov. *Hieronymus Olzignanus* Patavinus, mandantibus Triumviris, docendi munus suscepit; confirmatus biennio post auctoritate Senatus ad sexennium flor. L.

MDLXIV. v. non. mart. *Nicolaus Bottonus* Patavinus ex Sexto Decretalium florenis traductus est quadragenis, qui aucti sunt ad C. anno MDLXVIII. Sexennio post migravit ad scholam secundam Juris Canonici pomeridianam.

MDLXXIV. v. kal. nov. *Franciscus Branca* Athestinus ex schola Sexti traductus est flor. L. Sed hæc anno MDLXXIX. decreto Senatus III. kal. jul. clausa est. *Branca* autem anno MDLXXXVI. ad Civiles Institutiones transivit.

SCHOLA SECUNDA MATUTINA TEXTUS, GLOSSÆ, ET BARTHOLI.

ANno MDXLIV. XII. kal. nov. electus est ad scholam hanc aperiendam *Bartholomæus Hostiensis* Vicetinus, qui anno superiore primam Sexti Decretalium tenuerat; idemque illi assignatum stipendium est flor. LI. Mense februario anni sequentis suffectus illi est ad curriculum explendum *Julius Speronus* Patavinus.

MDXLV. IV. kal. sextil. *Franciscus Cividalius* Vicetinus. Huic attributum stipendium est flor. LXI. quod in posterum certum ac firmum scholæ esset.

MDXLVII. *Vincentius Porcellaga* Brixianus.

MDXLIX. VI. kal. sextil. cum electus ab Universitate fuisset *Antonius de Tienis* Vicetinus, Senatus postridie non. oct. revocavit *Porcellagam*, aucto illi stipendio extra ordinem ad flor. LXXX.

MDLII. v. kal. sextil. *Nicolaus Gratianus* Forojuliensis.

MDLIV. *Vincentius Cazzago* Brixianus florenis LXI.

MDLVI. v. kal. sextil. *Jo. Antonius de Zanettis* Brixianus, qui substituit sibi bona Universitatis venia primum quidem *Jo. Antonium de Forestis*, deinde vero *Horatium Boccam*, utrumque conterraneum suum.

MDLVIII. III. kal. nov. *Franciscus Mantica* Forojuliensis, cui mense majo anni sequentis suffectus est *Andreas Tritonius* Utinensis. Ipse autem *Mantica*, commendante Universitate, ad scholam secundam Civilium Institutionum translatus est.

MDLX. IV. kal. sextil. *Fabricius Fuscus*, al. *Fusculus*, *de S. Severino* Neapolitanus, cui ad biennium absolvendum anno sequenti suffectus est ab Universitate, & litteris Triumviralibus confirmatus *Sebastianus Monticulus*. Postea schola vacavit, ita jubente Principe.

MDLXIV. v. non. mart. restituta schola est, tota contendente Universitate, modo qui eam in posterum teneret, Textum, Glossam, & Bartholum daret *absque disputationibus articulorum*, ut est in Actis Cod. XLIV. p. 8. Hac conditione accitus est *Martius Rutilius* Coloniensis florenis tricenis, Laurea titulisque Academicis nondum potitus. Biennio post translatus est ad scholam secundam Juris Canonici pomeridianam.

MDLXVI. *Michael Quarantaotto* Patavinus eodem stipendio suffectus *Rutilio* est. Hinc migravit ad locum primum pomeridianum anno sequenti.

MDLXVIII. IX. kal. nov. *Paullus Antonius Godius*, vulgo *de Gù*, Vicetinus eodem stipendio conductus est. Hunc excepit anno MDLXXIV. *Galeacius Bigolinus*, ut scribit Riccobonus; *Bigolinum* autem *Flaminius Bradiolus* anno MDLXXVII. qui scholam clausit.



SCHO-

SCHOLA PRIMA POMERIDIANA

TEXTUS, GLOSSÆ, ET BARTHOLI.

ANno MDXLIV. poſtridie id. nov. *Federicus Rogerius*, qui ante annos amplius viginti induſtriæ ſuæ experimentum dederat in ſchola ſecunda meridiana, & tertia pomeridiana, ad hanc evocatus eſt florenis CL. qui triennio poſt crevere ad CC. Equeſtri ordine ornatus a Carolo V. Imperatore obiit anno MDLXIII. De illo Riccobonus l. 2. c. 12. & Papadopolus t. 1. p. 258.

MDLXIII. pridie kal. jun. *Bonifacius Rogerius*, *Federici* filius, qui annis ſuperioribus ex Triumvirum mandato patri ſeni & infirmo vicariam operam in Gymnaſio præbuerat, ſuffectus eſt florenis CXX. Anno MDLXVIII. migravit ad ſcholam tertiam Juris Civilis pomeridianam, aucto ſtipendio ad flor. CL.

MDLXVII. *Michael Quarantaocto* ex loco ſecundo matutino traductus. Hinc aſcendit ad ſcholam ſecundam Juris Canonici matutinam.

MDLXVIII. IX. kal. nov. *Guerinus Piſo Soacia* Patavinus ſucceſſit florenis XXX. Anno MDLXX. tranſiit ad ſcholam ſecundam Juris Canonici pomeridianam, aucto ſtipendio ad flor. LXXX.

MDLXX. III. non. ſept. *Terentius de Terentiis* Patavinus ex ſchola Sexti ad hanc traductus eſt florenis XL. Anno MDLXXVI. duplicatum illi ſtipendium eſt. Anno poſt migravit ad ſcholam ſecundam Juris Canonici matutinam.

MDLXXVII. IV. non. oct. *Galeacius Bigolinus* Patavinus ex ſchola tertia matutina ad hanc aſcendit flor. LX. Biennio poſt ſublata ſchola eſt. De Bigolino porro V. Riccobonum l. 3. c. 18. & alibi.

SCHO-

SCHOLA SECUNDA POMERIDIANA
TEXTUS, GLOSSÆ, ET BARTHOLI.

ANno MDXLIV. xv. kal. nov. *Petrus Leonessa* Patavinus, qui Sextum Decretalium loco primo explicuerat, electus ab Universitate est ad scholam hanc, assignato stipendio florenor. XL. quod firmum ac perpetuum scholæ fuit.

MDXLV. IV. kal. sextil. *Hieronymus Hermolaus* Dalmata, ut est in Actis. In Rotulo tamen extat *Jo. Andreas de Anguillaria* Romanus.

MDXLVI. v. kal. sextil. *Nicolaus Patritius* Dalmata, cui anno sequenti III. id. mart. suffectus est *Caspar de Nigris*.

MDXLVII. Pridie id. sept. *Julius Zambertus* Venetus.

MDXLVIII. v. kal. sextil. *Nicolaus de Arculis*, in cujus locum suffectus est mense novembri *Bartholomæus Oliva* Cyprius. Anno sequenti cum se *Oliva* abdicasset, pridie non. maj. electus est *Vincentius Bargnanus* Brixianus.

MDL. VI. kal. sextil. *Jo. Baptista Rosa* Brixianus.

MDLII. v. kal. sextil. *Hadrianus Emenius* Belga. Cum Doctor non esset, litterasque a Triumviris obtinuisset, ut nihilominus docere publice posset, duo Consiliarii Venetias missi sunt, qui jura Universitatis asseruerunt, litterasque Triumvirales revocari curarunt. Ex Actis Cod. 35. p. 15. & 27.

MDLIV. postridie non. oct. *Daniel Nichesola* Veronensis.

MDLVI. v. kal. sextil. *Vitus Hortus* Germanus.

MDLVII. III. kal. sextil. *Ludovicus Tolentinus* Patavinus, qui substituit sibi per mensem, annuente Rectore, *Annibalem de Albertinis* Cæsenatem.

MDLVIII. III. kal. nov. *Benedictus Venerius* Veronensis.

MDLX. IV. kal. sextil. *Salomon de Rubeis*. Sed hoc anno sublata schola est cum aliis ordinis ejusdem, quæ per scholarium suffragia distribuebantur.

SCHO-

SCHOLA TERTIA TEXTUS, GLOSSÆ, ET BARTHOLI MERIDIANA.

ANno MDXLIV. ſublato primo, & ſecundo Juris Civilis loco meridiano, tertius aſſignatus eſt ſcholæ Textus, Gloſſæ, & Bartholi, ſervata meridiei hora. Electus eſt autem ad eam regendam xv. kal. nov. *Nicolaus de Villa*, qui ſcholam tertiam Sexti Decretalium tenebat.

MDXLV. *Jo. Baptiſta de S. Juſtina*.

MDL. *Joſeph Bellirottus*, de quo in Artis Notariæ ſchola prima ad annum MDLX.

MDLVIII. *Bartholomæus Sfortia*, qui locum hunc tenuit uſque ad annum MDLXXV.

MDLXXIX. *Victor Saxonia*, qui poſt annos decem, clauſa ſchola, tranſiit ad Feuda.



DE ARTIBUS, EARUMQUE RECTORIBUS, ET PROFESSORIBUS A RESTITUTO GYMNASIO AD ANNUM MDCCLVII.


Uc demum Tertiæ hujus Partis editio, rationibus typographicis ſemel atque iterum retardata, cum perveniſſet, Profeſſoribus optime de ſchola ſua meritis XVII. kal. oct. MDCCLVII. auctum ſtipendium eſt, *Morgagno* ad millia florenorum bina, *Fantono* ad florenos DCCL. *Stellino* ad DXL. & paucis poſt diebus *Arrighio* ad quadringenos ſupra mille, *Comiti de Rinaldis* ad CCCC. Singulis his decreto honorifico ad ſexennium confirmatis, novus eodem tempore conductus Profeſſor eſt florenis CCL. ad Thomiſticam Theologiæ ſcholam regendam *Mag. Antoninus Valſecchius* Veronenſis, ex Dominicanis Obſervantibus, ſacrarum concionum fama Italia tota celebratus. Ipſius quoque Artiſtarum Actuarii *Joſephi Minati* ſalario argentei deni ſeni additi ſunt, in menſes ſingulos ſolvendi, quod Univerſitatis ſuæ tabularium, collectis undique totius Gymnaſii monumentis, digeſtis, ordinatiſque locupletarit, æqualem pollicitus in poſterum curam. Tum ipſe autem, tum collega ejus Juriſtarum Actuarius *M. Antonius Sellarius* codices ſuos, in Gymnaſii conclavia ſæculo ſuperiore extructa, nunc denique tranſtulerunt; ne Gymnaſticas tabulas cognoſcere volentibus aliunde petendæ ſint. Jam aula etiam parari cœpit, in quam Profeſſores ante ſcholæ tempus convenire poſſint, ſeque ſumpta toga tantiſper colli-

gere; curante opus Juris Canonici Professore *Petro Busenello*, qui ad instaurandas ornandasque Gymnasii ædes, pro suo quodam vitæ cultu atque elegantia, operam omnem studiumque confert.

Pergamus porro arcessentes a capite Artistarum Rectores post Gymnasium restitutum. Nam qui se, clausis scholis ad tempus assumpti, hoc titulo ornarunt, *Franciscus Fumanellus*, *Aloysius Zuccatus*, *Antonius de Fantis*, *Jo. Antonius Romicenus*, ut ex more Doctoribus creandis interessent, non videntur Gymnasii Fastis ingerendi.



DE ARTISTARUM RECTORIBUS

AB ANNO MDXVII.


Iscusso armorum terrore, reclusisque Patavinis scholis, anno MDXVII. pridie non. decembr. Artistarum Prorector creatus est *Jo. Franciscus Vitalba* Bergomas, qui annali munere recte functus, Artium ac Medicinæ Lauream, antiquo repetito more, publice accepit. Biennio autem post ad Theoricam Medicinam profitendam conductus est florenis XXX.

Anno superiore *Annibal Rogerius* Patavinus Juris utriusque Doctor v. id. januar. testamentum condidit, jussitque ex bonis suis publicam Grammaticæ scholam institui, quæ universæ civitatis commodo pateret. Rem totam commendavit Jurisconsultorum Collegio, a quo voluit magistrum eligi ætate firma annorum circiter XL. in primis probum, ab omni vinculo liberum, Græce Latineque doctum, attributis stipendii nomine argenteis annuis, quos ducatos vocant, ducenis. Arithmeticum quoque addidit, assignatis argenteis centenis, si hereditatis bona solvendo sufficerent. Utrumque docere jussit, non in domesticis ædibus, sed publico in loco, in quem omnis studiosa civitatis juventus libere ac sine impensa convenire posset. Extat testamentum apud Tomasinum de Gymnas. Patav. lib. 1. c. 74.

MDXVIII. kalendis sextil. unde regiminis hujus initium peti solebat, creatus est Rector ab Universitate *Petrus Ternus* Cremensis, litterisque Ducalibus, quæ adhuc extant, confirmatus.

MDXIX. pridie non. sextil. *Jo. Antonius Actius* Utinensis Rector. Ex litteris Ducalibus.

MDXX. nonis sextil. *Matthæus Leoparda* Cretensis. Ex litter. Ducal.

MDXXI. nonis sextil. *Jo. Carrariensis* Bergomas, Artium ac Medicinæ Doctor, creatus est Rector, & anno sequenti confirmatus. Ex litter. Ducal. & lib. 4. Statutorum pag. 78.

MDXXIII. nonis sextil. *Ludovicus de S. Bonifacio* Veronensis, Rector. Sub ejus regimine actum est de Professorum electione a scholarium arbitrio ad Triumviros transferenda.

MDXXIV. nonis sextil. *Alphonsus Tafurius* ex Latio Neapolitano. Ex litter. Ducal.

MDXXV. pridie non. sextil. *Hieronymus Gardanus* Mediolanensis. Ex litter. Ducal.

MDXXVI. nonis sextil. *Hieronymus Montaltus* Mantuanus Ex litt. Ducal.

MDXXVII. VII. id. sextil. *Jo. Maria Zafaras* Brixianu de Gavardo, qui anno sequenti confirmatus est. Ex libr Quæstoriis.

MDXXIX. VI. id. sextil. *Bernardus de Soldatis* Muglensis cujus regimen propagatum est in annum sequentem. Ex A ctis p. II. Statutorum librum refecit, atque edidit mens majo anni MDXXXI.

MDXXXI. VIII. kal. sept. *Fridericus Zenus* Urbinas, Prorector (Ex Actorum Cod. I. p. 52.) cum prioribus anni litterarii diebus post kalendas sextiles hoc munere functus fuisset *Nicolaus de Castiliono*, Artium & Medicinæ Doctor. His ferme temporibus in hac Universitate, & paullo post etiam apud Theologos *Baccalarii*, & *Licentiati* obsolevere; totumque experimentum ad obtinendum jus & nomen magisterii stare cœpit examine uno, cui sæculo sequenti additum est alterum, quæ dicitur Recitatio.

MDXXXII. pridie non. sextil. *Alexander Carinellus* Bergomas. Ex litter. Ducal.

MDXXXIII. v. id. sextil. *Joannes de Marinonibus* Bergomas. Ex litter. Ducal.

MDXXXIV.

MDXXXIV. XVI. kal. oct. *Alexander Trajanus* ex Civitate Castellana, Prorector. Ex litter. Ducal.

MDXXXV. pridie non. sextil. *Severinus Boccauratus* Sanseverinensis. Ex litter. Ducal.

MDXXXVI. pridie id. sextil. *Michael Miritius* Rhodiensis Prorector. Ex litter. Ducal.

MDXXXVII. III. non. sextil. *Ludovicus Mutius* Aquilanus. Ex litter. Ducal.

MDXXXVIII. nonis sextil. *Hieronymus Liorsus* Veronensis. Ex litter. Ducal.

MDXXXIX. pridie non. sextil. *Nicolaus Guizzardus* Novocomensis. Ex litter. Ducal.

MDXL. pridie kal. sextil. *Simon Arboscellus* Cremonensis, Prorector, qui anno sequenti creatus est Rector. Ex Actorum Cod. I. p. 77. & seq.

MDXLII. pridie non. sextil. *Jo. Antonius Apothecus* Pedemontanus ex Monte Regali. Sub ejus regimine, quod in annum sequentem confirmatione propagatum est, Artistis quoque locus datus est in novis ædibus ad Hospitium bovis, quæ ab Juristarum Universitate comparatæ fuerant, & usque ad hoc tempus ab illa dumtaxat occupatæ. Ex Cod. I. p. 97. & 103.

MDXLIV. postridie kal. sextil. *Bernardinus de Georgiis* Vicetinus. Ex Cod. I. p. 124.

MDXLV. postridie kal. sextil. *Paullus Colicba* Siculus. Ex Cod. I. p. 146. Ad hunc annum refertur Horti Botanici institutio, de quo Senatusconsultum XVI. kal. sextil. factum est, ex eo fundus emptus, custosque delectus *Aloysius Anguillaria*, ex Bononiensi Gymnasio accitus. Tam pulchra res, scholisque Patavinis honorifica exitium attulit Aponensibus thermis, quod sibi homines persuasissent, nova hac per herbas via citius & facilius morbos expelli posse. Dolendum profecto est, saluberrimas aquas, molesque ad earum usum adjectas, opinionis errore ita fuisse desertas, ut vix jam semiru-

tæ domunculæ, rudera informia, & magnarum vestigia substructionum appareant. Attamen nisi thermæ istæ fuissent, Patavium fortasse non esset, vel certe Patavium non diceretur. Si enim verum quærimus, vox hæc Germanica est, & aquarum locum significat, litteris ejusdem organi inter se commutatis, & Latina forma compositis, ut fit in *Patavia* Norici urbe, & *Batavia* Belgii regione. Cum enim Germani thermas Aponenses summopere frequentarent, nomen regioni dedere, quod postea urbi mansit. Nam urbs quidem ipsa ab incolis *Urbs Euganea* dicebatur, quo nunc nomine proximus vicus gaudet *Brusegana*, ubi primis temporibus ædificatum fuisse creditur. Virgilius vocat *urbem Patavj*, hoc est regionis ejus, quæ Patavium dicitur.

MDXLVI. pridie non. sextil. *Ludovicus Buzzacarenus* Picenus. Ex libris Quæstor. Creatus est a Senatu Eques, & perrexit in annum sequentem. Scholarum comitia Senatus inhibuit, & eligendi Professores facultatem suspendit.

MDXLVIII. postridie non. sextil. *Franciscus Storellus* Apulus. Ex litter. Ducal. Quod Medicinæ Professores nimis frequenter Venetias acciti scholas desererent, decreto Senatus XIV. kal. febr. anni seq. cautum est, nequis eorum sine commeatu Patavio discederet. Hunc autem, cum opus esset, a Collegio peterent, suffragantibus Triumviris duobus; nec nisi per dies octonos bis in anno concederetur; nec pro concesso haberetur nisi per partes suffragiorum quinque.

MDXLIX. VI. id. sextil. *Ermannus Moranus* Antuerpiensis. Ex litter. Ducal.

MDL. nonis sextil. *Gellius a Valle* Vicetinus, Prorector. Ex litter. Ducal. Anatomicum studium in dies magis cum vigeret, non publicæ modo, sed privatæ quoque exercitationes passim habebantur; quibus si forte cadavera non suppeterent, ne sepultis quidem juventus parcebat. Quapropter Senatus consultum VI. id. febr. factum est gravissimarum pœnarum sanctione adversus illos, qui per hujusmodi caussas sepulchra viola-

violarent. Modus etiam aliquis privatis exercitationibus quinquennio post positus est, ne fierent, nisi cessantibus publicis.

MDLI. VI. id. sextil. *Baroccius* Cretensis, Rector. Ex liter. Ducal. Cepit Lauream in utroque Jure, venia a Magistratu petita, & quidem publice, mense septembri anni sequentis. Ex Actis Coll. Juristarum p. 509.

MDLII. nonis sextil. *Vincentius de Menichellis* Patritius Romanus, Rector. Ex litter. Ducal.

MDLIII. XI. kal. sept. *Pacinus Bellogradus* Utinensis, Rector. Ex Act. Cod. I. p. 158.

MDLIV. postridie kal. sextil. *Maximus Pierius Fonticulanus ab Aquila* Romanus, Prorector. Ex Act. Cod. I. p. 158. Cum balnea Aponensia usum pæne omnem, sive Artis inscitia, sive incuria jam amisissent, ruinisque ac dumis obruta quotidie magis in contemptum & oblivionem abirent, hoc anno Medicorum Collegium Professores tres delegit, Franciscum Frigimelicam, Paullum Crassum, & Oddum de Oddis, qui locum inviserent, purgarent, restituerent. Litteræ quoque Ducales accessere v. non. oct. datæ, ut quoties triumviri isti illuc se conferrent, apud Cœnobitas Montis Ortoni hospitio reciperentur, rustici autem quatuor, aut quinque ex illa vicinitate præsto essent, qui fodiendo operam præberent. Sed vicit nova res, Botanicus Hortus paullo ante institutus, unde satis superque opis ad valetudinem tuendam tum pharmacopolæ, tum Medici ipsi cito fore affirmabant.

Ex diplomate Julii III. P. M. ad Episcopum Patavinum, quod Breve vocant, Leo Benaja Hebræus Imolensis in sacro Medicorum Collegio examinatus est, probatus, gradibusque omnibus ac titulis ornatus.

MDLV. postridie kal. sextil. *Scipio de Aponte* Neapolitanus. Ex Cod. I. p. 180. *Marcus Antonius Racchius* Raconisiensis Pedemontanus VIII. kal. oct. ab Universitate adlegatus est Orator ad Triumviros Litterarios, ut curaret, ne scholæ transferrentur Venetias, vel Murianum, quod sermone percrebue-

crebuerat, ob luem epidemicam, quæ Patavii grassabatur. Ibid. pag. 188. Sub initium decembris, absente *Aponte*, *Paullus Lancius* Bergomas pro Rector agere cœpit, egitque usque ad XIV. kal. april. anni sequentis, quo die ipse *Racchius* Rector creatus est ad menses reliquos.

MDLVI. III. non. sextil. *Pancratius Helbich* Erfordiensis, Rector. Ex Act. Cod. I. p. 214. Cives quidam Patavini ex nobilioribus simul coeuntes cœtum Academicum composuerunt, seque *Constantes* vocitarunt. Meminit Academiæ hujus Brancaccinus in l. 1. de Jure doctor. c. 4. Sed cito defluxit.

MDLVII. *Alexander Marulus* Zacynthius, Rector. Ex veteri tabularii Rotulo.

MDLVIII. postridie non. sextil. *Sampson Brigottus* Adriensis. Rector. Ex litter. Ducal.

MDLIX. XV. kal. dec. *Joannes Bergamus* Vicetinus, Rector. Ex litter. Ducal.

MDLX. Hoc anno XV. kal. sextil. decrevit Senatus, ut, deficiente Rectore, Syndicus pro Rectore esset. Omnis autem *Rotuli* condendi potestas scholaribus ablata est.

MDLXI. postrid. non. sept. *Joannes Campanile* Neapolitanus, Rector. Ex litter. Ducal. Venetias se contulit ad repetendam eligendi Professores facultatem, anno superiore interceptam. Ipsi quoque scholares hujus rei caussa repente armati seditionem fecerunt, projectis sedilibus extra scholas, & Professoribus ipsis audacter exturbatis. Sed omnia cito per Urbis Rectores composita sunt. Contra Juristarum Universitas, annuæ ambitionis tædio, unde sæpe discordiarum caussæ & pericula oriebantur, scientibus & volentibus ademptam declaravit; pœnasque constituit adversus illos, qui ad eam restituendam quippiam molirentur.

MDLXII. III. kal. nov. *Claudius Morandinus* Forojuliensis, Rector. Ex litter. Ducal.

MDLXIII. IV. kal. jan. Idem *Morandinus* Rector confirmatus. Ex litter. Ducal.

MDLXIV.

MDLXIV. IV. id. sextil. *Donatus Antonius de Siculis* Tarentinus, Prorector. Ex litter. Ducal.

MDLXV. postr. id. sextil. *Bernardinus Calinus* Vicetinus; Rector. Ex litter. Ducal.

MDLXVI. XII. kal. sept. *Andreas Ctostinto* Polonus, Rector. Ex litter. Ducal.

MDLXVII. pridie id. oct. *Albertus Cimerlinus* Veronensis, Rector. Ax Actis Cod. II. p. 2. Hoc anno mortuus est *Franciscus Robortellus* Humanitatis Professor, ingenti collecta fama, pecunia vero tam exigua, ut ne sepulchro quidem suffecerit.

MDLXVIII. XIII. kal. jul. Idem *Cimerlinus* extra ordinem honoris gratia confirmatus ad tempus. Ibid. p. 9. Quod illi in publico judicio *Bernardinus Trivisanus* Medicæ facultatis Professor, & Collegii Medici Præses, convicium fecisset, condemnatus est ab Universitate IV. kal. jul. mulcta irrogata libellarum CC. ut est ibid. p. 11. Ipse autem *Cimerlinus* V. non. jul. Venetias se contulit, questusque est Universitatis nomine, jam nimis multos inter Professores esse Patavinos; rogavitque Magistratum, ne Patavinis Patavinos Collegas & concurrentes daret; quod esset contra rationem, contra leges moresque Gymnasii, & contra Senatus decreta. Nonis sextil. confirmatus est Rector ad annum. Ibid. p. 16.

MDLXIX. postridie kal. sextil. *Aloysius Sclopus* Veronensis, Rector. Ex Actis Cod. II. p. 37. Cum Juris utriusque Doctor esset, probatus est in Philosophia, & publice Laurea coronatus in æde Cathedrali v. non. sept. anni sequentis. Ibid. p. 66. Patavina quoque Civitate donatus est, ut scribit Monterossus de Prætor. Patav. p. 32.

MDLXX. III. non. sextil. *Almericus Sampirolus* Pisaurensis substitutus ad tempus. Ex Actis Cod. II. p. 62. Sed VII. id. sextil. electus est Prorector *Carolus de Hortis* Veronensis; probatusque in Philosophia & Medicina anno sequenti XV. kal. sept. Ibid. p. 63. & 91.

MDLXXI.

MDLXXI. postridie non. nov. *Faustus Durastantes* Picens, Prorector. Ex Actis Cod. II. p. 88. & ex Inscriptionibus Gymnast. apud Tomasinum p. 493. n. 251.

MDLXXII. postridie non. sextil. Idem *Durastantes* Prorector confirmatus. Ex litter. Ducal. Episcopus Bellunensis Julius Contarenus testamento suo scholaribus Bellunensibus consuluit. Cum enim bonorum suorum heredes ejus Civitatis pauperes in perpetuum scripsisset, curamque rei hujus patrio Jurisconsultorum Collegio demandasset, Clericorum præcipue rationem haberi voluit; quorum binos singulis quinquenniis ad hanc Universitatem mitti jussit sacris initiatos, ut litteris atque artibus erudirentur, assignatis in capita argenteis quinis vicenis alimentorum gratia. In patriam cum redierint, publicam disputationem habere tenentur, eamque propugnare disciplinam, cui se in Patavinis scholis potissimum dediderunt.

Contarenum æmulatus Ludovicus Lollinus ejusdem civitatis Episcopus anno MDCXXIV. testamentum fecit, curatoresque ejus atque exactores eosdem Bellunenses cives constituit, ut ex perpetuis hereditatis suæ fructibus partim puellis urbanis egentibus dotem præberent, partim rectæ indolis clericos in Patavino Gymnasio alerent, ubi per quinquennium studerent. Hoc tempore novem admodum Patavii sunt, qui beneficio utuntur; singulisque annui præbentur argentei quinquageni.

MDLXXIII. *Benedictus Flanginus* Cyprius, Prorector. Ex Actis Cod. II. p. III. Probatus in Philosophia & Medicina, Doctoris nomen & insignia publice obtinuit pridie id. sept. anni sequentis. Ibid. p. 136.

MDLXXIV. postridie kal. sextil. *Constantinus Palæocapa* Cretensis Eques, Rector. Ex Actis Cod. II. p. 132. Questus est per litteras IV. id. nov. ad Triumviros datas Universitatis nomine, quod encyclicæ disputationes frigere cœpissent. Quotidie autem haberi a Professoribus debebant, pœna indicta libellarum quinquaginta. Primus ex Medicis ab hoc

onere

onere liberatus eſt *Hieronymus Capivacceus* decreto Senatus, ut eſt in Actis Cod. II. p. 168. Obiit paullo poſt xiv. kal. jan. laudatuſque in funere eſt a *Riccobono* Humanitatis Profeſſore. Locum ejus occupavit *Sanctiflorius Mundella* Brixianus Prorector.. Ibid. p. 148.

MDLXXV. poſtridie kal. ſextil. *Jacobus Palæocapa* Cretenſis Eques, Rector. Ex Actis Cod. II. p. 157. Juſſu Præfecti ix. kal. april. anni ſequentis in vincula ductus eſt, ſed cito liberatus. Per hæc ipſa tempora peſtilentiæ ſuſpicio Venetiis ingruit: cumque tota civitas in metu eſſet, Medicis pleriſque male ominantibus, Profeſſores duo longe celeberrimi, *Mercurialis*, & *Capivacceus* Patavio acciti ſunt. Uno conſenſu affirmarunt, nihil in eo morbo peſtilentis eſſe, perſcriptis etiam remediis, quibus extingueretur. Credidere Patres, quibus ſanitatis cura commiſſa erat; nec plura pararunt præſidia, quam quæ popularibus morbis opponi ſolent; tum quia, quod optamus, facile credimus, tum etiam quia in re Medica major & rebus & hominibus adhibetur fides, ſi peregre adveniant. Certe *Mercurialis*, & *Capivacceus*, ut erant viri optimi, dixere ex animi ſententia, & fecere quæ ſciebant; cum tamen ne ipſi quidem ſcirent niſi conjiciendo, pro artis natura & conditione, quid boni malive dicerent, aut facerent. Sed lues revera peſtilens cum remedia viciſſet, totamque urbem pervagata mortales fere ſeptingenos quotidie abſumeret, noſtri fuga ſibi conſulentes, non ſine plebis conviciis miniſque Patavium redierunt.

MDLXXVI. non. jul. *Nicolaus de Caballis* Veronenſis, Prorector. Ex Actis Cod. II. p. 205. Sed, graſſante Patavii peſte, & ipſe evaſit, & ſiluere ſcholæ uſque ad diem poſt kalendas januarias anni ſequentis. Poſtridie non. maj. exauctorato Prorectore, quod furtim diſceſſiſſet, Rector creatus eſt Comes & Eques *Antonius Bucchbarenus* Cremonenſis, ut eſt ibid. pag. 116. Poſtea *Caballus* rediit, multaque movit, non Patavii modo, ſed etiam Venetiis, ut reſtitueretur;

fed fruftra. Anno fequenti Anatomicæ exercitationes nullæ fuere: ex aliis autem difciplinis finguli fingulas, miffis concertationibus, tradiderunt.

MDLXXVII. non. fextil. *Stephanus Cereolus* Colonienfis, Rector, qui kalendis fept. caputium fumpfit, non in æde Cathedrali, ut moris erat, fed in templo D. Antonii. Ex Actis Cod. III. p. 4. Hieronymo Priolo Prætura abeunti Univerfitas publica oratione gratias egit, quod jura fua & immunitates fervaffet. Idibus maiis anni fequentis Paullus Sarpius Venetus ex ordine Servorum, qui poftea ad arcana Venetæ reip. confilia adhibitus eft, & multa fcripfit, S. Theologiæ Lauream obtinuit, ejufque difciplinæ Collegio aggregatus eft. Thomas autem Philologus de Rangonis Ravennas, Eques, cum Venetiis diu medicinam feciffet, & in hac Univerfitate primum Sophifticæ, poftea Aftrologiæ Profeffor fuiffet, hoc anno v. kal. feptembr. teftamentum fecit, juffitque ut domus, quam ipfe fibi ad pontem Molendinorum extruxerat, ad Collegii ufum converteretur. Affignavit etiam bona quædam, curatorefque conftituit Plebanos Venetos S. Juliani, S. Geminiani, & S. Joannis in Bracora, qui ftudiofos adolefcentes in Collegium admitterent, undecunque tandem effent. Teftamenti verba grande aliquid fonant, & magnifice pollicentur. Credibile eft etiam, rei principia refpondiffe. Id confilii Philologus jamdiu ceperat. Anno enim MDLII. ad patrium Senatum litteras mifit, quibus declarabat, fe adolefcentibus conterraneis viginti tribus magnificas Patavii ædes paraffe, eofque ftatim invitabat; fed oblato tecto dumtaxat. Ginannus Abbas de patria litterarum gloria præclare meritus fcribit, condito Collegio, beneficium amplificatum fuiffe ad alumnos XXXII. & quidem generis omnis, conceffa tamen Ravennatibus prærogativa. Nunc adolefcentes hac in domo non plures VIII. degunt, quibus fingulis die fefto S. Thomæ Apoftoli nummus argenteus dari folet, quod fcutum vocant, præter fal & ligna in annum totum litterarium;

nec

nec retinentur ultra quadriennium. Anno MDCXXVII. orta de bonorum administratione controversia inter fisci ministros, & Collegii curatores, Senatus decrevit XVII. kal. octobr. ad rei litterariæ Triumviros negotii cognitionem pertinere. Famulo, qui Collegii custos est, & coquinariam facit, præbentur, præter sal & ligna, salarii nomine argentei Veneti XXXVI.

MDLXXVIII. postridie kal. sextil. Idem *Cereolus* Doctor & Eques, Rector confirmatus. Ibid. Nicolao Pontio Venetiarum Duci recens electo publica oratione gratulatus est *Antonius Riccobonus*, non suæ modo, sed etiam alterius Universitatis nomine, adsidentibus Professoribus cunctis, qui cultum & observantiam erga Gymnasii olim moderatorem optime meritum præsentes ipsi testari voluerunt.

MDLXXIX. postridie kal. sextil. *Dominicus Slatarichius* Ragusinus, Rector. Ex Actis Cod. III. p. 22. & ex Inscript. Gymnast. apud Tomasinum p. 492. ubi dicitur, honorem hunc pæne obsoletum splendore ac vigilantia restituisse. Eo agente Germanorum præcipue nomine, decretum est, ut Professores duo ex Practicorum classe Xenodochium statis temporibus inviserent, ibique de morbis per occasionem oblatis ad juventutis utilitatem differerent.

Cum *Piccolomineus* primi loci Philosophus, misso octavo Physicorum libro, ad primum regredi hoc anno constituisset, tota studentium commota Universitas est, coegitque illum Triumviralibus litteris pensum absolvere. Circulis quoque & concertationibus consultum est. Cum enim inveterascere cœpissent, Rector Gymnasii totius nomine ad Triumviros scripsit III. non. dec. obtestatus etiam atque etiam, ne sinerent, tam utiles exercitationes paucorum ignavia intercidere. Tanta erat juventuti per ea tempora proficiendi cura.

MDLXXX. non. sextil. *Flaminius Franceschinus* Marchianus ex Foro Sempronii, Prorector. Ex litter. Ducal.

MDLXXXI. nonis sextil. Idem *Franceschinus* Prorector confirma-

firmatus litteris Ducalibus. Sub anni ſequentis initium ingens exarſit Anatomicæ exercitationis ſtudium; nec in Gymnaſio tantum ſecta cadavera ſunt, ſed privatim quoque in Collegio ad ædem D. Catharinæ. Tum aliæ quoque Medicinæ partes privatim expoſitæ ſunt, non invito Magiſtratu, ab *Hercule Saxonia*, cui locum in Gymnaſio obtinere Univerſitas tota fruſtra contenderat.

MDLXXXII. pridie non. ſextil. *Petrus Antonius Roncatus* Veronenſis, Rector, cui ad equeſtres honores ipſi mature collatos cum dignitate ſuſtinendos tributi ſunt ex ærario Gymnaſtico argentei XXX. Cum Latinitatis ſtudium temporibus tam eruditis maxime vigeret, atque in omnium manibus Cicero eſſet, *Carolus Sigonius* opuſculum emiſit de luctu minuendo, quam Ciceronis *Conſolationem* eſſe ajebat, magna quadam ſæculi felicitate recens detectam. Indoctis fucum fecit, doctis non item; quorum princeps *Riccobonus*, Humanitatis apud nos Profeſſor, perſpicue demonſtravit, nihil in libro illo eſſe Tullianum præter fragmenta pauca ex Cicerone ipſo, & Lactantio ſtudioſe collecta, ſed parum feliciter compacta. Ejus judicium ſecuti ſunt litterati omnes, repugnante *Sigonio*, quem fama eſt indignatione & mœrore contabuiſſe. Revera ſyntagma eſt non contemnendum, ad Ciceronis imitationem diligenter compoſitum; non tamen ejuſmodi, ut cum tanti viri operibus conjungi poſſit: in quo peccarunt librarii permulti. Muretus nimis ſane acriter *Conſolationem Aſininam* vocavit.

MDLXXXIII. idib. ſextil. Philoſophiæ Doctor *Joannes Nicolaus Andronicus* Tragurinus, Rector. Ex litter. Ducal. Antiquo inſtituto renovato, docere publice voluit, explicuitque Ariſtotelis Meteora. Poſt vacationes autumnales aperto Gymnaſio, Laurentius Maſſa, qui Triumviris erat a ſecretis, ad res inviſendas Patavium miſſus, de Anatomico theatro conſtruendo egit; idemque encyclicas diſputationes, quæ frigere cœperant, diſputandi tempore atque ordine conſtituto, rurſus exci-

excitavit, ratasque fecit. Statuta quoque ad sæculi mores refecta sunt, operam suam in primis conferente *Riccobono*, cui propterea scholarium Universitas annuam pecuniam honorifico decreto condonavit, quam nivis & caponum nomine ab illo, quemadmodum a Professoribus reliquis, exigere solebat.

MDLXXXIV. IV. non. sextil. *Hercules de Guerinonis* Rhætus Morbiniensis, Rector. Ex Actis p. 6. Mense proximo *Andronicus* anni superioris Rector de nocturno homicidio postulatus in exilium abiit. Cum *Guerinonius*, antequam caputium sumeret, in patriam rediisset, III. non. oct. Prorectoris titulo suffectus est *Alphonsus Tanghetinus* Brixianus. Hujus autem vices, cum abjisset, egit *Bernardinus Paternus*. Hoc anno utriusque Universitatis Rectores interfuere Processioni D. Antonii, locusque illis datus est inter urbis Præsides, & Quæstores, ut refert Ivanus scriba in Actis pag. ult.

MDLXXXV. VII. id. sextil. *Jacobus Savojanus* Nauplius ex Peloponneso, Prorector. Ex litter. Ducal. Anatomica schola ad primariæ fastigium evecta cum esset, reliquæ vetitæ sunt Anatomicæ exercitationes, quæ in privatis ædibus per urbem habebantur: qua de re sæpe questa est scholarium Universitas per nuncios, & litteras anno prælertim MDXC. VI. id. febr. ad Magistratum datas.

MDLXXXVI. IV. non. sextil. Idem *Savojanus* Rector creatus. Ex Actis.

MDLXXXVII. pridie non. sept. *Franciscus Magnus* Veronensis, Prorector. Ex litter. Ducal. Marcus Antonius Memmius Prætor exemplum edidit pro temporum illorum natura necessarium, ex quo intelligitur, talia quædam interdum contingere, quibus extra ordinem provideri necesse est. Cum Alsiboldus Mediolanensis, clericus & scholaris, duorum satellitum opera in Pamphili Salicis domum irruisset, ut vim afferret Cæciliæ ejus filiæ, illa ipsa nocte omnes comprehensi sunt, habitaque statim in eos quæstione, totaque caussa cognita, summo mane duo illi sceleris administri, Hieronymus

Bon-

Bonfantius Mediolanensis, & Franciscus Lealius Ariminensis, laqueo suspensi sunt, additis eorum pedibus armis Decemvirum lege vetitis: Alsiboldus autem, intercedente Episcopo, Ecclesiæ foro traditus est, & Romam missus, ubi ex vinculis caussam dixit, & scutis quingentis mulctatus est.

MDLXXXVIII. pridie non. sextil. *Joannes Paullus Ubaldinus* Muglensis, Rector. Ex litt. Ducal. Statutorum librum quadriennio ante refectum, postea vero Senatus auctoritate confirmatum, typis edendum curavit. Scholares Germani, qui plurimi Patavium convenerant ad Anatomicas exercitationes, repente theatrum deseruerunt, quod *Fabricius* Professor in explicandis linguæ musculis eorum pronunciandi rationem ludibrio habuisset. Multa etiam, habito nationis conventu, comminati sunt: sed, interposita Rectoris auctoritate, bonis verbis deliniti quieverunt.

MDLXXXIX. postridie kal. sextil. *Vincentius Lomatius* Mantuanus, Rector. Ex Act. p. 8. Quo die insignia sumpsit, publica oratione laudatus est ab Hectore de Juliis Veronensi. Sub anni exitum cum *Guilandinus* obiisset Horti præses & magister, statim Universitatis nomine ad Magistratum scripsit, ne locum diu vacare pateretur: hoc amplius, ne homini concederet, qui nollet nisi mense majo in horto ipso docere, sed is quæreretur, qui per annum totum litterarium in scholis Simplicia explicaret. Utrumque hoc nisi fieret, viginti dierum operam non ita utilem scholaribus esse, ut tantis impensis responderet. Obiit hoc anno Patavinus Civis Franciscus Gasparinus; & cum bona sua puellis pauperibus alendis & custodiendis testamento reliquisset, in ea procuratione esse voluit quatuor primarios Gymnasii Professores, additis ex alio ordine aliis, ad eas corruptelas vitandas, quas pro humanæ infirmitate naturæ vitari non posse, innumeris exemplis cognitum est.

MDXC. Quamvis *Lomatius* Medicinæ Lauream & doctoris insignia XI. kal. maj. publice sumpsisset, attamen Rectoris titu-

titulum & auctoritatem retinuit usque ad diem postridie kal. sextil. quo die Prorector creatus est *Augustinus de Dominicis* Fulginas. Ex Actis p. 28. Hic autem sibi substituit usque ad februarium anni proximi *Victorium Merulium* Saxoferratensem. Hoc anno cum publica Anatomiæ schola haberi mature non potuisset, Prætor concessit *Paullo Galeoto* Vicetino artium Doctori & Chirurgo, petente Universitate, ut in Anatomicis doctrinis harum rerum studiosos privatim exerceret. Ibid. p. 38. Illud quoque scholarium Universitas summopere contendit, sed frustra, ut Chirurgica schola duplicaretur; ne, quod identidem eveniebat, impedito, vel absente *Fabricio*, rei tam necessariæ magister umquam Gymnasio deesset. Ibid. p. 43. Syndicum suum *Joannem Hortelium* Germanum, præstantis ingenii hominem, Triumviris commendavit, ut ad Simplicium scholam, quæ tunc maxime desiderabatur, eligerent. Ibid. p. 45. Id in caussa fuit, ut anno post ad Horti regimen socius & adjutor *Cortusio* daretur; quæ res illi parum prospere cessit.

MDXCI. VII. id. sextil. Idem *Augustinus de Dominicis* Rector. Ex litteris Ducal. Urbini Dux Patavinum Medicorum Collegium consuluit de febribus, quæ pestilentem in modum late grassantes Pisaurensem regionem vexabant. Res Collegii decreto mandata est *Alexandro Massariæ*, *Albertino Bottono*, *Hieronymo Fabricio*, *Æmilio Campolongo*, & *Herculi Saxoniæ*. Cumque de duobus remediis convenissent, Theriaca, & Vescicantibus, postea utrum utri præferendum esset, acerrimis scriptis contenderunt *Massaria*, & *Saxonia*. Interim labes ipsa per se, absumpto naturæ viribus veneno, ut fit in talibus morbis, effluxit. Inter *Petrellam* quoque, & *Jacobum Zabarellam* de rebus Logicis, quæ tum maxime jactabantur, lites exortæ eo devenere, ut Gymnasium totum in partes abierit. Sed omnia composita sunt, cum extrinsecus incessisset cura gravior. Rector enim pridie kal. dec. convocata Universitate una cum Professoribus in Collegii E-

pisco-

piscopalis aula, orationem habuit contra Jesuiticas scholas, quæ publico Gymnasio oppositæ videbantur; eoque referente, electi sunt Oratores tres *Cæsar Cremoninus*, *Hercules Saxonia*, & *Franciscus Piccolomineus*, qui cum Rectore alterius Universitatis agerent, conjunctisque animis apud Principem de Jesuitico Antigymnasio (ita enim appellabant) quererentur.

MDXCII. pridie id. sextil. *Jacobus Donatus* Veronensis, Prorector. Mense octobri Rectoris nomen & insignia sumpsit, cum interim Prorector esset *Antonius Brularius* Cremonensis, ut est in Inscriptionibus Gymnasticis. Anno sequenti in carcerem detrusus est ob scholaris Tridentini necem, certisque conditionibus Anatomicæ exercitationis tempore eductus. Postea solum vertit, eique substitutus est *Marius Bevilacqua* Salodiensis usque ad kal. sextiles.

MDXCIII. nonis sextil. *Georgius Pipanus* Cracoviensis, Rector. Ex litter. Ducal. & ex Inscript. Gymnast. apud Tomasinum p. 483. n. 161. Hoc anno Collegium in vico D. Prosdocimi conditum est ab Hieronymo Superchio Protonotario Apostolico, & Præposito Pisaurensi, cujus nunc quidem nihil superest præter nomen.

MDXCIV. *Antonius Savoldus* Syndicus, qui primus locum Rectoris tenuit. Ex Inscript. Gymnast. apud Tomasinum p. 479. n. 124. Res admodum parva in magnum certamen excrevit apud principes artium Professores *Jacobum Zabarellam*, & *Franciscum Piccolomineum*, qui acriter contenderunt voce scriptisque, utrum via & ratio doctrinæ rectius procedat a rebus natura ipsa notis, an ab iis, quæ nobis notæ sunt. Hinc apparet, quinam philosophandi modus per ea tempora scholas teneret. Medica studia valde florebant. Itaque hoc anno theatrum Anatomicum ad communem usum conditum est, cum antea structilis schola ad Anatomem tradendam quotannis pararetur, nullusque admitteretur, nisi & his tamquam sacris initiatus esset, & æra conferret. Operis invento-

ventorem, vel in hac theatrorum multitudine atque elegantia conspiciendi, ajunt fuisse Fr. Paullum Sarpium, magni ingenii famæque virum ex ordine Servorum S. Mariæ.

MDXCV. *Marcus Bevilacqua* Salodiensis, Syndicus loco Rectoris. Ex Riccobono l. IV. c. 14. Subiit hoc anno vestium magistralium in publicis exercitationibus cura, quæ non exigua antiquæ gravitatis jactura partim omitti, partim decurtari cœperant. Theologorum Collegium decrevit, *ut in omnibus actibus Magistri tam sæculares, quam regulares accederent cum biretto nigro cruceo; sæculares insuper cum habitu longo clericali sub pœna amissionis emolumenti; &, si iterum peccarent, suspensionis annuæ a Collegio*. Eodem intendit animum Philosophorum & Medicorum Collegium: unde est caput illud Statutorum XV. lib. 3. *Quilibet Doctor teneatur ferre vestem Doctoralem, etiam Religiosus, longam usque ad pedes, connumerando etiam ferariolos inter vestes longas*. Nunc jam *ferarioli* h. e. brevis penulæ usus apud Ecclesiasticos inveteravit. Licentiam hanc primum quidem pauci ex sæculari Ecclesiæ ordine delicatiores hibernis mensibus sibi sumpserunt; postea fere omnes, nec hieme solum ad vitæ commodum, sed etiam æstate ad elegantiam; tum, quia libenter vivitur ad nova exempla, cœnobitæ quoque nonnulli accessere; nunc vero demum paucissimi sunt, qui veterem morem sibi retinendum putent. Non tamen idcirco aut religio, aut morum disciplina quippiam detrimenti cepit.

MDXCVI. *Jo. Jacobus de Grandis* Veronensis, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. III. p. 67. Acerrime pugnarunt inter se *Horatius Augenius*, & *Alexander Massaria*, primarii, ille theoricæ, hic practicæ Medicinæ Professores, de sanguinis mittendi ratione; nec conviciis abstinuerunt præter modum gravibus, quamvis inter illos convenisset, interposita etiam amicorum fide, ut, opinione cum diffiderent, benevolentia tamen conjuncti essent, omnibusque apparerent. Usque adeo difficile est adversarium sine ira oppugnare: ira autem nescit modum.

MDXCVII. postridie kal. sextil. *Matthias Jacobeus* Ripensis Danus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. III. p. 72. Anno sequenti VII. id. Maj. Doctoris Laurea titulisque scholasticis ornatus est in domo *Sigismundi Capilistii* Comitis Palatini, in quam Professores convenere, quod noluisset ex Collegii formula Romanam fidem profiteri, & in Episcopi verba jurare. Per hæc ferme tempora quæsitum est, num etiam Theologi auctoritate Comitum Palatinorum creari possent. Nec defuere ex Dominicana familia, qui per compendia hæc ad gradus scholasticos, qualicumque auspice, ascendere mallent: sed cum in Theologiæ magisterio de sacrarum litterarum interpretatione agatur, plerique omnes censuerunt, auctoritatem hanc extra Collegia Pontificia quærendam non esse.

MDXCVIII. postridie kal. sextil. *David Placotomus* Dantiscanus, tametsi jam *Licentiatus* in Medicina esset, & de alieno viveret, attamen pro temporum conditione Prorector creatus est. Ex Actis Cod. III. p. 90.

MDXCIX. postridie kal. sextil. *Joseph Carrara* Brixianus, Syndicus potestate Rectoris (Ex Actis Cod. III. p. 116.) addito duorum suffragiorum jure in qualibet Universitatis deliberatione. Jus tamen hoc ad successores non est propagatum, nisi anno MDCXXXVI.

MDC. IX. kal. sept. *Julius Cæsar Federicus* Brixianus, Syndicus loco Rectoris. Ex Inscriptionibus Gymnast. apud Tomasinum p. 483. n. 154

MDCI. postridie kal. sextil. Idem *Federicus* confirmatus. Ibid. & ex Actis Juristarum Cod. LXXII. p. 32. Ad rem pertinet scire, quod in Theologorum Collegio evenit III. id. Maj. anni sequentis, ne careamus antiquitatis exemplo, siquid forte simile tempora ferant. Cum Christophorus Atendorps Leopoldiensis in examine Theologico ad Lauream obtinendam pro majori tantum parte probatus & admissus fuisset, regressi in Collegium Promotores quasi de injuria questi

questi sunt, adolescentis doctrinam & ingenium summopere commendantes. Tum Magister Franciscus Contarenus ultro se erraffe faffus est, idque sacramento confirmavit. Res igitur iterum permissa suffragiis est. Sed cum aversa crevissent ad reprobationem usque, Promotores Episcopum appellarunt, qui, secundo remisso judicio, admissaque Contareni confessione, petitorem plenissime approbatum declaravit, & coronari jussit.

MDCII. postridie kal. sextil. *Nicolaus Quirinus* Cretensis, Syndicus potestate Rectoris. Ex Actis Cod. III. p. 124.

MDCIII. III. non. sextil. *Franciscus Tornonius* Apulus, Rector. Ex Actis Cod. III. p. 125. & ex Inscription. Gymn. apud Tomasinum p. 483. n. 151.

MDCIV. Idem *Tornonius* toto sextili Rectorem egit. Postea *Petrus Bonvicinus* Brixianus v. id. sept. Prorector declaratus est. Ex Act. Cod. III. p. 138.

MDCV. III. non. sextil. *Joannes Aver* Tirolensis, Rector. Ex Actis Cod. III. p. 163. Ab januarii principio usque ad xv. kal. jul. anni sequentis ejus vices obiit *Hercules Saxonia* primarius Medicinæ Professor. Ibid. p. 180.

MDCVI. VI. id. sextil. *Eustachius Patelarus* Cretensis, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. III. p. 200.

MDCVII. postridie kal. sextil. *Martius Zaghius* ex Castrofranco, Syndicus loco Rectoris, cui ob multa minus recte tentata proscripto suffectus est Comes *Martius Capra* Vicetinus postridie non. decembr.

MDCVIII. *Matthæus Bretus* Cretensis, Syndicus loco Rectoris. Ex Inscript. Gymnast. apud Tomasinum p. 490. n. 216.

MDCIX. *Franciscus Crassus* Ragusinus, Syndicus loco Rectoris. Ibid. p. 476. n. 87.

MDCX. Idem *Crassus* confirmatus. Apud Tomasinum p. 440. & 493. n. 252.

MDCXI. *Livius Sordonus* Auximanus, Syndicus loco Rectoris. Apud Tomasinum p. 179. n. 120.

MDCXII. *Antonius Maria Rubeus* Ravennas, Syndicus loco Rectoris. Ex Inscript Gymn. ibid. p. 440. & 477. n. 98.

MDCXIII. *Matthias Littau* Vilnensis Lithuanus, Syndicus loco Rectoris. Ex Inscript. Gymn. apud Tomas. p. 490. n. 223. Sed idem Tomasinus in Gymnasii Historia pag. 440. hujus anni Syndicum facit *Andream Curtabatum* Rhætum; eumdemque præficit Juristis, quod est contra mores & leges.

MDCXIV. *Ludovicus Callinus* Brixianus, Syndicus loco Rectoris. Ex Inscript. ibid. p. 476. n. 91. Promotorum numerus, qui ad Lauream obtinendam in utraque Universitate liber erat, decreto Senatus intra modum coactus est. Vide Rectores Juristarum ad hunc annum. Ingulfus de Comitibus Patavinus, ex Tertianis Artium Professoribus, Magistratus in hac Urbe procurator creatus est decreto Senatus XIII. kal. nov. ut rerum omnium curam susciperet, quæ ad Gymnasii regimen pertinerent, exquirendo, examinando, monendo. Anno insequenti mortuus est; monumenta autem Gymnasii omnia undique ab eo conquisita heredes ad magistratum misere. Schedæ aliquot ex ejus adversariis ad manus meas cum forte pervenissent, excribendas curavi, & in Artium Tabularium reponendas.

MDCXV. *Bernardus de Arnaldis* Vicetinus, Syndicus loco Rectoris. Ex Inscript. ibid. p. 476. n. 92. *Arnaldo* regente Universitatem, Veneti Collegii institutio agitari cœpit.

MDCXVI. postridie kal. sextil. *Samuel Geusufius a Longelois*, Austriacus Prorector. Ex Inscript. Gymnast. apud Tomasinum l. 4. p. 441. Venetiis quoque Senatus Anatomicas exercitationes haberi jussit; modumque earum Collegii Medici ejus Civitatis arbitrio subjecit. Anno autem MDCXXVIII. exeunte, Professorem certum eligi voluit, ac sectorem, attributis salarii nomine illi quidem argenteis L. huic vero XXV.

Jamdiu scholares Germanos Collegii Pontificii tædere cœperat, seque libentius Comitibus Palatinis dabant, a quibus Academicos titulos, nomenque Doctoris acciperent. Hoc anno

no Senatu, dempta Comitibus iſtis Palatinis, ſive Cæſareis, ſive Lateranenſibus poteſtate, Collegium Gymnaſticum condidit, in quo Artium ac Medicinæ Doctores Veneta crearentur auctoritate. Conſtat ex quatuor primariis, & quatuor ſecundariis Philoſophiæ, & Medicinæ Profeſſoribus. Unus ex his, qui primarius ſit, vel primario æquatus, Præſes a Triumviris eligitur ad triennium, ejuſque nomine Acta ſignantur. Cetera more aguntur, ut in Collegio ſacro. Patet autem Collegium hoc Hebræis, exteriſque omnibus, ex Veneta ditione Tranſmarinis, & Illyricis, interdum vero etiam aliis a Magiſtratu petentibus, juſtamque habentibus petendi cauſſam.

MDCXVII. kalendis ſextil. *Franciſcus Caccia* Mantuanus, Syndicus loco Rectoris. Ex Inſcript. ibid. p. 492. n. 250. *Geuſuſius* Prorector anni præteriti cum objiſſet equo dejectus, XII. kal. ſept. magnifico funere elatus eſt in Baſilica D. Antonii, cui interfuerunt non ſolum omnes Gymnaſii ordines, ſed ipſi quoque Urbis Rectores. Hunc ferunt ultimum fuiſſe, qui muneris ſui inſignia in æde Cathedrali publice ſumpſerit, eaque ferre per urbem incedens conſueverit. Biennio poſt ſtatua quoque cum titulo Benemerenti in Gymnaſio poſita eſt.

MDCXVIII. poſtridie kal. ſextil. *Joannes Dominicus Mareſius* Vicetinus, Syndicus loco Rectoris. Ex Act. Cod. IV. p. 2.

MDCXIX. pridie id. ſept. *Comes Carolus Canoſſa* Regienſis, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. IV. p. 20.

MDCXX. IV. non. ſextil. *Nicolaus Piperellus* Clavennenſis, Syndicus loco Rectoris. Ex Act. Cod. IV. p. 49.

MDCXXI. III. id. ſextil. *Sebaſtianus Zolt* Hoffemburgenſis, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. IV. p. 72. Cum abjiſſet titulis Academicis ornatus, VI. id. oct. Proſyndici nomen & munia ſuſcepit *Cæſar Cremoninus* Philoſophiæ Profeſſor uſque ad XIII. kal. jan. ut eſt ibid. p. 75. Inde uſque ad auguſtum anni ſequentis *Thomas Plovenius* Vicetinus, Syndicus. Ibid. p. 80.

MDCXXII.

MDCXXII. nonis. sextil. *Sasbout Vander aà* Batavus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. IV. p. 103.

MDCXXIII. postridie non. sept. *Gaudentius Pelinus* Novariensis, Syndicus loco Rectoris. Ibid. p. 122. Anno sequenti IV. non. febr. creatus est Prosyndicus ad paucos dies *Alexander Ciconia* Cremonensis. Eodem mense scholares Anatomes studiosi, coitione facta, Hebræi hominis corpus, quod Venetias efferebatur, cymba extraxerunt, & in Gymnasii theatrum ad sectionis usum attulerunt. De vi postulati cum essent, & Decemvirum judicio damnati, dux eorum Consiliarius Anatomicus in carcerem detrusus est, nec nisi post menses aliquot, tota petente Universitate, liberatus.

MDCXXIV. pridie non. sextil. *Aloysius Zon* Brixianus, Syndicus loco Rectoris creatus est, cum mense superiore Prosyndicus fuisset. Postea abeunti suffecti sunt primum *Cæsar Cremoninus*, deinde *Julius Sala* Professores, qui pro Syndico agerent, donec VIII. id. jun. Syndicus creatus est *Augustinus Belligottus* Brixianus. Ex Actis Cod. IV. p. 184. & 187.

Ludovicus Lollinus Bellunensis Episcopus certam pecuniam testamento legavit, ut ex ea Clerici egentes ejus civitatis in Patavino Gymnasio alerentur per annos quinos. Bellunense Jurisconsultorum Collegium, cui negotium totum commisit, argenteos hoc nomine singulis quinquagenos constituit; & pro fructuum modo de Clericorum numero decernere quotannis solet.

MDCXXV. III. id. sextil. Idem *Belligottus* Syndicus loco Rectoris confirmatus. Ex Actis Cod. IV. p. 200. Gravissimæ exarsere contentiones inter *Pompejum Caimum* Medicinæ Professorem, & *Cæsarem Cremoninum* Philosophum, *de calido innato ejusque semine* dissentientes, scriptis utrimque editis pro ejus ætatis philosophandi ratione. Utriusque morte, quæ in eumdem annum incidit, diremptæ sunt. Cum Medici quidam repente extitissent, titulis aliunde adscitis, Senatus IX. kal. nov. vetus decretum renovavit adversus illos, qui aliena

na

na Gymnasia frequentarent, pœnasque gravissimas edixit, non scholaribus modo, sed etiam eorum parentibus & curatoribus: præmia quoque accusatoribus pronunciavit, data secreti fide.

MDCXXVI. III. kal. sept. *Cæsar Fenarolus* Bryxianus Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. IV. p. 238. Cum statim abjisset, ejus vices obiit usque ad postridie id. jan. idem *Belligottus*: postea alii *Fenarolo* suffecti pro Syndico fuere. Ibid. p. 246. & 252.

MDCXXVII. VI. id. sextil. *Petrus Bossius* Bergomas, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. IV. p. 259. Quod de Veneto Collegio quædam miscuisset, litteris Triumviralibus munus deponere jussus est XVII. kal. febr. anni sequentis. Pro Syndico egit *Belasius de Belasiis* Brixianus, Consiliarius nationis Etruscæ, donec suffectus est, exeunte martio, *Jo. Paullus Ciconia* Cremensis. Sed hic quoque propter turbas de ejusdem Collegii insignibus excitatas decedere coactus est, mense integro nondum exacto. Itaque rursus personam gessit Universitatis idem *Belasius*. Ibid. p. 274. & 276.

MDCXXVIII. postridie kal. sextil. *Camillus Fusarius* Brixianus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. IV. p. 321.

MDCXXIX. nonis sextil. *Hieronymus Malvezzi* Brixianus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. IV. p. 353. Decedenti suffectus est *Tiburtius Malsperonus* V. id. dec. ut ibid. p. 364. qui, orta seditione, in Carmelitarum templo balista ignea interfectus est.

MDCXXX. XIV. kal. oct. *Hieronymus Pecturatius* Veronensis, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. IV. p. 375. Sed lege postulatus ob anni superioris seditionem, cum ex vinculis caussam dicere cogeretur, statim discessit; scholasque aperuit *Bandinus Lisca* Prosyndicus.

MDCXXXI. Idem *Pecturatius*, grassante pestilentia, locum retinuit, ut est ibid. p. 399. Sed clausum Gymnasium fuit usque ad februarium anni sequentis.

MDCXXXII.

MDCXXXII. postridie kal. sextil. *Ferdinandus Gomez* Romanus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. V. p. 4. Cum repente abjisset, suffectus est *Victor Argenta* Feltriensis, & Syndicus declaratus. Ibid. p. 23. & 25.

MDCXXXIII. pridie non. sextil. *Franciscus Zambonus* Vicetinus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. V. p. 36. Huic III. non. mart. anni sequentis suffectus est Prosyndicus *Jo. Baptista Favetta* Mediolanensis, ut ibid. p. 43.

Hoc anno Græcum Collegium institutum est, certisque legibus firmatum. Monachus enim Gerasimus Palæocapa, Cydoniæ in Creta nobili loco natus, exeunte sæculo superiore Cisamensem Episcopatum Græcis ritibus instituit, & supremis tabulis heredem ex asse scripsit. Cavit autem, si forte stare non posset (quod jure metuebat propter controversias inter Græcos & Latinos) ut vendito patrimonio, pecunia Venetias transferretur, & ex ejus fenore pueri XXIV. Græci generis partim Romæ, partim Patavii collocati bonis artibus instruerentur. Obiit anno circiter MDXC. venditisque bonis, quæ Cisamensi Ecclesiæ reliquerat, non plus conflatum pecuniæ est, quam quantum annuis adolescentum XII. satis esset. Atque ii quidem Triumvirum judicio delecti Romam missi sunt, & in Græcorum Collegio collocati, aliis atque aliis pro temporum & studiorum ratione suffectis; donec Senatus gravibus de caussis censuit, Patavium esse transferendos. Magistratus anno MDCXXXIII. ex Senatusconsulto rem totam composuit, instituto Collegio, in quo Cretenses ex ipsa metropoli quatuor alerentur, Cydonii duo, totidemque Rithymnenses, præterea Corcyræus, Cythereus, Zacynthius, & Cephalenus. Decreti in capita argentei LX. non tamen ultra sexennium; custodi autem, qui idem coquus & famulus esset, CXL. addita conditione, ut sal, acetum, & ligna præberet; nec reciperetur, quin fidei pignus idoneum daret. Quæsita domus, quæ huic numero atque ætati apta & accommodata esset: cumque emi non potuisset, conducta est pri-

primum ad Pontem ligneum, postea ad D. Joannis portam, nunc demum in Vinealium vico. Proximam Collegii curam placuit esse apud Urbis Præfectum, cui in auxilium datus est ex Professoribus unus, qui Collegii Præses diceretur. Huic rerum omnium rationem custos reddere debet; ut, si quid forte accidit, quod remedio indigeat, prudentia ipse sua, vel Præfectitia, aut etiam, si opus sit, Triumvirali auctoritate occurrat. Vetita sunt arma omnia, feminarum commercia, alea, & siquid est aliud, quod avertere a studiis juvenes possit, aut eorum disciplinam corrumpere. Et quia statim majoribus disciplinis adjicere animum debent, nemo recipitur, quin rite recteque probet, se Latinas litteras tenere.

MDCXXXIV. postridie kal. sextil. *Horatius Naldius* Faventinus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. V. p. *61*.

MDCXXXV. nonis sextil. *Jo. Petrus de Antoninis* Rhætus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. V. p. *94*. Abeunti suffectus est v. kal. maj. *Antonius Sedabonus* Prosyndicus, ut ibid. p. 108. Anno sequenti, antequam *Sedabonus* Magistratu abiret, decrevit Senatus, nullum Cœnobitam Magisterii titulis & commodis intra Venetam ditionem frui posse, quin prius in Patavino Theologorum Collegio rite recteque probatus esset, & Doctor ex formula declaratus. Et quia nonnulli immature accedentes suarum institutionum leges eludebant, illud quoque subinde addidit, pluribusque decretis firmavit an. MDCXLIX. MDCLVII. MDCLXII. ne quis eorum a Collegii Decano admitteretur, quin per syngraphas fide dignas probaret, se suorum studiorum cursum sine fraude absolvisse, suique Ordinis constitutionibus in re omni satisfecisse. Anno MDCCX. magis magisque explicata res est, vetitumque Cœnobitis omnibus, ne sine bona eorum venia, in quorum potestate essent, Lauream peterent Patavinam. Sexennio post eorum quidam de nimio sumptu apud Magistratum conquesti obtinuere, ut cum vel Patavii, vel Venetiis a duobus

Theologis, qui eo rescripto designantur, examinati & probati essent, a Collegii experimento liberarentur. Latuit Patavinos Collegii Patres concessio hæc annis quatuor; quia omnia domesticis in ædibus sine teste fiebant. Sed tandem cum exisset, anno MDCCXX. nuncios ad Magistratum misere, qui fraudem detegerent ostendentes, neminem unum, qui gratis accipere Lauream vellet, modo de sua paupertate doceret, a Collegio repelli. Quapropter Triumviri eo ipso anno IV. id. oct. edixere Cœnobitis, ut Principis voluntati omnino parerent, servata sibi remittendi sumptum vel minuendi, quoties videretur, facultate. Paucis post annis veteri artificio usi novas invenere vias Patavini experimenti declinandi: quod bene illis adhuc cessit.

MDCXXXVI. pridie non. sextil. *Joannes Pindemontius* Veronensis, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. V. p. 128. Cum se abdicasset, XV. kal. sept. creatus est Syndicus *Nicolaus Benzonus* Danus, ut ibid. p. 130. Huic ceterisque in posterum Syndicis concessum est ab Universitate duorum suffragiorum jus, ut æquata cum Rectore potestate, ante civitatis Decuriones in Gymnasticis celebritatibus locum obtineret. Ibid. p. 133. Et, ne nobilissimæ jurisdictionis, quæ ad Gymnasii Rectores pertinebat, memoria interiret, illorum tribunal vetustate dehiscens in Curiæ Basilica sua pecunia restituit. Jussi sunt Cisalpini omnes Venetæ ditionis, qui probari in Artibus vellent, & Lauream consequi, per annos quinque in hoc Gymnasio studere: qua de re vide Juristarum Rectores.

MDCXXXVII. IV. non. sextil. *Joseph Savoldus* Brixianus, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. V. p. 149. Cum se stitisset numquam, IV. non. sept. *Alexander Todeschinus* Vicetinus, ac postmodum alii pro Syndico fuere. Ibid. p. 152. & seq. Patavini Professores duo, *Benedictus Silvaticus* Medicinæ Practicæ, & *Joannes Galvanus* Juris Criminalis, Germanorum scholarium Protectores, frumentarias & vinarias immu-

munitates obtinuerunt, exteris Professoribus æquiparati ob multa erga nationem merita.

MDCXXXVIII. III. non. sextil. *Hieronymus Harduinus* Pisaurensis, Syndicus loco Rectoris. Ex Actis Cod. V. p. 168. Pridie kal. jun. anni sequentis cum militiæ nomen dedisset, *Thomas Montanus* Pisaurensis Prosyndicus electus est. Ibid. p. 185. Contendentibus Chirurgis, qui Licentiati vocantur, ut ipsis aliquando liceret, non manibus modo tractare morbos, sed etiam aliquando ex Medica facultate nonnihil delibare, & pharmaca præscribere laborantibus, Senatus indulsit IV. non. mart. hujus anni, non quidem promiscue omnibus, sed illis dumtaxat, qui in Veneto Collegio Latino sermone examinati cum essent, satis idonei Professorum suffragiis judicarentur.

MDCXXXIX. IV. id. sextil. *Carolus Malsperonus* Brixianus, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. V. p. 193. Alter hic titulus accessit Syndico ex decreto Senatus, de quo vide Catalogum Juristarum ad superiorem annum. Cum *Malsperonus* mense majo Lauream obtinuisset, primum *Jo. Philippus Persius*, postea *Hermannus Gundler* pro Syndico fuere. Ibid. p. 202. & 206.

MDCXL. VIII. id. sextil. *Joannes Columbanus* Bruxellensis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. V. p. 208. Huic & Syndicis in posterum omnibus concessa est Laurea more nobilium sine impensis decreto Senatus. Ibid. p. 228.

MDCXLI. XI. kal. jan. *Philibertus Vizzanus* Bononiensis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. V. p. 250.

MDCXLII. VI. kal. dec. *Thomas Bartholinus* Danus, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. V. p. 269. Ad vitandam offensionem eorum, qui repulsam tulerant, munus deposuit, ejusque vices obiit *Jo. Philippus Persius* Prosyndicus, multis per totum annum contentionibus oppugnatus. Ibid. p. 270. & seq.

MDCXLIII. XIII. kal. jul. *Jacobus Calichiopulus* Rhi-

tymnensis, Syndicus & Proreċtor. Ex Aċt. Cod. 5. p. 285. Sed xi. kal. jan. locum titulumque reliquit *Theodoro Mistachieli* Dalmatæ. Ex Aċtis Cod. VI. p. 1.

MDCXLIV. vi. kal. sept. *Daniel Blankius* Dantiscanus, Syndicus & Proreċtor. Ex Actis Cod. VI. p. 18.

MDCXLV. xiii. kal. sept. *Octavianus Spolverinus* Veronensis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VI. p. 37. Sed v. kal. oct. abdicavit, eique suffectus est *Hieronymus Aluenti* Brixianus; quo non accedente, nationis Germanicæ Consiliarius unus & alter pro Syndico egere. Ibid. p. 57.

MDCXLVI. iv. non. sextil. *Adamus Henningus Fraustadius* Silesius, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VI. p. 68. & ex Inscript. Gymnast. apud Tomasinum p. 482. n. 147.

MDCXLVII. iv. non. sextil. *Carolus Franciscus Zazius* Bormiensis Vulturenus, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VI. p. 94.

MDCXLVIII. iv. non. sextil. *Joannes de Luneschlos* Salinga-Montanus, Syndicus & Prorector. Sed cum vii. id. nov. se abdicasset, electus est Prosyndicus *Franciscus Massarius* Brixianus. Ex Actis Cod. VI. p. 127.

MDCXLIX. iv. non. sextil. *Aloysius Longhena* Brixianus, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VI. p. 159.

MDCL. x. kal. oct. *Franciscus Ignatius Thirmair* Monacensis Bavarus, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VI. p. 189. Hoc anno v. id. sept. Magistratus edixit, ut deficiente Syndico, nationis Germanicæ Consiliarius pro Syndico esset; quemadmodum Juristis in more jam erat. Hinc postea & locus illi in Medicorum Collegio concessus est, quamdiu pro Syndico ageret, & Laurea more nobilium sine sumptu obtinenda.

Orta inter Professores Artium, qui titulos Academicos & Lauream tribuunt, de loci honore controversia, decrevit Senatus xi. kal. oct. dignitatem præcedendi ex scholarum dignitate petendam esse. Itaque primum Theoricæ Medicinæ ordi-

ordinariæ Professorem reliquis præire voluit, proxime sequi primum scholæ Practicæ, tum primum Philosophum, post hunc autem primum Anatomicum quatuor Promotorum numerum claudere jussit, qui perpetui dicuntur, & in quolibet examine adhibentur. Et quia sex oportet esse candidati cujuslibet Promotores, bini singulis vicibus adjiciuntur, ex locis secundis ordinariis assumpti, deinde ex reliquis pro scholæ cujusque præstantia. Si quis autem ex secundis primo æquiparatus sit, honore contentus Rotuli ordinem servat, nullumque hoc nomine præcedit. In Veneto Collegio, quod constat ex Professoribus octo, quatuor primariis, & quatuor secundariis, Præses locum primum & nobilissimum occupat; ille autem, qui conferre Lauream debet, petitori assidet, & una cum illo exit, cum ad suffragia ferenda ventum est. Si qua schola vacet, quæ ordine sequitur, succedit in locum ejus, tam in Veneto Collegio, quam in Pontificio.

MDCLI. IV. non. sextil. *Jo. Andreas Zanninus* Marosticensis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VI. p. 204.

MDCLII. IV. non. sextil. *Georgius Hilmar* Gratzmanus ex Luneburgo, Syndicus & Prorector. Ibid. p. 243.

MDCLIII. IV. non. sextil. *Nicolaus Petronius Caldana* Piranensis, Syndicus & Prorector. Ex Inscript. Gymnast. apud Tomasinum p. 493. n. 256. In annum hunc incidit Cottunii Collegii institutio. *Joannes* enim *Cottunius* Eques, Berrhœæ in Macedonia natus, primarius in hoc Gymnasio Philosophiæ Professor, Collegium Græcis pueris Patavii alendis recteque educandis instituit, & Senatus decreto confirmari curavit. Domum satis commodam in hunc usum paravit e regione Basilicæ Antonianæ, numerumque alumnorum eum esse voluit, qui bonis suis testamento assignandis responderet, attributis unicuique argenteis in menses singulos senis, non tamen ultra septennium; additaque conditione, ut Græca veste uterentur, & ad mores ritusque Orientalis Catholicæ Ecclesiæ viverent. Hac de caussa Rectorem Græci generis præfecit,

fecit, sacrisque Græcis initiatum. Eundem Magistrum esse jussit, Græcisque ac Latinis litteris pueros istos instruere. Anno MDCLVIII. Cottunius supremum diem obiit; & Collegium ipsum heredem ex asse scripsit, rei cura Patavino Medicorum Collegio mandata. In quo quidem bonus Philosophus non satis vidit: cito enim labi omnia in deterius cœperunt. Itaque Senatus, tota petente per Philadelphiæ Episcopum natione, curatores amovit, totamque Collegii administrationem ad Triumviros Gymnasii moderatores transtulit. Illud quoque anno MDCLXXIV. provide ac sapienter factum, ut venditis prædiis omnibus, pecunia in publicum ærarium inferretur, ex cujus fenore alumni VIII. Rector, & famulus, ablatis curis omnibus, commode in Collegio degunt. Siquid forte accidit, quod majorem operam poscat, quam Rector ipse præstare possit, ad alterius Græci Collegii Præsidem negotium defert. Nunc Collegium regit vir litteris excultus & industrius Antonius Straticò, qui suis institutionibus parat juventutem hanc ad graviora studia in Gymnasio capessenda.

MDCLIV. *Arnoldus Condewinus* Transilvanus Daventriensis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VI. p. 267.

MDCLV. *Franciscus Cirna* Bergomas, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VI. p. 269.

MDCLVI. VII. id. sextil. *Jacobus Ferracina* Tarvisianus, Syndicus & Prorector. Ex Actis ibid. p. 287. & in Appendice Inscript. apud Salomonium p. 106.

MDCLVII. *Henricus Vandervobort* Amstelodamensis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VII. p. 51. Cum se abdicasset, XIII. kal. oct. electus est *Raymundus Lupatus* Rhodiginus, idemque postea Eques declaratus. Ibid. p. 78. & in Appendice Inscript. Urban. apud Salomonium p. 87. & 95.

MDCLVIII. IV. non. sextil. *Paullus de Aurificis* Faventinus, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VII. p. 170. & apud Salomonium in Appendice Inscript. p. 94.

MDCLIX. IV. non. sextil. *Assuerus Jacobus a Bocklandt* Amste-

Amſtelodamenſis, Syndicus & Proreĉtor. Ex Aĉtis Cod. VII. p. 265.

MDCLX. IV. non. ſextil. *Julius Cæſar de Pace* Salodienſis, Syndicus & Proreĉtor. Ex Aĉtis Cod. VIII. p. 3. Ægre tulere Græci, Germanorum Conſiliarium, deficiente Syndico, munus ejus & auĉtoritatem ſibi uſurpare, querentes de re hac apud Magiſtratum, & multa moventes ad nationis ejus invidiam. Sed Magiſtratus novo decreto lites compoſuit, confirmato Germanis Proſyndici jure. Cum autem in hac controverſia ope & auxilio uſi eſſent *Hieronymi Frigimelicæ*, eum ſibi poſt obitum *Benediĉti Silvatici* valde ſenis Proteĉtorem deſtinarunt. Hinc ortus Germanorum *Comproteĉtor*, qui Proteĉtoris ſecundarii vices obit.

MDCLXI. IV. non. ſextil. *Robertus Napeiro* Anglus, Syndicus & Proreĉtor. Ex Aĉtis Cod. VIII. p. 39.

MDCLXII. XVI. kal. ſept. *Joannes Guerra* Acelinus, Syndicus & Proreĉtor. Ex Aĉtis Cod. VIII. p 86. Cum ex Univerſitate Juriſtarum eſſet, venia petita, Juris utriuſque Lauream obtinuit. Scholarium infrequentia in cauſſa fuit, cur quædam miſcerentur, quæ majores noſtri pro temporum ratione, & rerum natura prudentiſſime ſeparaverant.

MDCLXIII. VIII. id. ſextil. *Jo. Georgius Noeslerus* Nurimbergenſis, Syndicus & Proreĉtor. Ex Aĉtis Cod. VIII. p. 113.

MDCLXIV. IV. non. ſextil. *Blaſius Bartolinus* Veronenſis, Syndicus & Proreĉtor. Ex Aĉtis Cod. VIII. p. 188. Jamdiu cœperant Juris Profeſſores ſub ipſum anni initium earum doĉtrinarum ſynopſim ſtudentibus dare, quas eſſent toto litterario curriculo explicaturi. Cum enim via & ratione conſtarent, auxilio ſynopſis hujus, quam *Paginam* vocabant, eas auditores excipere facile poterant, fideliterque retinere. Placuit inventum; & quod ſponte fieri ab una Univerſitate ſolebat, juſſit Magiſtratus ab utraque fieri. Non multo poſt hæc ipſa diligentia friguit. Itaque novo decreto anno

MDCLXXXV.

MDCLXXXV. tam Artium, quam Juris Professoribus Magistratus injunxit, ut Paginas conderent; quarum subsidio, accedente privata schola, sua sibi studiosi adolescentes dictata conficerent. Idem renovatum decretum est quadriennio post, & sæpe alias; sed hoc quidem quo scribimus tempore, disputandi ratione variata, istarum Paginarum usus vix ullus est.

MDCLXV. IV. non. sextil. *Caspar Severinus Hiort* Danus, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VIII. p. 220.

MDCLXVI. IV. non. sextil. *Joannes Schelinus* Brixianus, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. VIII. p. 246. Cum se abdicasset, v. id. sept. electus est loco ejus *Joseph Philippinus* Veronensis. Ibid. p. 252. & seq.

MDCLXVII. VIII. kal. oct. *Jacobus Belcapillus* Mestrensis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. IX. p. 5.

MDCLXVIII. nonis nov. *Jo. Baptista Most* Salisburgensis, Prosyndicus. Ex Actis Cod. IX. p. 62.

MDCLXIX. x. kal. jan. *Jacobus Vischer* Amstelodamensis, Prosyndicus. Ex Actis Cod. IX. p. 109.

MDCLXX. IV. non. sextil. *Simeon Corfinius* Hamburgensis, Prosyndicus. Ex Actis Cod. IX. p. 134.

MDCLXXI. VI. id. sextil. *Thomas Ottho Marquart* Westfalus, Prosyndicus. Ex Actis Cod. IX. p. 216. Abeunti suffectus est eodem titulo *Jo. Baptista Rothier* Bruxellensis. Ibid. p. 225.

MDCLXXII. XIII. kal. jan. *Joannes Von Flamerding* Francofurdiensis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. IX. p. 266.

MDCLXXIII. IV. non. sextil. *Christophorus de Schlamgemburg* Viennensis, Syndicus & Prorector. Paucis post diebus cum abiisset, v. id. sextil. Prosyndicus electus est *Jo. Laurentius Lælius Rockinga* Francus: huic autem ipsi VII. id. jan. suffectus est *Tobias Florentinus* conterraneus. Ex Actis Cod. X. p. 2. 3. & 10.

MDCLXXIV. XVI. kal. jul. *Paullus Qualiza* Carniolus, Pro-

Prosyndicus. Ex Actis Cod. X. p. 12. Triumvirali rescripto v. id. jan. anni sequentis concessa facultas est *Antonio Molinetto* Anatomico primario, ut ad Bavariæ Ducem se conferret, totamque interim scholæ molem *Michael Angelus* ejus filius, qui annum ætatis vigesimum secundum vix expleverat, sustineret. Sed Pater, qui tantæ rei periculum præstare debebat, opportune rediit.

MDCLXXV. IV. non. sextil. *Jo. Caspar Sparr* Francofurdiensis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. X. p. 103. Quod Gymnasii gratulationes Venetiarum Duci *Nicolao Sagredo*, una cum alterius Universitatis Syndico, attulisset, non ipse modo, sed etiam Consiliarii XXXIV. eorum comites ad Lauream more nobilium petendam admissi sunt. Singulorum nomina recensentur in Cod. XVII. p. 45.

MDCLXXVI. pridie non. dec. *Jo. Georgius Aichamer VVlels* Austriacus, Prosyndicus. Ex Actis Cod. 10. p. 175. Toto petente Gymnasio, VII. id. nov. Senatus decrevit adversus Marcum Sordinam, qui sua quædam obsoleta jura jactabat, chartæ vendendæ arbitrium liberum esse tum in Urbe, tum extra Urbem, modo intra Venetos fines conflata sit.

MDCLXXVII. IV. non. sextil. *Joannes Andreas Cappaniger* Carniolus Labacensis, Prosyndicus. Ex Actis Cod. X. p. 206. Decedenti postridie kal. jul. suffectus est eodem titulo *Andreas Bridler* Episcopicelensis, ut ibid. p. 220. *Helena Lucretia Cornelia* Veneta, Jo. Baptistæ D. Marci Procuratoris filia, Græce Latineque docta, publice in Cathedrali templo Philosophica Laurea VIII. kal. sextil. anni sequentis ceterisque insignibus ornata est. Magistratus haud multo post vetuit, ne cui feminæ, nisi facultate ab ipso concessa, istiusmodi honor in posterum tribueretur.

MDCLXXVIII. IV. kal. nov. *Jo. Georgius Scarpateto de Vandervagen* Rhætus, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. X. p. 245.

MDCLXXIX. IV. id sept. *Joannes Schilingius Onoldinus* Fran-

Francus, Profyndicus. Ex Actis Cod. X. p. 287.

MDCLXXX. IV. non. fextil. *Jo. Jacobus de Piattis* Veronenfis, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. X. p. 314.

MDCLXXXI. pridie id. non. *Jofeph Martinus Eifenfchmidt* Carinthius, Profyndicus. Ex Actis Cod. XI. p. 3.

MDCLXXXII. IV. non. fextil. *Jo. Francifcus Xaverius a VVeinheim* Viennenfis, Profyndicus. Ex Actis Cod. XI. p. 19.

MDCLXXXIII. XVII. kal. maj. *Francifcus Jacobus de Cifatis* Lucernenfis, Profyndicus. Ex Actis Cod. XI. p. 28.

MDCLXXXIV. XI. kal. fextil. *Georgius Beniaminus Noxinus* Colmarienfis ex Alfatia, Profyndicus. Ex Actis Cod. XI. p. 57. Nonis martiis anni fequentis *Andreas Vittus VValdner* Carinthius eodem titulo fuffectus eft ad menfes quinque. Ibid. p. 82.

MDCLXXXV. IV. non. fextil. *Francifcus Xaverius Florinus a Bluembergh* Fluminenfis ex Liburnia, Profyndicus. Ex Actis Cod. XI. p. 95. Breviaria, quæ fub anni litterarii initium dare Profeffores ftudentibus confueverant, jam obfolefcebant. Hanc in rem Magiftratus litteras ad Urbis Rectores dedit VIII. kal. oct. in quibus illud quoque perfcriptum erat, ne privatæ fcholæ, neu circuli, & concertationes omitterentur, ex quibus maxime Juventus proficere foleret. Idem poftea per annos multos quafi ex formula inculcatum eft.

MDCLXXXVI. IV. non. fextil. *Jo. Cafpar VVolffius* Ulma-Suevus, Profyndicus. Ex Actis Cod. XI. p. 110. & Infcript. Gymnaft. p. 108.

MDCLXXXVII. XIV. kal. fextil. *Francifcus Norbertus Schiukh* Lentienfis ex Auftria, Profyndicus. Ex Actis Cod. XI. p. 121.

MDCLXXXVIII. IV. non. fextil. *Ferdinandus VVrembenfelt* Carniolus Profyndicus. Ex Actis Cod. XI. p. 196. Anno fequenti XII. kal. fextil. Profeffori primario Medicinæ practicæ Senatus onus injunxit difputandi de pulfibus & urinis; quod fæculo proximo ineunte ad Theoricum transferri

pla-

placuit. Eodem decreto Triumviris mandavit, ut, cum primum scholæ quædam minus necessariæ vacarent, clauderentur, addita earum materia scholis aliis ad uberius disputandum.

MDCLXXXIX. IV. non. sextil. idem *Ferdinandus* Prosyndicus confirmatus. Ibid. p. 224.

MDCXC. pridie non. sextil. *Franciscus Augustinus Bossius* Carniolus Labacensis Prosyndicus. Ex Actis Cod. XI. p. 344.

MDCXCI. pridie id. sextil. *Franciscus Andreas Kalinus* Græcensis ex Stiria, Prosyndicus. Ex Actis Cod. XII. p. 1.

MDCXCII. IV. non. sextil. *Innocentius de Terzis* Dalmata, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. XII. p. 30.

MDCXCIII. kalendis nov. *Prancifcus VVilelmus Hernestus de Miro-VViz* Bohemus, Prosyndicus. Ex Actis Cod. 12. p. 59.

MDCXCIV. v. id. sextil. *Joannes Heckbcler* Argentoratensis, Prosyndicus. Ex Actis Cod. XII. p. 130.

MDCXCV. IV. non. sextil. *Franciscus Besenella* Tirolensis, Prosyndicus. Ex Actis Cod. XII. p. 138.

MDCXCVI. IV. non. sextil. *Jo. Abrahamus Mercklinus* Nurimbergensis, Prosyndicus. Ex Actis Cod. XII. p. 158. Abeunti successit eodem titulo *Sebastianus Heggerus* Helvetius ex Fano Sancti Galli x. kal. dec. Ibid. p. 160.

MDCXCVII. III. non. sextil. *Matthias Pfeffer* Græcensis ex Stiria, Prosyndicus. Ex Actis Cod. XII. p. 181.

MDCXCVIII. XIV. kal. jul. *Joannes Christianus Etner* Silesius, Prosyndicus. Ex Actis Cod. XII. p. 187. Decedenti successit mense octobri *Georgius Sigefridus Thalmor* Carinthius, ut est ibid. p. 227. Hoc demum tempore sacra Gymnasii Patavini Theologia nimias subtilitates exuit, quas a scholis Metaphysicis mutuata sibi aptaverat. Fr. enim *Hiacynthus Serry* Gallus ex Dominicana familia ad Thomisticam doctrinam interpretandam accitus, aliam disciplinæ hujus explicandæ viam iniit per Sacras litteras, Sanctorum Patrum testimonia, Conciliorum decreta, & Pontificum rescripta: quod antago-

nista ejus *Fr. Nicolaus Buico* Aprutinus ex Conventualibus ; ad regendam Scotisticam scholam proximo ineunte sæculo conductus, animo tulit non satis æquo. Hic ipse tamen magnus vir pro suo illo disputandi genere fuit; quamvis interdum minus gravis videretur, & procaci juventuti risum moveret, quod patrium pronunciandi morem dediscere non posset.

MDCXCIX. v. id. oct. *Michael Condupidius* Marcello-Naxius, Syndicus & Prorector. Ex Actis Cod. XII. p. 230. Corpora Anatomicis exercitationibus incisa, ritu solemniore sepelienda curavit, decretis hanc in rem argenteis in annos singulos tricenis ex Universitatis ærario : idque anno proximo litteris Triumviralibus VIII. kal. maj. datis confirmatum est.

MDCC. VIII. kal. oct. idem *Condupidius* Syndicus confirmatus. Ex Actis Cod. XII. p. 249. Quinquennium , quo scholares Cisalpini Venetæ ditionis , ex decreto Senatus MDCXXXVI. manere Patavii debebant , & Professores audire , ut ad Lauream jus acquirerent , eo maxime curante, ad quadriennium redactum est.

MDCCI. IV. id. oct. *Jo. VVolfangus Zimmerer* Viennensis ex Austria, Syndicus & Prorector. Ex Actis. Anni superioris Syndicus *Condupidius*, antequam munus deponeret, litteris ad Magistratum datis ostendere conatus est, ferendam non esse scholarium veteranorum licentiam, qui tirones ad Gymnasium accedentes certam pecuniæ summam solvere cogebant, quam ipsi inter se partirentur, exactoribus ac diribitoribus ad rem tam indecoram constitutis. Magistratus ad Senatum retulit, jussique sunt hoc anno urbis Rectores novis Syndicis, & nationum Consiliariis moris turpitudinem gravibus verbis aperire, atque edicere, ne vel ipsi, vel eorum sodales a scholarum tironibus, quos pupillos vocant, quippiam corraderent. Idem *Condupidius* curavit, ut jentacula vetarentur, quæ quater in anno Syndicus dare solebat; ne quis in posterum muneri idoneus impensas reformidaret.

MDCCII. X. kal. dec. *Jo. Jacobus Brelcr* Fuldensis, Prosyndi-

syndicus. Sæculis tribus proxime elapsis Medicina maxime Patavii floruit; nec laus ulla magis fuit soli hujus cælique propria. Sed quia in rebus humanis nihil est firmum, nunc alio conversa industria videtur. Non tamen idcirco Magistratus a pristina cura & sollicitudine discessit: sed ad studium hoc excitandum mandavit hoc anno ex auctoritate Senatus, ut qui primam Theoricæ Medicinæ scholam teneret, de pulsibus & urinis in Nosocomio diebus vacantibus dissereret. Ex quo enim Medicinæ pars tam necessaria accessio erat scholæ Practicæ, ternis dumtaxat in annum diebus explicabatur; quique eam hoc tempore explicare debebat *Franciscus Spoletus*, Constantinopoli erat. Jam res, mutato Professore, eodem recidit.

MDCCIII. v. non. octobr. *Petrus Maria Bornatus* Brixianus, Syndicus & Prorector. Mense aprili anni sequentis dignitate privatus est Senatus decreto, totaque Patavina ditione expulsus, quod scholares per seditionem adversus lictores Prætorios excitasset. Successit *Ignatius Leopoldus Joseph VVidman* Græcensis, ex Stiria, sumpto Prosyndici nomine.

MDCCIV. III. id. sept. *Georgius de Russis* Siatistensis Macedo, Syndicus & Prorector. Rectorum catalogum typis edidit, unde operi suo lucem additam Papadopolus scribit. Mihi quidem secus accidit. Antequam exiret magistratu, obtinuit, ut qui civilibus Institutionibus studuissent, si forte ad artes & Medicinam transirent, schola illis computaretur, quemadmodum Juris studiosis computatur Logica, ad quadriennium explendum, & Lauream jure petendam.

MDCCV. XIII. kal. dec. *Franciscus Joseph Verriero* Tergestinus, Prosyndicus.

MDCCVI. VII. kal. sept. *Jo. Ignatius Marendt* Rhætus, Prosyndicus. Laudabilis hoc tempore inter Philosophos gliscere cœpit æmulatio, inducta in scholas per *Fardellam* Cartesii philosophandi forma, adversus *Albanesium*, ejusque asseclas Aristotelicæ doctrinæ assertores.

MDCCVII.

MDCCVII. VII. id. sept. *Jo. Ludovicus de Qualizza* Carniolus, Prosyndicus.

MDCCVIII. III. non. oct. *Jo. Adelbertus Veith* Pragensis, Prosyndicus.

MDCCIX. III. id. august. *Andreas Franciscus Ibl* Viennensis ex Austria, Philosophiæ Doctor, Syndicus & Prorector. Anno post cum Lauream more nobilium petiisset in arte Medica, non suffragia omnia, sed partem dumtaxat paullo majorem tulit. Id sibi cum parum honorificum arbitraretur, partim precibus, partim ratione aliqua obtinuit a Collegii Præside, favente Magistratu, ut in diplomate suffragiis omnibus probatus diceretur. Ex Actis Jurist. Cod. CLXXXVI. p. II. Ad celebrandas Theologicas & Metaphysicas scholas, præsertim Scotisticas plane desertas, v. kal. dec. jussi sunt Baccalarii & Collegiales cœnobitæ ad Gymnasium venire, & suæ quisque classis subsellia occupare. Anno autem sequenti idib. nov. edictum omnibus est, ne suorum Ordinum titulos dignitatesque in Veneta ditione caperent, quin prius Theologicam Laurum in Patavino Collegio adepti essent.

MDCCX. XI. kal. dec. *Jo. Adelbertus Veith*, iterum Prosyndicus. Petentibus nationum Consiliariis, ne in exercitationibus Gymnasticis, quæ solemni conventu fierent, infra Professores sedere cogerentur, quandoquidem ipsi una cum Syndico Universitatem componerent, & in celebritatibus reliquis nobiliorem locum tenerent, assignata illis sedilia sunt in dextero scholæ latere, quæ Professorum sedibus e regione responderent. Insequentibus annis illud quoque postularunt, ut ante Professores salutarentur: quam in rem ambigua quædam verborum formula composita est, quæ in salutatione Syndici Consiliarios quoque complecteretur. Ex Actis anni MDCCXXXIV. Cod. XXVIII. p. 106.

MDCCXI. VIII. kal. sextil. *Jo. Antonius de Aver* Tirolensis, Prosyndicus. Decedenti successit *Matthias Gulielmus Lers* Aquisgranensis eodem titulo. Obiit hoc anno *Carolus*

Torta

Torta Artistarum Actuarius. Ejus quoque muneris erat trientalia scholastici curriculi testimonia in tabulas referre; tum decreta omnia, & quidquid præterea ad Gymnasii historiam pertineret, accurate perscribere. Hujus rei gratia ædificatum in Gymnasio tabularium est, Torta ipso curante, qui, suo nomine januæ insculpto, meriti memoriam posteris mandavit. Attamen neque collegit quidquam (quod in Præfatione queritur Papadopolus) neque scripsit nisi perpauca quædam acta, nec ea ipsa tabulario intulit. Successit in curam primam *Jo. Franciscus Arsicus*, in alteram *Bertuccius Cornarius*, qui exemplum secuti sunt.

Urbis Rectores kal. nov. veteranos quosdam Gymnasii alumnos coercuere, qui ex prava consuetudine primo sæculi hujus anno sublata, rursus tyrones emungere pecunia cœperant, & ex occasione hac tumultum excitaverant.

MDCCXII. x. kal. dec. *Hieronymus Montaninus* Brixianus, Syndicus & Prorector.

MDCCXIII. XII. kal. dec. *Matthias Gulielmus Lers*, Prosyndicus iterum.

MDCCXIV. VIII. kal. dec. *Jo. Jacobus Maggerffischb* Helvetius, Prosyndicus.

MDCCXV. IV. id. sept. *Melchior Otho Scafusianus* Helvetius, Prosyndicus.

MDCCXVI. VIII. kal. jul. *Jo. Jacobus VVogl* Eistetensis Francus, Prosyndicus. Collegii Patavini examen declinare cupientes Cœnobitæ, multaque moventes apud Triumviros, ut hoc onere levarentur, primum obtinuere, ut se alterutri ex duobus publicis Theologis privatim sisterent, a quo probarentur; deinde ipsum quoque Patavinum iter illis condonatum est, certique homines Venetiis constituti, quorum testimonio & auctoritate satis docti, si non Doctores, pronunciarentur. Rescriptum hoc quadriennio post Magistratus revocavit; jussitque, Cœnobitas Senatus decretis sine interpretatione parere, Lauream que Patavii petere, quæ etiam sine sum-

ſumptu de ſua fatentibus inopia concedi æquo animo a Collegii Patribus ſolet.

MDCCXVII. III. kal. dec. *Georgius Balthaſſar Nadmeſnig* Carinthius, Proſyndicus.

MDCCXVIII. IV. non. nov. Idem *Nadmeſnig* Proſyndicus iterum.

Hoc anno Eccleſiaſtica Hiſtoria inducta in Gymnaſium eſt, ſed omine parum bono. Nam qui primus ad eam tradendam electus eſt *Fr. Alexander Burgos*, in Metaphyſica explicanda eodem tempore occupatus, & ad Catanenſem Epiſcopatum paullo poſt traductus, Auctores dumtaxat recenſuit, & ad Criticæ artis leges examinavit, qui hujus facultatis ſtudioſis tractandi ſunt; *Joannes* autem *Checcotius* Canonicus Vicetinus, qui anno MDCCXXVI. ſcholam hanc unam regendam accepit, vix ſua quædam prolegomena dederat, cum in graves religionis ſuſpiciones fato prolapſus, & carcere emendatus in patriam rediit: titulus autem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, jubente Senatu, ex Rotulis Univerſitatis ablatus eſt.

MDCCXIX. IV. non. nov. *Jo. Nicolaus Delphinus* Viennenſis, qui Syndicatum petebat, cum repulſam tuliſſet, pro Syndico egit *VVolfangus Engelbertus Hartman* Carnus Labacenſis. Cum Artium Univerſitas ſex nationibus conſtet, Germana, Tranſmarina, Longobardica, Tarviſiana, Romana, & Anconitana, contra autem Juriſtarum altera nationes complectatur duas & viginti, hujus anni Syndicus & conſiliarii egere cum Magiſtratu, ut ſuarum nationum numerus augeretur. Magiſtratus, ad incommoda avertenda, quæ hinc oriri dicebantur, decrevit pridie non. ſextil. ut Tranſalpini, qui nomina inter Juriſtarum nationes profeſſi eſſent, in Artium Univerſitate, ſi placeret, ſcholaſticos titulos Lauream-que obtinere poſſent.

MDCCXX. nonis ſextil. *Andreas Schaver* Goritienſis, Syndicus & Prorector. Anno MDCLXXXII. ea officia Magiſtratus prohibuit, quæ ſibi invicem ſub anni litterarii initium

Pro-

Professores præstabant, scholarium subsellia occupantes; ex quo fiebat, ut aliquis eorum toto fere novembri sileret. Morem hunc *Lazzarinus* Græcæ Latinæque Humanitatis Professor his temporibus restituit, circa aliena auditoria assiduus, sui tarde memor. Ejus gratia semel atque iterum vetus decretum renovatum est, ægre ferentibus Professoribus reliquis, unius culpam in Ordinem totum tacite derivari.

MDCCXXI. III. kal. sept. *Jos. Antonius de Braimich* Goritiensis Synd. & Pror. Interfecto Hebræo quodam, ejus corpus ad Anatomicas exercitationes Artium Universitas postulavit, multaque movit, ut ad Gymnasium deportaretur: sed cum tota restitisset Hebræorum natio, allatis ad urbis Rectores antiquæ immunitatis & liberæ sepulturæ tabulis, scholares quievere.

MCCXXII. xv. kal. sept. *Nicolaus Salvator Sardana* Viennensis ex Austria, Prosyndicus. Cum Fr. Sebastianus ab Apparitio Americanus, cognomento Pyrausta, ex Minoritis Observantibus, fama clarus sanctitatis, inter Beatos referri a suis vellet, ortaque lis esset in Romana Curia de duobus matrimoniis ante Religionis consilium ab eo initis, virginali servata continentia, nostri quoque Theologi præter Sorbonicos & Salmaticenses, consulti sunt. Quærebatur, num duo hæc onera satis prudenter ab eo suscepta post annum ætatis sexagesimum dici possent, prætertim cum puellas sibi adjunxisset. Rem scriptis examinarunt Professores tres, *Fr. Hyacinthus Serry*, *Fr. Nicolaus Buico*, & *Michael Verius*. Sed cum in diversa abjissent, Collegium in *Verii* verba, qui factum probaverat, & ad summæ virtutis fastigium evexerat, sententiam tulit.

MDCCXXIII. IV. non. nov. *Joseph Carolus Sardana* Viennensis ex Austria, *Nicolai* frater, Prosyndicus.

MDCCXXIV. IV. non. nov. *Jo. Henricus de Mulartz* Marcoduranus, Prosyndicus.

MDCCXXV. v. id. april. *Dominicus Gothardus Stoltz* Neostadianus, Prosyndicus. Pridie non. jun. anni sequentis *Fr. Alexander Burgos*, Metaphysicæ, & Ecclesiasticæ Historiæ Pro-

feffor, cum ad Epifcopatum Catanenfem electus fuiffet, gravi oratione in Gymnafio habita, commeatum petiit, egitque toti Univerfitati gratias ex fcholæ principis fuggefto, in quam multi ex omni Civitatis ordine convenerant, Prætorem fecuti Jo. Antonium Ruzzinum, qui rem novam publicæ majeftatis fplendore ornare voluit.

MDCCXXVI. poftrie id. jun. *Henricus Ludovicus Meyer* Lippiacus, Profyndicus.

MDCCXXVII. IX. kal. aug. *Chriftofridus VVeidlerus* Saxo, Profyndicus.

MDCCXXVIII. XII. kal. dec. *Ambrofius VVerlofchnig* Eques Lentienfis ex Auftria, Profyndicus.

MDCCXXIX. VI. kal. dec. Deficientibus Syndicis ac Profyndicis, *Jo. Baptifta Morgagnus* primarius Anatomes Profeffor Univerfitati præfuit loco Syndici.

MDCCXXX. idibus febr. *Fantinus Maria Donatus* Bergomas Synd. & Pror. eoque decedente poftridie kal. dec. *Tobias Antonius Delphinus* Viennenfis ex Auftria, Profyndicus. Cum ad Patavinam Ecclefiam regendam novus Epifcopus *Joannes Minottus* adveniffet, fuique Seminarii ftudia per viros præftantes expendiffet, curavit, ut *Jacobus Facciolatus* Logicæ Profeffor eorum regimen, quantum quidem publicæ fcholæ ratio pateretur, denuo reciperet. Paruit lubenti animo & beneficiorum memori; tamdiuque paruit, quamdiu opus fuit.

MDCCXXXI. poftridie non. oct. *Jo Chriftianus Niebl* Carynthius ex S. Vito, Profyndicus. Generali Artiftarum Bidello *Leandro Varefio* jam fenefcenti conceffit, ut ipfe fibi alium fufficeret, qui morituro fuccederet, modo Magiftratui probaretur. Id vero non muneri datum eft, fed homini, qui utilem multis in rebus operam toti Gymnafio præftiterat, calliditate ingenii & prudentia vitæ Profeffori propior, quam Bidello.

MDCCXXXII. idibus fept. *Affanus de Lafcaris* Theffalonicenfis, Syndicus & Prorector.

MDCCXXXIII. kalendis fextil. Idem *Affanus de Lafcharis*.

MDCCXXXIV.

MDCCXXXIV. IX. kal. jul. *Josephus Aloysius Leporinus* Tirolensis, Prosyndicus. Mense decembri Theologi quidam ex iis, qui Collegium componunt, de veteribus Statutis mutandis egerunt, jamque novum Codicem comparaverant, & Venetias miserant, ut Senatus auctoritate confirmaretur. Sed cum alii abnuissent, inter quos Episcopus, qui Collegii caput est, caussasque exposuissent, quibus impellebantur ad novas leges rejiciendas, Triumviri, missis hac de re ad urbis Rectores litteris, nihil innovandum censuerunt.

MDCCXXXV. IX. kal. jul. Idem *Leporinus* Prosyndicus confirmatus.

MDCCXXXVI. kalendis jun. *Dominicus Franciscus Tranquillinus* Tirolensis, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, pro Syndico egit.

MDCCXXXVII. kalendis jun. Idem *Tranquillinus* nomen Syndici sumpsit, quamvis studiorum cursum emensus Academicos titulos & insignia biennio ante fuisset adeptus.

MDCCXXXVIII. IV. id. nov. *Jo. Baptista Mazzinus* Brixianus, ordinarius Medicinæ Practicæ ex loco secundo Professor, Syndicus & Prorector electus est a Triumviris Litterariis, translata in posterum potestate hac a scholaribus ad Professores decreto Senatus.

MDCCXXXIX. III. non. sextil. *Jacobus Placentinus* Castrofrancanus, Medicinæ Practicæ extraordinariæ Professor secundarius, Syndicus & Prorector. Sub anni finem Logicam scholam Metaphysicæ Senatus adjecit, jussique Professores sunt, deposito Thomistarum, & Scotistarum nomine, libere philosophari ac docere. Eodem ferme tempore Philosophiæ schola instituta est, quæ *Experimentalis* dicitur; læta Gymnasio res, & in vulgus celebrata.

MDCCXL. XIII. kal. oct. *Ludovicus Ripa* Venetus, Astronomiæ & Meteororum Professor, Syndicus. Excitato per hæc tempora, ut sua sunt cuique litterarum generi fata, vehementi quodam Mathematicæ disciplinæ studio, Magistratus

censuit, Professorem unum diebus vacantibus docentem, nec iis ipsis omnibus, minime sufficere. Itaque ad Senatum retulit anno sequenti de nova aperienda schola, in qua diebus ordinariis Euclidis Elementa traderentur. Senatus probavit, jussitque VI. kal. maj. virum idoneum conquiri, & cetera fieri, quæ ad rem pertinerent. Post decennium constituta schola est, eique locus in Gymnasio datus.

MDCCXLI. idib. sept. *Joannes Polenus* Matheseos, & Philosophiæ Experimentalis Professor, Syndicus & Prorector.

MDCCXLII. III. id. sept. *Jo. Baptista Mazzinus* iterum.

MDCCXLIII. IV. kal. oct. *Bartholomæus Lavagnolus* secundarius Medicinæ Theoricæ Professor, Syndicus & Prorector.

MDCCXLIV. III. kal. oct. *Jacobus Placentinus* iterum.

MDCCXLV. XII. kal. oct. *Ludovicus Ripa* iterum. Sed proximo februario decessit aquula mersus, in quam decidit nocte prima pone D. Justinæ templum, inexsuperabili quadam, si ita loqui licet, fatorum vi, cum principe Cœnobii janua egressus recta ire constituisset, servusque faculam præferret. Suffectus est in reliquum anni litterarii tempus *Laurentius Soardus* Philosophiæ Extraordinariæ Professor.

MDCCXLVI. pridie kal. oct. *Fr. Franciscus Maria Leonus* Theologiæ Scotisticæ Professor, Syndicus & Prorector.

MDCCXLVII. XVI. kal. oct. *Jacobus Scopulus* secundarius Medicinæ Practicæ Professor, Syndicus & Prorector.

MDCCXLVIII. XIII. kal. sept. *Laurentius Soardus* iterum.

MDCCXLIX. XVI. kal. oct. *Angelus Sclavettus* Metaphysicæ & Logicæ Professor, Syndicus & Prorector. Hoc anno de Chimicis studiis moveri sermo cœpit, jussusque est *Bartholomæus Lavagnolus* secundarius Theoricæ Medicinæ Professor eorum theoremata diebus dominicis explicare. Anno litterario exeunte, primam scholam habuit.

MDCCL. III. kal. oct. *D. Jo. Albertus Columbus* Monachus Cassinensis, Meteororum & Astronomiæ Professor, Syndicus & Prorector.

MDCCLI.

MDCCLI. exeunte ſeptembri *Jacobus Scopulus* iterum.

MDCCLII. *D. Jo. Albertus Columbus* iterum.

MDCCLIII. exeunte ſeptembri *Bartholomæus Lavagnolus* iterum. Anno proximo ineunte Medicæ facultatis Laurea in Veneto Collegio ornatus eſt Com. Franciſcus Roſa Patavinus ſine experimento more Nobilium, ex peculiari Magiſtratus indulgentia, quod bina nummum argenteorum millia ſibi teſtamento relicta conſequi non poſſet, niſi Doctor eſſet. Triennio poſt frater ejus minor pueritia vix egreſſus, eodem modo eodemque titulo creatus Doctor eſt. Ars quoque Chirurgica novo exemplo nobilitata eſt. Primus enim in illa more Nobilium probatus eſt III. non. ſextil. bona Magiſtratus venia Eq. Joannes de Taylor Anglus. Re vera tam multa peritiæ ſuæ in curandis oculorum morbis experimenta dederat, ut nullum litterarium ornamentum meritis ejus majus eſſe videretur.

MDCCLIV. ineunte octobri *Antonius Lavagnolus* Logicæ ac Metaphyſicæ ex loco ſecundo Profeſſor, Syndicus & Prorector. Venetias una cum Actuario ſe contulit ad litem conteſtandam adverſus bonorum quorundam poſſeſſores, quæ Gymnaſii Rectoribus anno MDLVII. teſtamento relicta ſunt ab Joanne de Rubeis Patavino, ut dictum loco eſt. Thermarum Aponenſium, quod in dies magis obſoleſcere viderentur, cogitatio ſubjit. Itaque tribus Medicinæ Profeſſoribus menſe aprili anni ſequentis per litteras Triumvirales mandatum eſt, ut in re hac ſerio verſarentur, & quid facto opus eſſet, ſcripto declararent. *Dominico* autem *Viotto*, ex Philoſophis Tertianis, floreni quinquaginta ſoluti ſunt ob expenſas, quas thermis ipſis inviſendis operam profeſſus ſe feciſſe dixit.

Jacobo Facciolato miſſionem petenti Senatus IX. kal. ſextil. MDCCLV. conceſſit decreto honorificentiſſimo. Juſſit autem, ejus nomen in Artium Rotulo retineri, titulo addito Profeſſoris Emeriti, ſervatoque ſtipendio toto una cum immunitatibus, & Collegiorum honoribus.

MDCCLV.

MDCCLV. ineunte octobri *Fr. Bonaventura Lucchius* S. Scripturæ Professor, Syndicus & Prorector.

MDCCLVI. *Jacobus Scopulus*, Syndicus & Prorector tert. Anno inclinante litterario Juventus Medicinæ studiosa ultro ipsa per se Academicas exercitationes instituit, quas in ædibus Collegii Græcorum majoris statis diebus haberet, addita etiam ad æmulationem excitandam concertatione. Id vero etiam segnes excussit, favente identidem præsentia sua, animosque addente Professore aliquo. Primi novæ hujus industriæ specimen dedere magnæ expectationis juvenes, Dominicus Vandelius *Hieronymi* Professoris filius, & Josephus Bertossius Utinensis, duabus emissis *de partium corporis humani sensibilitate* Dissertationibus, quæ communi judicio, pro illorum ætate, probatæ sunt. Hinc omen cepit Academia, & scholarium celebritate crevit.



DE

DE ARTISTARUM SCHOLIS

AB ANNO MDXVII.

REmiſſo juſtitio, apertiſque Juriſtarum ſcholis, nihilo tardiores Artiſtæ fuerunt, quorum ſcholas explicaturi, a S. Theologia incipimus, reliquarum omnium ipſa per ſe nobiliſſima.

DE S. THEOLOGIÆ SCHOLA

THOMISTICA

CŒNOBITIS DOMINICANIS ADDICTA.

Ad quatuor Petri Lombardi Sententiarum libros.

ANno MDXVII. reſtituti Gymnaſii primo, *Mag. Caſpar de Manſuetis* Peruſinus revocatus eſt iis conditionibus, quæ ſunt a nobis in Parte ſuperiore pag. 97. explicatæ, perrexitque uſque ad annum MDXXXI.

MDXXXI. kalendis dec. *Mag. Thomas Omnibonus* Venetus electus eſt ad diem incertam per litteras Triumvirales. Anno proximo VIII. kal. nov. confirmatus eſt decreto Senatus ad triennium florenis LX. quibus additi ſunt viceni anno MDXXXV. Sed anno ſequenti mortuus eſt.

MDXXXVI. XIV. kal. dec. *Mag. Bartholomæus Spina* Piſanus, ex Ordine Prædicatorum Obſervantium, acceſſit ad docendum ſtipendio florenor. LXXX. Anno MDXLI. accuſatus eſt per litteras Univerſitatis v. id. jan. quod toto anno familiæ ſuæ negotiis diſtentus Gymnaſio abſtinuiſſet. Iiſdem litteris contendebatur, ut eo abdicante, ſufficeretur *Mag. Paris de Cingulo* Picenus, totius Cœnobii judicio commendatus. Contra

autem

autem anno proximo MDXLII. *Spina* ipse questus est apud Magistratum, stipendia sibi negari, quamvis muneri suo minime deesset: quod cujusmodi esset, Triumviri quæsierunt ab Rectoribus Civitatis per litteras v. kal. jan. datas. Anno post cum Sacri Palatii Magister creatus esset, Romam se contulit, ubi mortuus est anno MDXLVI. ut scribit Echardus T. 2. p. 126. quo loco scripta ejus omnia sigillatim recenset.

MDXLV. Cum *Mag. Spina* Sacri Palatii Magisterium Romæ sustineret, in locum ejus IV. kal. novembr. successit *Mag. Sixtus de Medicis* Venetus, ex Cœnobio SS. Joannis & Paulli, stipendio florenorum LX. Biennio post in Patavinum Theologorum Collegium aggregatus est, cum jam a suis in Capitulo generali Romæ habito anno MDXXX. Magister creatus fuisset, ut est in Collegii Codice IV. p. 74. Anno MDL. additi sunt stipendio ejus floreni X. Hic primus promovere ad Lauream Theologicam cœpit, Theologi publici titulo, ablato jure hoc reliquis Collegii Magistris. Anno MDLIV. ultro discessit, Venetias accitus ad tradendam suis Theologiam, totamque Provinciam regendam. Ibi decessit III. kal. dec. MDLXI. Ejus scripta habes apud Echardum T. 2. p. 179.

MDLIV. XII. kal. jun. *Sixti* discipulus *Mag. Hieronymus Vielmius*, qui triennio ante Metaphysicam dimiserat, in sedem hanc evocatus est, constituto stipendio florenorum LX. quod auctum est anno MDLX. postridie idus jan. ad LXXX. Eodem anno Idibus martiis Romam a Pio IV. Pontifice vocatus, abeundi facultatem obtinuit, loco servato usque ad kal. novembres. Ibi autem cum Theologiam publice traderet, haberetque inter discipulos ipsum quoque S. Carolum Borromæum, anno MDLXIII. Episcopus Argolicensis creatus est, & Patavini Episcopi Suffraganeus. Hoc ipso anno Concilio Tridentino interfuit ad finem properanti. Biennio post Sacrarum Litterarum Professor declaratus est.

MDLXII. VI. kal. mart. cum *Vielmius* non rediisset, con-
ductus

ductus est *Mag. Jo. Ambrosius Barbavara* Mediolanensis florenis LXXX. confirmatusque ad sexennium anno MDLXVI. additis florenis XX. Eodem anno Theologorum Collegio adscriptus est. Quinquennio post accitus Taurinum ab Hieronymo Revereo ejus Civitatis Archiepiscopo, Patavinis scholis abstinuit: sed insequenti anno MDLXXII. a Magistratu revocatus, conductionis tempus absolvit, rursusque abiit. Nonnulla scripsit, quæ referuntur ab Echardo T. 2. p. 312.

Cum ab anno usque MDLXXI. absente *Barbavara*, per litteras Universitatis expetitus fuisset, & Magistratui commendatus *Mag. Sanctes Citinius* Utinensis, anno demum MDLXXIII. IV. kal. novembr. in locum ejus venit florenis LX. Sed anno MDLXXXII. pridie nonas Martias missionem caussariam obtinuit, servatis in reliquum vitæ cursum florenis XXX. *Citinius* in Actis Collegii Theologici p. 77. dicitur *incorporatus in Baccalaureum in nostra Universitate* anno MDLV. XIII. kal. dec. Idem ibidem dicitur *acceptatus in Universitatem Magistrorum ad emolumenta anno* MDLXIX. *mense septembri*, idest Theologorum Collegio adscriptus.

MDLXXXII. postridie idus maj. *Mag. Ægidius Marchesinus* Bononiensis, ex Ordine Prædicatorum Observantium, conductus florenis octogenis. Anno post mulctam illi Universitatis Rector irrogavit, quod Incarnationis doctrinam exposuisset, nullis pertractatis quæstionibus. Sed eam Magistratus remittendam censuit. Anno MDLXXXIV. cum, clausa per Quadragesimam schola, in Cathedrali Basilica concionari decrevisset, restitit Universitas tota, missis ad Triumviros litteris. Obiit anno MDLXXXVI. cum docuisset per annos quatuor. Quædam etiam scripsisse fertur: nihil tamen edidit præter funebrem laudationem Hieronymi Cardinalis Seripandi in Tridentino Concilio Legati ac Præsidis.

MDLXXXVI. VII. idus jun. *Mag. Alphonsus Sotus* Florentinus ex Sacræ Scripturæ schola ad Theologiam traductus est, aucto stipendio ad florenos CXX.

MDXCIII. kalendis decembr. cum *Sotus* ad S. Scripturam rediisset, *Mag. Angelus Andronicus* Venetus, ex Metaphysica huc migravit florenis CLXXX. qui iterum ac sæpius aucti, anno demum MDCXXII. crevere ad CD. Ætatis missionem obtinuit anno MDCXXVIII. pridie nonas Apriles, servatis Principis liberalitate florenis CC. Sed anno post diem suum obiit.

Eodem tempore *Mag. Benedictus Bovius* Feltriensis, ex schola Metaphysicæ in hanc migravit, aucto illi priore stipendio ad florenos CC. Sed anno MDCXXXI. Venetiis cum esset, pridie idus decembr. peste absumptus est. Mirifice laudatur a Tomasino: sed nihil extat ab eo scriptum. Nam quæ de Cometarum differentiis, & eventibus disputavit, a *Camillo Glorioso* Matheseos Professore oppugnata, litteris non consignavit.

MDCXXXII. VI. kal. febr. *Mag. Cyprianus Philippinus* Venetus ex Metaphysica ad Theologiam traductus est florenis C. qui iterum ac sæpius aucti, demum anno MDCLVI. crevere ad quingenos.

MDCLXII. XVII. kal. oct. *Mag. Michael Archangelus Rivetta* Casalensis, qui Metaphysicam Bononiæ publice professus fuerat, huc accitus est florenis CLXXX. Vixit usque ad Julium anni MDCLXXXI. aucto illi stipendio ad florenos quadringenos.

MDCLXXXI. X. kal. nov. *Mag. Seraphinus Piccinardus* Brixianus, cum triennio ante Metaphysicæ scholam dimisisset, ad hanc accitus est florenis CCCL. Sed nondum exacto sexennio, caussariam missionem obtinuit, vixitque usque ad annum MDCXCV. Memoria valuit ad miraculum usque; multaque scripsit, quæ recenset Patinus in Lyceo p. 126. Papadopolus in T. I. p. 375. & Echardus in T. II. p. 742.

MDCLXXXIX. XIV. kal. jul. *Mag. Nicolaus Arnù* Lotharingius, ex Metaphysica traductus florenis CCC. Obiit triennio post. De ejus vita & operibus Patinus in Lyceo Patavi-

no p. 121. & ex eo Papadopolus in T. I. p. 379. & Echardus T. II. p. 703.

Cum locus per quadriennium vacasset, anno MDCXCVII. v. id. oct. eum occupavit *Mag. Jacobus Hyacinthus Serry* Telonienfis, Doctor Sorbonicus, cui famam & existimationem conciliaverat Historia de Auxiliis Divinæ Gratiæ luculenter ab eo scripta, & nomine edita Augustini Le Blanc. Decretum illi stipendium est florenorum CCL. quod iterum ac sæpius auctum, anno MDCCXXXI. crevit ad octingenos quinquagenos. Sed vix toto exacto sexennio, antequam de more confirmaretur, obiit IV. id. mart. anno MDCCXXXVIII. ætatis nono & septuagesimo. Quadriennio post Prælectiones ejus editæ Venetiis sunt quinque voluminibus, ex quibus apparet, quanta facundia res Theologicas tractarit. Nullus certe in hac Urbe, neque nostra, neque Patrum memoria, Theologus majorem sibi doctrinæ opinionem comparavit, non quidem rebus novis excogitandis, ut quidam minus periti, vel minus benevoli, cum viveret, sibi persuadebant, sed veteribus nova quadam ratione explicandis, augendis, ornandis. Ingenio fuit, supra quam dici possit, vivido planeque pugnaci: quo factum est, ut diffidia litesque litterarias & facile aliis moveret, & sibi motas animose sustineret; nihilque umquam dicendo & scribendo sibi proponeret, præter victoriam. Tanti viri famæ datum est, ut ex eadem Provincia Theologus, qui succederet, evocaretur: evocatus est autem *Mag. Jacobus Mora*, Vir scholastica doctrina moribusque spectatus, III. non. maj. MDCCXL. Eodem merere stipendio cœpit, quo decessor; bisque confirmatus florenos obtinuit DL. Anno MDCCLVI. pridie id. april. vita decessit, cum senectutem nondum attigisset. Sui illum Cœnobitæ in Patavinæ familiæ jura adscitum magnifico funere extulerunt.

DE S. THEOLOGIÆ SCHOLA SCOTISTICA.

CŒNOBITIS EX MINORITARUM ORDINE ADDICTA.

ANno MDXVII. XII. kal. dec. *Mag. Simon*, al. *Simonettus*, *Ardeus* Venetus, qui Regentis munus apud Minoritas Conventuales Patavii ſuſtinebat, ad Scotiſticam S. Theologiæ ſcholam rurſus aperiendam conductus eſt florenis LXX. qui ſemel atque iterum aucti, anno MDXXXV. crevere ad CXL. Addita conditio eſt, ne ad concionandum exiret. Obiit anno MDXXXVII. III. kal. mart.

MDXXXIX. IV. id. oct. *Mag. Hieronymus Girellus* Brixianus Conventualis, accitus eſt ex Bononienſi Gymnaſio florenis LXXX. qui bis aucti crevere ad CXX. Anno MDXLII. IV. non. jun. obtinuit a Magiſtratu, ut abeſſe poſſet per dies quindecim rerum domeſticarum cauſſa, modo tamen *Mag. Burges* Metaphyſicæ Profeſſor, ejus loco Theologiam traderet, nec interim ſcholæ ſuæ deeſſet. Obiit anno MDLXXIII. III. id. mart. cum octo ante annis munus abdicaſſet.

MDLXV. XIV. kal. dec. *Mag. Bonaventura Manentus* Conventualis ex Gabiano, agri Brixiani oppido, conductus eſt florenis LX. qui, multiplicatis auctariis, anno MDLXXVIII. crevere ad CL. De illo, ejuſque Majoribus ſcribit Riccobonus lib. 2. de Gymn. c. 24.

MDLXXXVII. Cum *Mag. Bonaventura Manentus* a Cardinali Turriano Epiſcopo Cenetenſi accitus, miſſionem obtinuiſſet, *Mag. Hieronymus Pallanterius* ex caſtro Bononienſi, qui antea Ferrariæ, ac Ticini docuerat, VIII. id. oct. locum ejus occupavit florenis C. qui bis aucti, anno MDXCIX. creve-

crevere ad CCXXX. Ejus vitam fuse scripsit Riccobonus in lib. 3. c. 26.

MDCIII. v. non. oct. *Mag. Cæsar Lippius* ex Mordano, Metaphysicæ schola relicta, in hanc migravit florenis CC. cum *Pallanterius* paullo ante accitus Romam, Episcopus Bituntinus creatus fuisset. Sed ipse quoque *Lippius* triennio post Patavio discedens vacuam scholam reliquit. Illud animadversione dignum est, *Lippio* anno MDCIV. post idus Junias persolutum fuisse stipendium in antecessum usque ad initium proximi litterarii curriculi.

MDCVI. pridie kal. nov. *Mag. Philippus de Fabris* Faventinus ex Metaphysica traductus florenis CLXX. qui iterum ac sæpius aucti, anno demum MDCXXV. crevere ad CDL. Obiit anno MDCXXX. v. kal. septembres.

MDCXXXI. pridie non. febr. *Mag. Matthæus Ferchius* Veglensis, ex Metaphysica translatus florenis CL. qui, multiplicatis auctariis, anno MDCLX. crevere ad centenos supra mille, præter consuetudinem & modum vitæ Cœnobiticæ. Anno MDCLXV. xv. kal. april. missionem ætatis obtinuit, condonatis in reliquos vitæ annos florenis CD. Obiit quadriennio post VI. idus septembr.

MDCLXV. pridie non. sept. *Mag. Felix Rotundus* ex Monte Leone in Sabinis, conductus florenis CLXXX. qui sæpius aucti, anno MDCXCII. crevere ad DLXX. Eo suasore & auctore, anno MDCLXX. decretum est, ut S. Collegii Patres, quoties in publicum prodirent, solemne aliquid celebraturi, palliolum violaceum albis pellibus prætextum superinduerent: qua de re actum fuerat etiam anno MDXCII. sed nihil confectum. Illud quoque obtinere conatus est, vir de hoc ordine optime meritus, ut in publicis Civitatis Processionibus Theologi quoque suis insignibus ornati, cum aliis Collegiis prodirent: sed orta de loco cum Medicis & Philosophis controversia spem omnem abrupit. Anno MDCXCV. cum Præses sui Ordinis electus fuisset, Scholis abstinuit, condona-

donato Principis liberalitate ſtipendio. Hinc exemplum ad poſteros. De ejus vita & operibus Papadopolus in T. I. p. 362. & Patinus in Lyceo p. 47.

MDCCII. Cum *Rotundus* obiiſſet, ſuffectus eſt pridie id. oct. *Mag. Nicolaus Buico* Neapolitanus, ex Spinazzola, florenis CCL. qui bis aucti, anno MDCCXIX. crevere ad DXX. Vir ad ſcholaſticam diſputandi formam mirifice factus obiit fama minore, quam attulerat, anno MDCCXXXII. XVI. kal. ſextil. ætatis LXXXII. Quamdiu autem apud nos vixit, cum Thomiſta Serry antagoniſta ſuo acriter certavit, ſed viribus minime æquis. Publicum monumentum a ſuis meruit, quod magnam pecuniæ vim ad ædes Cœnobio hærentes exædificandas reliquerit. Ejus laudes vide apud Papadopolum in T. I. p. 166.

MDCCXXXIII. xv. kal. april. *Mag. Joſeph Maria Platina* Pedemontanus, qui magnam ſibi doctrinæ opinionem concionando pepererat, conductus florenis CCL. Indultum fuit ejus ætati & famæ, ut Orationem primam de ſcripto recitaret, & quidem novo exemplo. Anno MDCCXXXVI. XIV. kal. ſextil. miſſionem obtinuit, condonatis in reliquos vitæ annos florenis C. Multa & ingentia volumina de Arte Rhetorica ſcripſit; multa item de rebus Theologicis, quibus tamen ſine gravi iſtarum facultatum detrimento carere poſſemus. Obiit Bononiæ anno MDCCXLIII. ineunte. Vir fuit natura diſertus, acutus, & præſtandi capax, ſi in ſanas ſcholas mature incidiſſet.

MCCCXXXVI. nonis decembr. *Mag. Franciſcus Maria Leonus* Veronenſis, ex Metaphyſica traductus eſt florenis CCL. qui anno MDCCXLIII. aucti ſunt ad CDL. poſtea vero ad DC. Anno MDCCLV. Diſſertationem edidit *Hiſtorico-Criticam de Scholaſtica Catholicorum hominum Theologia*, adnotationibus & eruditionibus variis refertiſſimam.

DE

DE METAPHYSICA PRIMI LOCI,

Quæ *in Via D. Thomæ* dicta est,

CŒNOBITIS ADDICTA S. DOMINICI.

MDXVIII. Cum scholæ fere omnes anno superiore rursus apertæ fuissent, IX. kal. sept. *Fr. Albertus Paschalis*, vulgo *Fr. Albertus de Utino*, ex Ordine & instituto Prædicatorum, ad Metaphysicam primi loci profitendam conductus est florenis quinquagenis, qui anno MDXXIII. crevere ad octogenos. Sed cum anno MDXXXI. discessisset, pridie non. novembr. suffectus est in locum ejus *Fr. Jo. Franciscus de Beatis* Tarvisianus florenis LXXX. Attamen biennio post *Fr. Albertus*, petente Universitate, revocatus est florenis centenis. Anno MDXXXV. rursus abiit, idemque *Beatus* per litteras Triumvirales scholæ restitutus est stipendio florenor. C. quod Senatus decreto suo pridie kal. novembr. ratum fecit. Echard. T. II. pag. 123.

MDXLIII. pridie non. octobr. *Fr. Adrianus Valenticus* Dalmata, ex Dominicanis S. Mariæ Gratiarum, conductus est florenis LXXX. quibus anno MDXLVI. additi sunt viceni. Habitavit in ædibus hospitalibus regionis S. Francisci, ut est in Actis Collegii Jurisconsultorum pag. 417. quod Cœnobium ejus nimis abesset a publicis scholis.

MDLI. XVII. kal. octobr. cum *Fr. Adrianus* ad S. Scripturæ scholam transiisset, successit *Fr. Hieronymus Vielmius* Venetus florenis LXX. Triennio ante Theologicam Lauream obtinuerat, in sacrum Collegium adscriptus. Ex Collegii Cod. II. p. 74. Vide S. Scripturæ scholam.

MDLII. *Fr. Vielmio* digresso valetudinis caussa, VII. id. nov. successit *Fr. Jo. Matthæus de Valdina* Messanensis, florenis LXX. qui paucis ante mensibus in Patavino Collegio Theo-

Theologicis insignibus ornatus fuerat, ut est in Cod. II. Collegii p. *76*. Anno MDLIV. III. id. sept. obtinuit a Magistratu, ut rebus domesticis in Sicilia per menses tres vacare posset, ea tamen conditione, ut interim stipendia cessarent. Anno MDLIX. IV. kal. febr. Theologorum Collegio adscriptus est, ut in ejusdem Collegii Codice II. p. *77*.

MDLX. XII. kal. april. *Fr. Thomas Peregrinus* Venetus conductus florenis LX. qui iterum ac saepius aucti sunt usque ad CCC. Sexennio post idibus febr. Collegio Theologico adscriptus est.

MDLXXXIII. III. non. nov. mortuo *Peregrino*, *Fr. Angelus Andronicus* Venetus locum ejus occupavit florenis LX. quibus totidem additi sunt anno MDLXXXIX.

MDXCIII. Cum *Fr. Andronicus* ad Theologiam migrasset, III. non. febr. successit *Fr. Livius Leonus* Patavinus, Cœnobii S. Augustini Praeses, qui anno post IV. id. maj. Theologorum Collegio aggregatus est, & quidem sine examine, laxatis ejus gratia ab Episcopo Statutis. Stipendio conductus est florenorum LX. qui saepius aucti, anno demum MDCXII. crevere ad CCX.

MDCXVIII. Cum anno superiore *Leonus* obiisset, V. kal. octobr. successit *Fr. Benedictus Bovius* Feltriensis centenis conductus; primusque obtinuit, ut certae Metaphysico aedes in cœnobio S. Augustini auctoritate Magistratus assignarentur. Cum de Cometa, qui mense novembri apparuerat, disputare aggressus esset, multique ad eum convenissent audituri, nihil egisse dicitur supra scholasticum Cœnobitam. Ejus stipendium auctum est florenis L. anno MDCXXVI.

MDCXXVIII. pridie non. april. *Bovio* ad Theologiam translato, *Fr. Remigius Scrofa* Vicetinus suffectus est florenis C. Sed anno vix exacto, cum provinciae suae Praeses creatus esset, scholam dimisit. Decessit anno MDCXLV. multaque scripsit ad Dominicanum institutum pertinentia, quae recenset Echardus in T. II. p. 548.

MDCXXIX.

MDCXXIX. postridie id. novembr. *Fr. Cyprianus Philippinus* Venetus centenis conductus est. Anno autem sequenti VII. kal. april. locum obtinuit in Theologorum Collegio sine expensis, & sine examine, more nobilium, petita a Patribus & Episcopo Statutorum laxatione.

MDCXXXII. v. kal. febr. cum *Philippinus* ad Theologiam transiisset, successit *Fr. Marcus Rossettus* Venetus florenis C. Eumdem sibi honorem a Theologorum Collegio postulavit, qui *Philippino* concessus fuerat, sed repulsus Principis opem imploravit. Hinc factum decretum est hoc ipso anno pridie kal. sextil. ut Metaphysici, Theologi, & S. Paginæ Interpretes jure suo in Theologorum Collegio locum haberent, & perpetui Promotores essent.

MDCXXXVIII. nonis octobr. *Fr. Thomas Turcus* Cremonensis accitus est florenis CC. Sed cum anno MDCXLIV. Generalis sui Ordinis Præses creatus esset, missionem obtinuit. Mortuus est Romæ anno MDCXLIX. & multa scripsit, quæ referuntur ab Echardo T. II. p. 536.

MDCXLIV. *Turci* loco XVII kal. febr. suffectus est admodum juvenis *Fr. Innocentius Pencinus* Venetus florenis C. qui bis aucti, anno MDCLVI. crevere ad CCC. Cum sine venia anno MDCLX. Patavio discessisset, primum litteris Triumviralibus v. non. mart. datis, postea vero etiam Senatus decreto privatus stipendio est. Obiit anno MDCLXXXIX. cum plurima edidisset opera tum Latina, tum Italica, quæ recensentur apud Echardum T. 2. 726.

MDCLXI. pridie non. jan. *Fr. Jo. Dominicus Pusterla* Mediolanensis vocatus est ad scholam hanc regendam florenis CXX. quibus anno MDCLXVII. additi sunt LXX.

MDCLXIX. kalendis jun. defuncto *Pusterla*, *Fr. Seraphinus Picinardus* Brixianus accitus est florenis CL. quibus additi sunt C. anno MDCLXXVI. Biennio post scholam dimittere coactus est, & valetudini operam dare. Ea confirmata, anno MDCLXXXI. in Gymnasium rediit ad Theologiam tradendam.

MDCLXXIX. *Picinardo* pridie kal. sept. *Fr. Nicolaus Arnù* Lotharingus suffectus est florenis CC. qui anno MDCLXXXV. crevere ad CCC.

MDCXCII. *Fr. Arnù* ad Theologiam traducto, IV. non. april. *Fr. Hyacinthus Felix Mazzucchius* Ferrariensis successit florenis CL. qui sæpius aucti, anno demum MDCCXXVIII. crevere ad DL. Obiit anno MDCCXXXI. ætatis secundo & octogesimo. Quod multa disputationibus suis ex *Theatro vitæ humanæ* non infeliciter agglutinaret, vulgo apud scholares habitus est eruditus.

MDCCXXXI. III. kal. decembr. *Fr. Nicolaus Concina* Forojuliensis successit florenis CL. Anno MDCCXXXVI. Disputationem emisit *de Juris Naturalis & Gentium doctrina Metaphysice asserta*, quam statim oppugnavit scripto edito *Fr. Hyacinthus Serry* ejusdem classis & ordinis Theologus. Biennio post missionem obtinuit, condonatis viro præstanti in reliquos vitæ annos florenis L.

MDCCXXXIX. Vindicata III. non. sept. in veterem libertatem Metaphysica, sublatisque ex Rotulo nominibus *Thomisticæ*, & *Scotisticæ*, *Fr. Bonaventura Luchius* Minor. Convent. qui disciplinam hanc ex Scoti doctrina profitebatur, III. kal. jan. appellatus est Metaphysicus primarius, ex aliarum scholarum inter se concurrentium formula. Additum est illi Logicæ quoque tradendæ munus: utrumque autem ita sustinuit, ut facile apparuerit, hominem gravissimis quibusque disciplinis idoneum esse.

MDCCXLIV. *Luchio* ad S. Scripturæ scholam traducto, in locum hunc ex secundo migravit *Angelus Sclavertus* Bergomas, servato priore stipendio florenorum CCL. qui aucti sunt primum ad quadringenos anno MDCCXLVIII. deinde ad DL. III. id sept. MDCCLV.

DE

DE METAPHYSICA LOCI SECUNDI

Quæ *in via Scoti* dicta eſt,

CŒNOBITIS ADDICTA S. FRANCISCI.

ANno MDXVIII. VIII. kal. ſept. *Fr. Jacobinus de Barges*, Minorita Conventualis, primus poſt bellum ad ſcholam hanc regendam conductus eſt florenis L. qui iterum ac ſæpius aucti anno demum MDXLVI. crevere ad centenos ſexagenos. In Theologorum Collegium adſcitus eſt anno MDXXXVII. III. kal. maj. quo die tres dumtaxat Theologi totum Collegium compoſuere; quia, ut eſt in Actis ipſius Collegii p. 28. *præter ipſos nullus alius noſtræ Univerſitatis Magiſter in civitate reperiebatur*. Carcere Romæ detentus docere deſiit anno MDLXIII.

MDLXIV. *Fr. Antonius de Grignano* conductus eſt ſexagenis; anno autem ſequenti *Fr. Martialis Peregrinus* Calaber in ejus locum ſuffectus eſt. Huic porro auctum ſtipendium eſt ad florenos CX. anno MDLXXI. Sed oculorum uſum cum amiſiſſet, commiſſa ſchola eſt *Fr. Carolo Bellio* Siculo florenis L.

MDLXXX. Defuncto *Bellio*, ſtatim Rector Univerſitatis litteras ad Magiſtratum dedit, ut Fr. Matthæus Catharenſis in ejus locum legeretur: idque fortaſſe in cauſſa fuit, miſſis in caſſum precibus, ut ſchola per biennium vacarit. Conductus eſt anno MDLXXXII. *Fr. Salvator Bartholuccius* Aſſiſienſis ex Conventualibus, magnus inter ſuos Philoſophus & concionator, florenis XC. qui anno MDXCIII. crevere ad CLXXX. In S. Theologiæ Collegium ſtatim admiſſus eſt decreto Senatus. Quædam ſcripſit ad Scoti doctrinam illuſtrandam, quæ laudantur a Tomaſino in l. 3. c. 7.

MDIC. V. kal ſept. *Fr. Cæſar Lippius* de Mordano con-

ductus est florenis LXXX. quibus anno MDCIII. additi sunt CXX. Sed cum hoc ipso anno ad Theologiam transisset, scholam hanc IV. non. oct. occupavit *Fr. Philippus Faber* Faventinus, attributis florenis C.

MDCVII. postridie id. oct. *Fr. Octavianus Strambiacus* Ravennas conductus est florenis C. qui postea aucti sunt ad CCL. Anno MDCXXIX. cum caussariam missionem obtinuisset, rediit in patriam, ubi vita decessit anno sequenti. De illo Tomasinus in Elogiis t. II. p. 299.

MDCXXIX. *Fr. Matthaeus Ferchius* Veglensis III. kal. febr. successit florenis CXX. & hoc ipso anno Theologorum Collegio adscriptus est sine examine, more nobilium, solutis per Patres & Episcopum ejus gratia Statutis.

MDCXXXI. III. kal. mart. *Ferchio* ad Theologiam translato, suffectus est *Fr. Franciscus Maria Vaccarius* de S. Joanne, qui tamen, cum Gymnasium pestilentiae caussa fuisset clausum, anno dumtaxat sequenti nonis febr. docere coepit. Attributi sunt illi floreni C. totidemque additi anno MDCXXXVI. Adeptus est etiam Theologorum Collegium ex decreto Senatus pridie kal. sextil. MDCXXXII.

MDCXLIV. IV. non. oct. Cum *Vaccarius* mente laborare coepisset, successit *Fr. Franciscus Betotus* Bononiensis, ex Logica traductus, florenis CC. qui bis aucti, anno MDCLIII. crevere ad CDL. Sed anno sequenti mortuus est.

MDCLIV. pridie kal. nov. *Fr. Antonius Cottonus*, Nicosiensis, ex Tertio Ordine S. Francisci, conductus est florenis CC. qui triennio post duplicati sunt. Anno MDCLVI. v. id. nov. cum publico carcere detineretur, suspensum illi stipendium est: sed anno sequenti cum liber exisset, non modo illi restitutum est, sed auctum quoque pridie id. febr. ad florenos D. Post mensem bona Principis venia Romam se contulit, pollicitus se cito rediturum: sed cum nimio plus reditum differret, rursus stipendio privatus est usque ad annum MDCLXXI. quo anno cum rediisset, aera illi denuo processerunt.

MDCLXXII.

MDCLXXII. pridie non. oct. cum *Cottonus* Romam migrasset non amplius rediturus, suffectus est florenis CC. *Fr. Antonius Maria de Blanchis* Venetus, ex Minoritis Observantibus, cognomento *Aristoteles*. Anno MDCLXXVI. III. non. febr. cum provinciæ suæ præfectus fuisset, Magistratus illi indulsit ob ingentem doctrinæ famam, ut pro libito abesset; interim autem, non secus ac docenti, æra procederent: quod abiit in exemplum; & jam, quæ exempli vis est, illis quoque conceditur, qui non sunt Aristoteles. Iterum ac sæpius auctum illi stipendium est; & quidem anno MDCXCII. usque ad flor. DL. Ejus laudes vide apud Patinum in Lyceo p. 64.

MDCXCIV. v. kal. sextil. Cum *Blancus* objisset, *Fr. Franciscus Roberti Maripetrus* Venetus ex Conventualibus conductus est florenis CL. qui anno demum MDCCXI. crevere ad CCCXX. Sed illo ipso anno mortuus est.

MDCCXIII. kalendis febr. *Fr. Alexander Burgos* Messanensis ex Romano accitus est Gymnasio florenis CCC. Vir ingenio promptus, sed memoria magis, statim edidit eruditam orationem de primæ Philosophiæ studiis, quo die inauguratus est, publice habitam. Anno MDCCXVIII. ejus gratia Historiæ Ecclesiasticæ schola instituta est, quam secundo & tertio anni curriculo, intermissa Metaphysica, diebus vacantibus profiteretur. Sed majus illi quiddam fata parabant. Anno enim MDCCXXVI. Catanensis Episcopus creatus est. Eadem tamen fata, quod illi dederant, una cum vita eripuerunt anno sequenti IV. id. febr. cum vix ad Ecclesiam suam pervenisset. In scholis Romanis dum doceret, Dissertationem ediderat de sacrarum Litterarum studiis.

MDCCXXVI. IV. non. jul. *Fr. Ferdinandus Darbius* Coneglanensis successit florenis conductus CL. Sed cum magnam sui expectationem movisset eleganti dissertatione, quam primam habuit atque edidit de Metaphysicis studiis, in ipso juventutis flore decessit ineunte anno MDCCXXX.

MDCCXXX.

MDCCXXX. IV. id. sextil. *Fr. Franciscus Maria Leonus* Veronensis eodem stipendio ad docendum accessit. Anno autem sequenti eruditum de Scepticismo tractatum emisit.

MDCCXXXVI. nonis dec. *Leono* ad Theologiam traducto, electus est *Fr. Bonaventura Luchius* Brixianus stipendio florenor. CL. quibus anno MDCCXLIII. additi sunt praeterea C. cum triennio ante, mutatis scholae hujus titulis, ad locum primum ascendisset.

MDCCXL. nonis maj. ad regendam scholam hanc, quae loci secundi Metaphysica & Logica dici coepit, conductus est *Angelus Sclavettus* Bergomas, S. Theologiae Doctor, & Canonicus Montissilicis, qui superioribus annis in Patavino Seminario cum laude docuerat, & Philosophica quaedam ediderat. Decretum illi stipendium est florenor. CCL.

MDCCXLIV. *Sclavetto* ad locum primum traducto, *Antonius Lavagnolus*, *Bartholomaei* Professoris filius, suffectus est, decreto stipendio florenor. CCL. Scholae ingeniose prolusit v. non. maj. confirmatusque est anno MDCCLVII. kal. april. additis stipendio ejus florenis CL. cum paucis ante diebus Metaphysica quaedam edidisset.



DE

DE S. SCRIPTURÆ SCHOLA.

Ad Libros omnes Veteris & Novi Teſtamenti.

SAcræ Paginæ Profeſſor primis Gymnaſii temporibus idem erat, qui nunc Theologus dicitur. Omnia enim Theologica ſtudia duobus veluti cardinibus vertebantur, quorum princeps Sacra Pagina erat, ideſt ſacrarum litterarum liber; ſecundarius Eccleſiæ placita, quæ Petrus Lombardus collegit, & quatuor ſententiarum libris complexus eſt. Poſtea duo quædam Theologiæ ſyſtemata certo ordine digeſta cum exiſſent, Thomiſticum, & Scotiſticum, paullatim diſciplina tota in duas has factiones abiit. Hinc æmulatio & contentio, quæ ſcholas diſputationibus occupavit uſque adeo, ut Sacræ Paginæ ſtudium, titulique ex eo orti pæne obſoleſcerent; Lombardi autem ſententiæ dumtaxat ad Laureæ conſequendæ examina retinerentur. Id non ſatis libenter tulere, qui Gymnaſium Patavinum moderabantur viri ſapientes: ſed temporum ratio habenda fuit. Attamen ut animi ſaltem & eruditionis gratia ad priſtina ſtudia homines allicerent, peculiarem S. Scripturæ ſcholam aperiri voluerunt, & diebus vacantibus aſſignarunt. Igitur anno MDLI. XVI. kal. octobr. decreto Senatus inſtituta eſt S. Scripturæ ſchola, & Magiſtro *Adriano Valentico* Veneto, ex Ordine Prædicatorum, qui Metaphyſicam in Gymnaſio profitebatur, commiſſa, confirmato illi ſtipendio ſuo florenorum C. Anno MDLX. juſſus eſt conferre ſe Venetias ad navandam Patriarchæ operam in cauſſis fidei, ſervato illi ſcholæ jure, ac ſtipendio; eademque de cauſſa eodem rediit XI. kal. ſextil. MDLXIII. majorum vacationum tempore. Anno poſt locum deſeruit, religionis Quæſitor Venetiis creatus, & mox Epiſcopus Juſtinopolitanus. De illo & ejus operibus Echardus in t. I. p. 218. & alii ab eo relati.

MDLXV.

MDLXV. III. id. april. *Magistro Adriano* successor datus est *Hieronymus Vielmius*, Episcopus Argolicensis, & Suffraganeus Episcopi Patavini, qui jam ante in Gymnasio fuerat primum Metaphysicus, deinde Theologus. Docuit stipendio florenorum CL. usque ad annum MDLXX. quo ad Æmoniensem Ecclesiam regendam missus est a Pio V. Obiit Venetiis anno MDLXXXII. cum quadriennio ante adjutorem sibi delegisset Alexandrum Avogarum Tarvisianum, & ad Superos anno superiore præmisisset. De ejus vita & operibus vide Fr. Seraphini Mariæ Maccarinelli Commentarium Brixiæ editum anno MDCCXLVIII. ante libros duos ejusdem *Vielmii* de D. Thomæ doctrina & scriptis.

MDLXXI. Cum *Vielmius* anno superiore Episcopus Æmoniensis creatus abiisset, suffectus est idibus maj. *Fr. Hieronymus Quainus* Patavinus Ordinis Servorum S. Mariæ, attributis florenis LX. quibus anno MDLXXVIII. totidem additi sunt. In Patavinum Theologorum Collegium adscriptus fuerat anno MDLII. cum Præses Provincialis esset. Obiit ipse quoque eodem anno MDLXXXII. pridie kal. febr. ut est in Actis Collegii Theolog. l. 7. p. 34.

MDLXXXIII. defuncto *Quaino*, pridie id. febr. *Alphonsus Sotus* Florentinus, ex Ordine Prædicatorum, conductus est argenteis C. Hinc triennio post ad Theologiam traductus est.

MDLXXXVII. VII. id. oct. *Fr. Jo. Franciscus Contarenus* junior, Patritius Venetus, ex Ordine Prædicatorum Observantium, ad scholam hanc electus est, cum Universitas frustra commendasset Fr. Jacobum Calicatam Drepanensem ex Carmelitis. Sed obiit biennio post.

MDLXXXIX. VI. kal. oct. *Fr. Franciscus Zambertus* Venetus, ex Ordine Carmelitarum, qui Metaphysicam in Ticinensi Gymnasio professus fuerat, ad hanc scholam accitus est florenis LXX.

MDXCIII. III. kal. nov. *Zamberto* defuncto, *Sotus* ex Theo-

Theologia ad Sacra Biblia est evocatus florenis CXXIV. qui anno MDCII. aucti sunt ad CC. Anno MDCVII. honestam missionem obtinuit, detractis florenis C.

MDCVII. III. kal. nov. *Fr. Aloysius de Albertis* Patavinus, ex Ordine Eremitarum, suffectus est florenis C. qui anno demum MDCXXII. aucti sunt ad CC. Extant ejus prælectiones in Gymnasio habitæ, apud Cœnobitas ejusdem Ordinis, ut refert Tomasinus de Patavinis Bibliothecis MSS. p. 76. Typis edidit Dissertationes de Operibus sex dierum, & de terrestri Paradiso anno MDCXVIII. de Prædestinatione, & Reprobatione anno MDCXXVII. Biennio post mortuus est, cum Provinciæ suæ præses esset. Eum in funere laudavit *Benedictus Bovius* ex Ordine Prædicat. S. Theologiæ Professor.

MDCXXIX. idibus mart. *Fr. Hieronymus Tursius* Florentinus, ex Ordine Prædicat. conductus est ad Sacras Litteras interpretandas florenis CC.

MDCXXX. postridie id. febr. *Fr. Albertus Campana* ejusdem patriæ atque instituti, ex Pisano Gymnasio accitus est florenis CC. Anno post pridie kal. oct. Theologis Patavinis est aggregatus sine examine, & sine expensis, laxatis de Collegii sententia per Episcopum statutis. Anno MDCXXXVI. kalendis mart. auctum illi stipendium est ad flor. CCC. Sed triennio post mortuus est. Lucani Pharsaliam versibus Etruscis exposuit.

MDCXLI. XIII. kal. sextil. *Fr. Adrianus Cardinalis* Genuensis, ex Ordine Prædicat. conductus est florennis CCC. attributis ad itineris impensas L. Biennio post mortuus est. Extant Commentaria ejus MSS. in S. Scripturam, quæ memorat Echardus T. II. p. 530. præter Orationes & Conciones aliquot.

MDCXLIV. v. id. januar. *Fr. Dominicus Paulatius* Phisconensis ex Etruria, Ordinis Prædicat. suffectus est florenis CCC. Sed huic quoque alter ab electionis anno finem docendi & vivendi attulit. Italica quædam edidit, quæ recensentur ab Echardo in t. II. p. 548.

MDCXLVI. x. kal. novembr. *Fr. Andreas Lao* Catanensis, ex Ordine Carmelitarum, successit florenis CCC. Sed cito ad suos rediit. De illo ejusque operibus vide Mongitorem in Bibliotheca Sicula t. I. p. 29.

MDCXLVIII. nonis februar. *Hieronymus Bendandus* Ravennas, Abbas Cassinensis, ex primo Logicæ loco ad Sacras litteras traductus est florenis CCC. quibus additi sunt CC. anno MDCLIV. Triennio post mortuus est. De illo & ejus operibus Papadopolus in t. I. p. 366.

MDCLX. xI. kal. mart. *Fr. Jacobus Zacchia* Ligur, ex Ordine Prædicat. conductus est florenis CCC. Anno MDCLXIII. facultatem obtinuit a Magistratu eundi Bononiam ad sui Ordinis comitia, servato stipendio, non secus ac si adesset. Hinc exemplum. Moriens opera quædam MSS. reliquisse dicitur, quæ refert Echardus t. II. p. 606.

MDCLXIII. idibus octobr. *Leo Mattina* Neapolitanus, Abbas Cassinensis, qui quadriennio ante Venetorum Ducum Elogia ediderat, conductus est florenis CCL. quibus centeni additi sunt anno MDCLXIX. Eunti in patriam domesticorum negotiorum caussa, quatuor mensium salarium in antecessum solutum est anno MDCLXX. postridie nonas febr. rescripto Triumvirali. Obiit anno MDCLXXVIII. mense februario: ejusque exequiis interfuere Collegii Theologici Patres violaceis insignibus tunc primum ornati, ut novum hoc Civitati spectaculum præberent.

MDCLXXVIII. nonis april. successit *Jo. Hieronymus Textorius* Niciensis, Abbas Cassinensis, florenis CCL. qui iterum ac sæpius aucti, anno demum MDCCVIII. crevere ad DCCL. Anno MDCCV. Romam profectus est ad generalia comitia, quod sui Ordinis Cancellarius esset, servato illi stipendio ex decreto Senatus. Obiit anno MDCCX. mense septembri. Vide Patinum in Lyceo p. 105.

MDCCX. exeunte, *Fr. Hyacinthus de Tontis* Anconitanus, ex Ordine Eremitarum, ob famam sacris concionibus partam

acci-

accitus eſt ad ſcholam hanc ſtipendio florenorum CCC. Nondum exacto ſexennio, obtinuit, ut Adventus & Quadrageſimæ tempore abeſſe poſſet Imperatori concionaturus. Anno MDCCXVIII. auctum eſt ſtipendium ejus ad florenos CDL. Sed ſtatim poſt miſſionem obtinuit, detractis florenis CCL. Obiit anno MDCCXXVI. pridie nonas ſeptembres, magis concionando, quam docendo & ſcribendo probatus.

MDCCXIX. XII. kal. oct. *Jo. Antonius Urſatus* Patavinus, Abbas Caſſinenſis, ſuffectus eſt florenis CC. qui anno demum MDCCXL. aucti ſunt ad DLX. Abfuit per annum & eo amplius, ut ſui Ordinis Monaſterium Romæ regeret, ſoluto illi ſtipendio ex decreto Senatus. Deceſſit immature anno MDCCXLIII. III. kal. novembr. Vir ſanæ ſolidæque doctrinæ, more & conſuetudine docuit famæ ſecurus.

MDCCXLIV. IV. non. maj. *Fr. Bonaventura Luchius* Brixianus, Minorita Conventualis, ex primo Metaphyſicæ loco traductus eſt, aucto præter ordinem ſtipendio ad florenos CCC. quibus anno MDCCLI. additi ſunt præterea CXXX. Diſſertationes duas edidit anno MDCCLV. *de Protoplaſtorum nuditate*, ac *de Serpente Tentatore*; duas item biennio poſt *de Trajectione maris Idumæi*, & *de Sacrificiorum origine*, ingenioſe graviterque ſcriptas.



DE HISTORIA ECCLESIASTICA.

INstituta eſt ſchola hæc decreto Senatus anno MDCCXVIII. XVI. kal. april. quam regeret *Fr. Alexander Burgos*, qui Scoti Metaphyſicam in Gymnaſio tradebat: & hoc quidem titulo additi ſunt anno proximo ſtipendio ejus floreni duceni. Cum autem annus litterarius in tres partes dividatur, ſuum ſibi penſum ita partitus eſt, ut in prima quidem Metaphyſicam de more explicaret diebus ordinariis; in ſecunda vero & tertia Hiſtoriam Eccleſiaſticam diebus vacantibus traderet. Ceterum, ut erat rei librariæ, & criticæ peritus artis, toto ſexennio in apparatu librorum exponendo verſatus eſt, donec anno MDCCXXV. Epiſcopus Catanenſis creatus munus deſeruit, antequam via & ratione docendi auſpicatus eſſet. Obiit anno MDCCXXVII. cum vix Catanam ægrotus attigiſſet. Vir fuit procul dubio doctrina litteriſque excultus: attamen opus ejus poſthumum de ſtudiis Theologicis, ex Dupino maxima parte ſumptum, non ſatis reſpondit expectationi, quam ipſe, dum viveret, magnifice pollicendo excitaverat. Defuiſſe tempus viro navo credendum eſt, non ingenium.

MDCCXXVI. IV. non. jul. conductus eſt ad hanc ſcholam *Joannes Checcotius*, Canonicus Vicetinus, florenis CCC. quam hora ſecunda matutina dierum vacantium exerceret. Cum Juris Doctor eſſet, in Theologia quoque probatus eſt ſine examine more nobilium, & ſine expenſis. Collegio etiam adſcriptus eſt, & inter Promotores ſtatim relatus; quod nihil negandum videretur ingenti hominis famæ, quam ſibi voce in patria ſua ſcriptiſque pepererat. Sed anno MDCCXXIX. in vincula apud religionis Quæſitores cum incidiſſet, privatuſque docendi jure fuiſſet, ſchola quoque ipſa, quaſi de cælo tacta, non ipſi modo, ſed omnibus clauſa eſt. Memoria plurimum valuit, ingenioque fuit certe magno, quamvis non

ſatis

ſatis illuſtri atque explicato. Statim atque ad docendum acceſſit, erudita quædam emiſit, ſubtiliterque excogitata, ſed ſuo quodam dicendi genere non tam expoſita, quam coacervata. Ad ejus autem doctrinam ſingularis quædam acceſſit vitæ morumque diſciplina; qua ſibi, ad ſuos cum rediiſſet, priſtinam exiſtimationem brevi recuperavit. Itaque anno MDCCLVI. cum objiſſet, ipſi quoque civitatis primores mœſti atratique, ut eſt natio ad officia admodum prona, funus comitari voluerunt.

MDCCXLIII. xv. kal. febr. excitata rurſus Eccleſiaſtica Hiſtoria eſt Theologi Scotiſtæ gratia *Franciſci Mariæ Leoni*; iiſdemque conditionibus ipſi commiſſa, quibus eam *Burgos* Metaphyſicus olim obtinuerat; videlicet ut ſcholam utramque regeret, ſed Theologiam quidem prima dumtaxat anni litterarii parte, Hiſtoriam ſecunda & tertia; illam diebus ordinariis, hanc extraordinariis. Quam primam habuit diſputationem, pro ingenii ſui fecunditate, adnotationibus plurimis illuſtravit, typiſque edidit.



DE

DE PRIMA PHILOSOPHIÆ ORDINARIÆ SCHOLA.

Compositis post bellum rebus, Philosophi quoque ad munia rediere: sed cum reperiretur nemo, qui locum Ordinariæ Philosophiæ primum tenere pro dignitate posset, duo sunt Professores in secundo collocati, donec anno demum MDXX. III. non. septembr. conductus est *Joannes Montisdocha* Hispanus argenteis DC. Anno vix elapso, confirmatus est, aucto stipendio ad rationem ducati aurei libellarum septem. Cum decessisset, suffectus est anno MDXXV. idibus octobr. *Marcus Antonius Zimarra* Hydruntinus, stipendio florenor. CDL. Non docuit ultra triennium, quod barbarus haberetur Averrhoista, ut scribit Petrus Bembus ad Rhamnusium pridie non. octobr. MDXXVI.

MDXXXI. Cum locus biennio vacasset, XVI. kal. novembr. accitus est *Marcus Antonius Passera*, al. *de Passeribus*, al. *Genua*, unde gens venerat, quamvis ipse natus Patavii esset. Hoc ipso anno III. id. sextil. scholam hujus classis secundam deseruerat, ut est in Actis t. I. p. 49. Constitutum illi stipendium est florenor. CCC. auctumque ad D. anno MDXXXV. Cum magnam sibi doctrinæ famam tota Italia comparasset, studiosi juvenes amplius trecenti ejus scholam frequentabant. Inter hos Daniel Barbarus Venetus Patritius singulas ejus acroases, simul atque exceperat, carminibus ligabat, ut est in epistola Casparis Contareni in Codice Manuscripto Bibliothecæ Seminarii Patavini pag. 120. Dati sunt illi ex decreto Senatus III. nonas decembr. MDXLV. ad filiam collocandam floreni DC. aucto insuper stipendio usque ad DCCC. anno MDLIX. Postrema ætate titulum obtinuit *Supraordinarii*, non solum non imminuto stipendio, sed etiam aucto, ut est apud Papadopolum t. I. p. 314. & apud

Toma-

Tomasinum in Elogiis t. I. p. 100. ubi ejus laudes & opera recensentur. Obiit anno MDLXIII. familiæ ultimus. In bona ejus successere Comites de Panico ex filia nati, ipsamque ejus domum adhuc habitant. Ne illud quidem omittendum puto, quod Scardeonius scribit l. 2. Class. IX. p. 215. *Nicolaum* quoque ejus patrem, Philosophum & Medicum celeberrimum, per annos multos, antequam senium attingeret, publice docuisse.

MDLXIV. III. non. sept. Cum *Genua* anno superiore mortuus esset, nec inveniret Magistratus quem Viro tam celebri successorem daret, non tamen idcirco secundi loci Professorem carere antagonista voluit. Placuit, duos esse Professores scholæ hujus secundarios.

MDLXV. pridie id. oct. *Franciscus Carolus Piccolomineus*, & *Federicus Pendasius*, loco & stipendio æquati, ex secunda hujus Classis sede huc simul migrarunt florenis CCCL.

MDLXXI. IV. kal. nov. Cum *Piccolomineus* sine collega, qui Bononiam transierat, remansisset, auctum illi stipendium est ad florenos sexcentenos, subinde vero anno MDLXXXIX. ad scuta millena; quæ summa illi, dum viveret, perpetua esset. Mortuus est in patria anno MDCIV. De ejus nobilitate, doctrina, & operibus Tomasinus in Elogiis, & Papadopolus in t. 1. p. 339.

MDCI. IX. kal. jul. cum *Piccolomineus* ætatis vacationem obtinuisset, *Cæsar Cremoninus* Centensis ex secundo loco traductus est florenis DC. qui iterum ac sæpius aucti, anno MDCXXIX. crevere ad bis millenos. Tantam Principis liberalitatem sustinuit doctrinæ fama usque ad annum MDCXXXI. quo peste absumptus est, cum annos vixisset octoginta. De illo copiose scribit Papadopolus in t. 1. p. 359. & Borsettus in Historia Gymnasii Ferrariensis t. 2. p. 204. ubi ejus opera recensentur, & laudatores. Aristotelis Genius, & Græcorum interpretum Lucerna dictus est, ut refert Capassius Histor. Philos. l. 4. c. 6. Non caruit impietatis suspicione; ma-

gisque

gisque libertatis Philosophicæ, quam religionis studiosus, ex Aristotelis doctrina dubia & ancipiti aliquando contendit, excessu vitæ totum hominem deleri. Attamen morti proximus errorem suum agnovit, veniamque a Deo petiit his verbis, quæ testamento præmisit: *In Philosophia totus fui. Siquid philosophando peccavi, memento, me esse hominem, cui innatum est peccare; te vero esse Deum, cui proprium est misereri & parcere.* Funus oratione, & libello de ejus laudibus edito celebratum est.

MDCXXXII. IV. id. jul. *Joannes Thomas Ziliolus* ex Gymnasio Perusino evocatus florenis MCC. quæ summa haud scio an ulli ante hoc tempus contigerit primum accedenti ad vires Patavii experiundas. Et ne quid deesset ad Principis liberalitatem declarandam, attributi sunt illi floreni CL. itineris gratia.

MDCXXXVII. VII. kal. oct. mortuo *Ziliolo*, *Joannes Cottunius* Macedo ex primo Philosophiæ Extraordinariæ loco ad hunc traductus est stipendio suo, quod iterum ac sæpius auctum est usque ad florenos MCM. Ex bonis suis Collegium condidit, ad Græcam juventutem litteris instituendam, quod Cottunianum dicitur. Decessit anno MDCLVIII. vitamque ejus & operum catalogum habes apud Papadopolum t. I. p. 368.

MDCLXI. VII. kal. febr. *Claudius Beriguardus* Gallus in hunc locum ex secundo traductus est florenis MCD. Sed obiit triennio post. De illo Papadopolus t. I. p. 370. Adde sepulchri titulum honorificentissimum in æde S. Sophiæ, ubi dicitur Gallicæ luis profligator. Commentarii ejus Philosophici, qui inscribuntur *Circuli Pisani*, adhuc amatores habent: sed periculosi sunt, & Pyrrhonismo proximi, ut recte ostendit Petrus de Villemandy in *Scepticismo debellato*.

MDCLXV. pridie non. febr. *Abbas Anastasius Galdiolus* Vicetinus, Præses Generalis Monachorum Cassinensium, ex secundo loco translatus florenis CD. Commendatur in decreto

Sena-

Senatus, quod tantæ dignitatis fastigium non putaret sibi ad docendum impedimento esse.

MDCLXVII. kalendis octobr. cum *Galdiolus* obiisset, accitus ex Pisano Gymnasio est *Co. Carolus Renaldinus* Anconitanus, non Philosophus modo, sed & Mathematicus, & Theologus, florenis MCC. qui postea crevere ad octingenos supra mille. Anno MDCIIC. ætatis vacationem obtinuit, servatis florenis in reliquæ vitæ annos quingenis. Ejus opera magnis voluminibus comprehensa, qua de re gloriari solebat, recenset Papadopolus in t. I. p. 382. ex Patino, qui de eo scribit in Lyceo Patav. p. 52.

MDCC. XVII. kal. maj. *Michael Angelus Fardella* Drepanensis ex schola Astronomiæ traductus florenis D. quibus CC. additi sunt anno MDCCVII. Multiplici ingenio varioque cum esset, triennio post abdicavit Barcinonem profectus ad Carolum Hispaniarum Regem, cujus Theologus, & Mathematicus creatus est. Obiit Neapoli anno MDCCXVIII. In prima adolescentia Tertio S. Francisci Ordini in patria se se addixerat. Coactus solum vertere, Venetias migravit, institutique mutandi rationem quæsivit, quo facilius, ut tum res erant, in hoc Gymnasium reciperetur. Utrumque rite recteque obtinuit. Philosophus fuit ex nova Cartesii schola: ideoque Aristotelem cum interpretari deberet ex legibus Gymnasticis, aperte oppugnabat, additis etiam interdum conviciis, quæ naturali quadam vocis asseveratione ita firmabat, ut minus peritæ juventuti videretur jure meritoque conviciari. Valuit tamen ad ciendam in scholis æmulationem. De ejus vita, & operibus ab eo scriptis Papadopolus t. I. pag. ult. & Niceronus vol. 12. p. 399.

MDCCXI. nonis sept. provinciam, quam *Fardella* ultro deseruerat, iniit *Joannes Gratianus* ex loco secundo traductus florenis CD. qui multiplicatis auctariis crevere ad quadringenos supra mille anno MDCCXXVII. Post annos septem caussariam missionem obtinuit, servatis florenis DCCC. Obiit XI.

kal. april. MDCCXLIV. Ætate prima cum Dominicanæ Familiæ nomen dedisset, Thomistica studia delibavit. In Gymnasticis tamen disputationibus Gassendo fere usus est; quod genus Philosophiæ elegantiam capit, & loco mirifice congruit. Laus hominis propria & peculiaris fuit, ut obscura quælibet dilucide explanaret, tum vero etiam pro rerum natura facunde. Scripsit de Gestis Francisci Mauroceni Peloponnesiaci, de Thermis Patavinis, & de Fonte Recubarii: quæ opera jure laudantur a Papadopolo in t. 1. p. 173. Historiam quoque rerum Venetarum ab anno Christi MDCXV. usque ad sæculi finem Latinis litteris consignavit, magno utique orationis nitore, sed stilo alicubi ob nimium imitationis studium non satis æquali. Dum Livii sibi vultum imponere studuit, suum prope deformavit. Ceterum in omnibus, quæ scripsit, viri magni signa & argumenta extant.

MDCCXLIV. III. kal. mart. in *Gratiani* locum suffectus est *Joseph de Suzzis* Forojuliensis florenis CD. Famam sibi non tam Philosophicis, quam Mathematicis studiis pepererat, cum *Disquisitiones Mathematicas*, & Opuscula emisisset alia doctis viris probata. Assidue docet non in Gymnasio modo, sed etiam domi; omnesque sui muneris partes sine fuco explet. Anno MDCCLI. xv. kal. oct. auctum illi stipendium est ad florenos DC. quibus additi sunt duceni extra ordinem quinquennio post, quod fluminum exundationibus coercendis operam impendisset.

DE

DE SECUNDO PHILOSOPHIÆ ORDINARIÆ LOCO.

ANno MDXVII. Venetis rebus pace compositis, XII. kal. dec. *Nicola Priscianus* Ferrariensis, & *Hieronymus Bagolinus* Veronensis conducti sunt pari loco, & stipendio florenor. CL. *Prisciano* autem anno MDXX. tributi sunt præterea viceni: sed ejus nomen in libris Quæstoriis post annum hunc non amplius apparet. *Priscianum* ego *Nicolam* dixi, quo nomine signatum vidi in albo Ferrariensis Gymnasii anno MDVII. ne cum *Nicolao Prisciano* confunderem Logicæ Professore, indidem accito anno MDXVIII. De *Bagolino* Græce Latineque docto, & operibus ejus vide Maphejum in Verona illustrata l. 4. p. 168.

MDXXI. pridie idus febr. *Bernardus Porrus* (qui *Brandaporus* dicitur a Riccobono lib. I. p. 28. & 29.) Castilionæus ex Papiensi Gymnasio evocatus florenis CCL. Anno post XI. kal. nov. in Rotuli confirmatione exclusus est, sed postea meliorum inopia confirmatus ad annum.

MDXXIII. pridie id. nov. dimisso *Porro*, ex Philosophia extraordinaria translatus est *Marcus Antonius de Passeribus*, vulgo *Genua*, florenis LXXX. quibus additi sunt præterea C. anno MDXXIX.

MDXXXI. cum *Genua* locum hunc deseruisset ad primum traductus, nonis nov. suffectus est *Vincentius de Madiis* Brixianus florenis CXXV. qui aucti sunt ad CCC. anno MDXXXV.

MDXLIII. VII. id. oct. *Abraccius Apulus* ex primo Philosophiæ Extraordinariæ loco translatus florenis CL. qui paullatim aucti anno demum MDLVI. crevere ad CCC.

MDLXIV. XV. kal. febr. *Apulo* ad primum Philosophiæ extraordinariæ locum remisso, ex illo ipso huc demigravit *Franciscus Carolus Piccolomineus* florenis CCL. Eodem anno

III. non. sept. *Federicus Pendasius* Mantuanus collega datus est *Piccolomineo* pari loco ac stipendio florenor. CCL.

MDLXXVII. VI. kal. april. *Archangelus Mercenarius* ex Monte Sancto locum hunc jamdiu vacuum occupavit ex primo Philosophiæ Extraordinariæ traductus florenis CCCLX. quibus additi sunt præterea C. anno MDLXXXIV. Sed eodem anno ex improviso discessit, ut constat ex litteris Universitatis ad Magistratum datis VI. id. jun. in quibus queritur, quod nulla petita venia *Mercenarius* abiisset, magnamque discipulorum copiam deseruisset, quibus consulere oportebat, ne turbas excitarent.

MDLXXXV. postridie non. sept. *Co. Jacobus Zabarella* ex primo Philosophiæ Extraordinariæ loco traductus florenis CDX. quadriennio post obiit, laudatusque est in funere a Riccobono Humanitatis Professore. Ejus merita complexi sunt etiam Tomasinus in t. I. Elog. p. 136. & ex eo Papadopolus in t. I. p. 331. Ex multis ejus de Philosophia Peripatetica commentariis longe eminent, quæ in duos Posteriorum Analyticorum libros scripta reliquit. Ceterum quantam sibi existimationem & benevolentiam comparasset, illud argumento est, quod aureos mille ex ærario ad ejus filiam collocandam Senatus dari jussit.

MDXC. IX. kal. decembr. *Cæsar Cremoninus* Centensis ex Gymnasio Ferrariensi evocatus florenis CC. qui duplicati sunt anno MDXCVIII. Triennio post ascendit ad locum primum.

MDCI. XIII. kal. nov. *Georgius Ragusæus*, incerto patre natus, cum Theologiam Canonicis S. Mariæ de Avantio explicaret, in Gymnasium traductus est florenis CD. qui anno MDCXV. aucti sunt ad DCL. Septennio post cum obiisset, ejus bona fisco cessere. De ejus vita & operibus Tomasinus in Elogiis t. I. p. 338. & Papadopolus t. I. p. 349.

MDCXXII. x. kal. maj. *Fortunius Licetus* Genuensis ex primo Philosophiæ Extraordinariæ loco traductus florenis DCCC. quibus præterea CC. additi sunt anno MDCXXXI.

Sed

Sed quinquennio post fidem suam Bononiensibus obstrinxit.

MDCXXXVI. XIII. kal. jun. cum *Licetus* abiisset, *Claudius Beriguardus* Gallus ex Pisano Gymnasio accitus est florenis DCCC. præstitis præterea centum ad itineris impensas. Quamvis autem secundum locum teneret, *Cottunio* Collegæ æquatus est, Collegii jure, titulis, & commodis omnibus concessis, quæ loco primo tribui solent. Id enim in conditionibus esse voluit, cum oblatum docendi munus recepit. Ejus stipendium anno MDCLIX. crevit ad florenos MCD.

MDCLXI. III. kal. maj. cum *Beriguardus* ad primum locum migrasset, suffectus est *Anastasius Galdiolus* Vicetinus, Monachus Cassinensis, qui primum Philosophiæ Extraordinariæ locum tenuerat, florenis CD.

MDCLXV. *Galdiolo* ad locum primum translato, nonis sept. *Jacobus Cadenedus* Scotus ex prima Logicæ schola traductus est stipendio suo florenorum CCC. qui anno MDCLXXVII. crevere ad DCC.

MDCLXXIX. *Cadenedus* cum obiisset, pridie kal. sept. *Vitalis Terrarubea* Parmensis, Monachus Cassinensis, accitus est ex Bononiensi Gymnasio florenis CC. quibus præterea C. additi sunt anno MDCLXXXV. Sexennio post obiit. Ejus locum Bononienses, quamdiu vixit, vacare voluerunt honoris gratia. De illo Patinus in Lyceo p. 117.

MDCXCII. XVII. kal. sextil. *Franciscus Spoletus* Etruscus ex primo Philosophiæ Extraordinariæ loco translatus florenis CD. Anno post, aucto stipendio ad florenos DC. transiit ad secundam Practicæ Medicinæ scholam.

MDCXCIV. XII. kal. sextil. *Alexander Busenellus* Venetus, Monachus, postea Abbas Cassinensis, successit florenis CL. quibus C. additi sunt anno MDCCIV. Obiit anno MDCCVII. eumque ego in funere laudavi.

MDCCIX. XII. kal. april. *Joannes Gratianus* Bergomas ab Astronomiæ schola huc translatus stipendio suo florenorum CCL. qui aucti sunt ad CD. anno MDCCX.

MDCCXV.

MDCCXV. v. kal. jun. cum *Gratianus* ad locum primum ascendisset, *Marchio Joannes Polenus* Venetus, qui Astronomiam & Meteora explicabat, huc migravit stipendio suo florenorum CCL. qui aucti sunt ad CD. anno MDCCXVI.

MDCCXX. VI. id. jun. *Poleno* ad Mathesim evecto, suffectus est florenis CC. *Aloysius Blasius Speronus* Patavinus, qui annis superioribus tertium Logicæ, & Philosophiæ Extraordinariæ locum tenuerat. Quinquennio post caussariam missionem obtinuit, detractis florenis C. Obiit idibus sept. MDCCXXIX. & in eo Speronum familia longe nobilissima defecit.

MDCCXXVII. pridie nonas jan. *Joannes Antonius Vulpius* Bergomas conductus florenis CXX. qui anno MDCCXXXIII. aucti sunt ad CCCLXX.

MDCCXXXVII. XVI. kal. maj. *Vulpio* ad Humanitatis scholam traducto successor datus est *Jo. Baptista Marchettus* Patavinus florenis CL. quibus centeni additi sunt anno MDCCXLIII. Hic locum tertium Philosophiæ extraordinariæ quinquennio ante deseruerat. Anno MDCCLI. XVI. kal. oct. auctum est stipendium ejus ad flor. CCCL.



DE

DE PRIMA PHILOSOPHIÆ EXTRAORDINARIÆ SCHOLA.

ANno MDXVII. xvII. kal. oct. *Antonius de Fantis*, qui ſcholas alias ſuperioribus annis Patavii rexerat, conductus eſt florenis C. ut in Actis. Ejus tamen nomen in libris Quæſtoriis non apparet. Anno ſequenti IX. kal. ſept. commiſſa ſchola eſt *Marco Antonio de Paſſeribus*, vulgo *Genuæ* florenis XL. quo ſtipendio ſecundam rexerat anno præterito.

MDXX. poſtridie nonas febr. *Andreas de Alleottis* Patavinus, conductus florenis LXVII. In novi Rotuli confectione confirmatus eſt, ita tamen, ut antagoniſta ejus *Conſalonerius* par loco & ſtipendio eſſet. Propterea cum doceret *Conſalonerius* florenis dumtaxat XX. additi ſunt illi ex Collegæ ſtipendio XIII. cum dimidio.

MDXXI. v. kal. oct. idem *Marcus Antonius Genua* evocatus florenis LX.

MDXXIII. pridie idus nov. *Jo. Baptiſta Conſalonerius* ex loco ſecundo traductus florenis C.

MDXXVIII. IV. kal. nov. *Vincentius Madius* Brixianus conductus florenis XLVII.

MDXXIX. kal. novemb. *Vincentius Catena* Vicetinus ex loco ſecundo translatus florenis XLVII.

MDXXXI. kal. nov. *Abraccius Apulus* florenis conductus eſt ſeptenis ſupra quadraginta, quibus XIII. additi ſunt anno MDXXXV. viceni autem quadriennio poſt, totidemque anno MDXLII. quo vertente ad ſecundam Philoſophiæ ordinariæ ſcholam tranſivit, ſtipendio rurſus aucto.

MDXLIII. III. id. oct. *Hieronymus Stephanellus* ex loco ſecundo traductus florenis CXXV. qui aucti ſunt ad CLXXX. anno MDXLVI. Triennio poſt cauſſariam miſſionem obtinuit, pollicitus ſe rediturum, ſi quando convaluiſſet. Obiit anno MDLIV.

MDL.

MDL. Vacavit locus primus, *Alberto*, & *Pavesio* locum secundum pari conditione tenentibus.

MDLI. *Jo. Gabriel Albertus* Pedemontanus ex secundo loco traductus decreto Senatus anni superioris florenis CXL. qui semel atque iterum aucti crevere ad CCL. anno MDLIX. quo ipso anno docere ac vivere desiit. Quidam Cœnobitam faciunt, errore typographico decepti in Tomasini Bibliotheca MSS. p. 78. ubi est *Fr.* pro *Jo.*

MDLXI. VIII. kal. febr. *Franciscus Carolus Piccolomineus* Senensis florenis CLX. ex Gymnasio Perusino accitus. Triennio post ad secundam Philosophiæ Ordinariæ scholam translatus est, subinde vero ad primam.

MDLXIV. IV. non. dec. *Abraccius Apulus* ex secundo Philosophiæ Ordinariæ loco huc revocatus florenis CCCL.

MDLXVII. VI. kal. maj. *Archangelus Mercenarius* Picens ex loco secundo translatus florenis CXXX. qui anno MDLXXIV. aucti sunt ad CCCLX.

MDLXXVII. VII. kal. april. *Co. Jacobus Zabarella* ex secundo loco traductus florenis CCLX. qui aucti sunt ad CCCL. anno MDLXXXIV.

MDLXXXV. IV. non. sept. cum *Zabarella* ad Ordinariam transiisset, *Joannes Carpenetus* ex loco hujus classis tertio traductus est florenis C.

MDLXXXIX. IV. kal. oct. *Octavius Roccius* Brixianus conductus florenis L. sed obiit idibus juliis anni sequentis.

MDXCI. IX. kal. sept. *Camillus Bellonus* Venetus conductus florenis L. quibus centeni additi sunt sexennio post. Rursus autem anno MDCI. III. non. nov. auctum illi stipendium est ad florenos CCL. addita conditione, ut præter ordinariam scholam Aristotelis Meteora diebus vacantibus interpretaretur sine intermissione ulla usque ad kalendas julias. Anno MDCVIII. dimissus est.

MDCIX. VIII. kal. sept. *Fortunius Licetus* Genuensis e Gymnasio Pisano evocatus florenis CCCL. qui post sexennium aucti

aucti sunt ad DC. Hoc tempore maxima erat scholarium frequentia, ut ex hoc ipso Senatus decreto constat. Itaque largiora stipendia esse cœperunt.

MDCXXII. *Liceto* ad Ordinariam Philosophiam traducto, *Bellonus* revocatus est x. kal. sept. stipendio florenorum DC. cum duobus ante mensibus repulsam tulisset. Anno MDCXXXI. confirmata illi schola est, additis florenis centenis. Sed eo ipso anno peste absumptus interiit.

MDCXXXII. v. kal. nov. *Joannes Cottunius* Macedo, Eques S. Georgii, ex Bononiensi Gymnasio, ubi Humanitatem tradebat, accitus est florenis DCCC. Quinquennio post ascendit ad locum primum Ordinarium.

MDCXXXVII. XVI. kal. dec. *Marius Mazzolenus* Patavinus ex secundo loco translatus florenis DCL. qui anno demum MDCXLVI. aucti sunt ad MCC.

MDCLI. nonis mart. *Anastasius Galdiolus* Vicetinus, Abbas Cassinensis, ex loco secundo traductus florenis CL. qui aucti sunt ad CCXX. anno MDCLVI. Novem post annis ad locum primum Ordinarium ascendit.

MDCLXIII. XVIII. kal. jan. *Petrus Franzanus* Vicetinus ex secundo Logicæ loco traductus florenis D. qui iterum ac sæpius aucti crevere ad CM. anno MDCLXXVII. Quadriennio post obiit.

MDCLXXXI. IX. kal. sextil. *Nicolaus Calliachius* Cretensis ex prima Logicæ sede traductus stipendio suo florenorum CCL. quibus præterea CC. additi sunt anno MDCLXXXIII.

MDCLXXXVII. IV. non. april. *Calliachio* ad Humanitatem translato, *Joannes Cicala* Cyprius ex secundo loco traductus est stipendio suo florenorum D. Sed paullo post mortuus est. De illo Patinus in Lyceo p. 58. & Papadopolus in t. I. p. 376.

MDCLXXXIX. nonis febr. *Franciscus Spoletus* Etruscus conductus florenis CD.

MDCXCII. IV. kal. octobr. *Thomas Cataneus* Cydonius locum

locum hunc occupavit, ſublato ſecundo, quem tenebat, florenis ducenis. Anno MDCXCIV. duplicatum illi ſtipendium eſt, ſed primo conſequentis ſæculi anno ſponte abdicavit; famaque contentus jam acquiſita, ſibi Venetiis vixit uſque ad XXV.

MDCCIII. IV. kal. april. *Ludovicus Saccus* Parmenſis conductus florenis CCCL.

MDCCIX. XII. kal. mart. mortuo *Sacco* ſuffectus eſt *Proſper Brexellus* Mutinenſis florenis CCL. qui aucti ſunt ad DL. anno MDCCXXVIII. Triennio poſt vacare juſſus eſt, liberaliter conceſſis ex ſtipendii ſumma florenis CCLXXV. Obiit in patria admodum ſenex anno MDCCLV.

MDCCXXXI. III. kal. dec. *Laurentius Soardus* Utinenſis conductus eſt florenis CCLXXV. qui anno demum MDCCXLVIII. nonis mart. crevere ad CDXXV. De naturali ad honeſtatem inſtitutione graviter nitideque ſcripſit anno MDCCLV.



DE

DE SECUNDA PHILOSOPHIÆ EXTRAORDINARIÆ SCHOLA.

ANno MDXVII. xii. kal. dec. *Marcus Antonius de Passeribus*, al. *Passera*, vulgo *Genua*, Patavinus, conductus est ad regendam scholam Philosophiæ Extraordinariæ secundam florenis quadragenis. Sed cum cito ascendisset ad primam, successit anno sequenti ix. kal. sept. *Jo. Baptista Confalonerius* Veronensis, qui superioribus mensibus Logicam tradiderat. Merere cœpit vicenis; sed anno MDXX. æquatus est *Andreæ de Alleottis* locum primum tenenti, additis stipendio ejus florenis XIII. cum dimidio, iisque non ex ærario attributis, sed ex Collegæ salario detractis. Anno MDXXII. obtinuit florenos LX. adjecta conditione, ut cederet loco primo.

MDXXIII. postridie non. nov. *Spero de Speronibus*, Bernardini filius, Patavinus, qui in prima Logicæ schola ingenii specimen dederat, conductus est, Patris gratia, florenis centenis. Anno MDXXVI. iii. kal. novembr. Patre Gymnasium deserente, confirmatus est, detractis florenis XX. multis tamen laudibus additis. Docuit non vernacula lingua, ut perperam Thuanus scribit, sed Latina, quæ sola in Patavinis scholis locum habet. Biennio post abdicavit, seque totum politiorum litterarum studiis dedit, habitusque est hoc in genere ætatis suæ princeps. De illo Riccobonus in Oratione funebri, Tomasinus in Elogiis t. 1. p. 86. & Niceronus vol. 39. p. 42. Opera ejus omnia collecta sunt, & Venetiis edita anno MDCCXL. Ex Præfatione falsa quædam tolli Magistratus jussit, quæ tamen in exemplaribus multis adhuc extant sine typographi boni viri culpa.

MDXXVIII. iv. kal. nov. *Vincentius Catena* Vicetinus conductus florenis XX. quem excepit anno post eodem stipendio civis ejus *Octavianus Tabula*. Hic vero anno MDXXX.

 xiii.

XIII. kal. sept. confirmatus est, sed sine auctario. Post menses paucos recessit.

MDXXXI. IV. idus nov. *Andreas Barattus*, al. *Bracatus*, Senensis conductus est florenis XX. cum *Christophorus de Federicis* Bergomas mense augusto electus sponte abdicasset. Sed ne hic quidem diu docuit: scholamque occupavit kalendis nov. MDXXXII. *Petrus Siculus* solito conductus stipendio, cui anno sequenti suffectus est *Vincentius Silvius* Dalmata; sed Gymnasio abstinuit. Cum autem schola quinquennium vacasset, denique anno MDXXXIX. idib. oct. in eam venit *Hieronymus Stephanellus* Patavinus ex tertio loco, florenis traductus octogenis. Anno MDXLII. auctum illi stipendium est ad florenos C.

MDXLIV. III. kal. mart. *Cassianus Landus* Placentinus conductus florenis LXXX. Anno post ad Medicinæ Theoricæ Extraordinariæ locum primum traductus est.

MDXLV. XVII. kal. febr. *Jo. Gabriel Albertus* Pedemontanus ex Logica deductus per litteras Triumvirales, ut ad tempus doceret stipendio suo florenorum XXV. Eodem anno nonis nov. quod expectationi satisfecisset, & antagonistam disputando superasset, Triumviri eum confirmarunt, aucto stipendio ad florenos LX. idque Senatus ratum esse jussit anno MDXLVI. VII. id. oct. additis florenis XL.

MDL. *Jo. Jacobus Pavesius* Calaber per litteras Triumvirales docuit florenis LX. una cum *Alberto*. Anno autem post, cum *Albertus* ad locum primum transisset, *Pavesius* in hoc confirmatus est decreto Senatus, additis ejus stipendio florenis XX. Rursus anno MDLIX. florenos obtinuit LXX. Illud est memoratu dignum, quod cum anno MDLV. in disputationibus, quas Circulares vocant, *Pavesius*. & *Albertus* acriores fuissent, non sine convicio accusantes se invicem, uterque ab Universitate damnatus est. Anno MDLX. idibus mart. concessum *Pavesio* est, ut per mensem abesse posset, suspenso interim stipendio: sed cum Romam se contulisset, non amplius rediit.

MDLXI.

MDLXI. x. kal. april. *Archangelus Mercenarius* ex Monte Sancto cum anno superiore, absente *Pavesio*, vicariam operam Gymnasio præbuisset, conductus est ad hunc locum florenis LXXX. quibus anno MDLXIV. additi sunt L.

MDLXVII. IV. id. jul. *Bernardinus Petrella* ex secundo translatus Logicæ loco florenis LXXX. Sed biennio post ad Logicam redire cum maluisset, ex loco ejus scholæ primo ad hunc accitus est *Co. Jacobus Zabarella*.

MDLXXVII. cum *Zabarella* ad locum hujus classis primum ascendisset, III. non. maj. *Joannes Carpenetus* ad secundum hunc ex tertio traductus est florenis L. Anno MDLXXIX. III. kal. aug. intermissa est schola hæc cum aliis pluribus decreto uno comprehensis. *Carpenetus* tamen jure conductionis locum tenuit toto anno MDLXXX. Postea rediit ad tertium imminuto stipendio ad florenos XX. pro scholæ conditione.

MDCX. pridie non. febr. restituta schola est in gratiam *Marii Mazzoleni* Patavini, cum ingenii specimen extra ordinem docendo dedisset. Iterum ac sæpius confirmatus aucto stipendio, anno demum MDCXXXV. obtinuit florenos DCL.

MDCXXXVII. VII. kal. oct. *Hector Bellirotus* Patavinus ex tertio loco traductus florenis C. obiit quadriennio post, cum Ecclesiam regeret S. Leonardi. Ædi apposita inscriptio est exaggerata pro talium rerum & temporum natura.

MDCXLIII. nonis febr. *Carolus Emmanuel Vizzanus* Bononiensis ex prima Logicæ sede translatus florenis CD. Biennio post Romam migravit, ubi caussis agendis operam dedit, & Vaticanæ Basilicæ Canonicus creatus est. V. Papadopolum t. I. p. *369*.

MDCXLV. XVIII. kal. febr. cum *Vizzanus* abjisset, successit *Andreas Corradinus* Patavinus florenis LXXX. qui triennio post mortuus est, anno ætatis tertio & trigesimo.

MDCXLVIII. IV. kal. oct. *Anastasius Galdiolus* Vicetinus, Monachus Cassinensis, conductus florenis CL. Cum esset Theologo-

logo-

logorum Collegio adscriptus, sæpe adhibitus inter Promotores est honoris gratia.

MDCLI. v. kal. jun. *Co. Julius Clemens Scotus* Placentinus conductus florenis CXX. totidemque triennio post *Æneas Albertus Lucius* Patavinus.

MDCLXI. postridie non. sextil. *Valerianus Bonvicinus* Veronensis conductus est florenis CL. Anno post, exeunte aprili, jus a Senatu obtinuit Collegii Medici.

MDCLXVIII. x. kal. oct. mortuo *Bonvicino*, successit *Joannes Cicala* Cyprius, ex Logica traductus stipendio suo florenorum CLXXX. qui semel atque iterum aucti crevere ad D.

MDCLXXXVII. xvi. kal. maj. *Cicala* ad locum primum evecto, suffectus est acuti ingenii vir *Thomas Cataneus* Cydonius florenis CC. sed anno proximo xii. kal. sextil. Senatus decrevit, ut rursus clauderetur schola hæc. Clausa autem est anno MDCXCII. quo *Cataneus* ad locum primum progressus est.

MDCXCV. nonis maj. *Antonius Ronconus* Utinensis obtinuit, ut schola vicissitudinibus obnoxia revivisceret, eamque occupavit florenis CL. sed post quinquennium deseruit valetudinis caussa.

MDCCIII. iv. kal. sept. *Jo. Baptista Bonomus* ex tertio loco Medicinæ Practicæ Extraordinariæ huc traductus est florenis CC. qui paullatim crevere ad D. sed anno MDCCXXXVIII. v. kal. dec. schola fato suo perfuncta, *Bonomus* honestam vacationem obtinuit, servatis florenis CC. ad reliquæ vitæ solatium. Obiit anno MDCCXLVI.

DE

DE TERTIA PHILOSOPHIÆ EXTRAORDINARIÆ SCHOLA

PATAVINIS ADDICTA STIPENDIO FLORENOR. XX.

ANno MDXVIII. XVIII. kal. jan. *Oddus de Oddis*.

MDXXII. pridie kal. dec. *Franciscus Frigimelica*.

MDXXVI. VII. kal. febr. *Aurelius a Gallo*.

MDXXVIII. pridie non. jun. *Antonius Frigimelica*.

MDXXX. VII. kal. dec. *Hieronymus Stephanellus*. Ejus sive meritis, sive fortunæ datum est, ut contra decreta, & exempla omnia augeretur stipendium, ac primum quidem anno MDXXXII. ad flor. XLVII. deinde triennio post ad LX. Fortunæ dixi. Forte enim accidit, ut locus hujus classis secundus per hos annos vel vacaret, vel florenis occuparetur non amplius vicenis, donec *Stephanellus* ipse ad eum ascendit anno MDXXXIX. aucto stipendio ad flor. LXXX.

MDXL. *Jo. Baptista de Balneatis*, qui Gymnasio abstinuit valetudinis caussa usque ad kal. april. anni sequentis.

MDXLIX. *Marcus de Oddis*.

MDLII. kal. nov. *Augustinus Brugnara*.

MDLXIV. *Ludovicus Tomitanus*.

MDLXVIII. III. non. nov. *Alexander de Buccalis*.

MDLXXV. *Joannes Carpenetus*.

MDLXXXVIII. *Jacobũs Pernumia*.

MDXCI. *Co. Schinella de Comitibus*, de quo Tomasinus in Elogiis p. 369.

MDXCV. *Fr. Angelus Portenarius* Patavinus ex Eremitanis S. Augustini. Non docuit ultra annum. Sed multa scripsit, quæ recenset Papadopolus in t. I. p. 350.

MDCV. postridie non. mart. *Aloysius Pacius*.

MDCVII. kal. dec. *Franciscus a Sole*.

MDCVIII.

MDCVIII. XIV. kal. nov. *Jo. Baptista Magnavinus* ex Montaneana.

MDCXIII. VI. kal. nov. *Co. Ingulphus de Comitibus*, qui ab anno MDCX. Mathesim & Militarem artem Academicis Deliis publice tradebat stipendio ducatorum CL. Antea Moralem Philosophiam in scholis Mediolanensibus explicuerat, electus anno MDXCVIII. v. kal. junias.

MDCXIV. v. id. jul. *Ingulpho* ad Logicam translato, locum hunc occupavit *Alexander Borromæus*.

MDCXXIV. IX. kal. maj. *Hector Bellirotus*.

MDCXLI. v. kal. sept. *Fr. Dominicus Zacchus* ex Ordine S. Dominici, cum esset Patavini Cœnobji Præses, docendi munus in Gymnasio suscepit: sed objit anno post.

MDCXLII. postridie kal. jul. *Fr. Clemens Florius*, qui tamen munus deposuit, antequam auspicaretur.

MDCXLVI. IV. kal. jan. *Fr. Bernardus de Laurentiis* ex Jesuatorum cœnobio.

MDCLXIII. VIII. kal. maj. *Fr. Adrianus a S. Juliana* Dominicanus, huc ex tertio Logicæ loco translatus est post diuturnam cum *Paullo Albanesio* controversiam. Anno MDCLXVIII. v. kal. mart. litteris Triumviralibus relatus est inter Promotores Theologos; & anno post confirmatus, contra nitente *Jo. Baptista Negrono* Logicæ Professore primario. De eo Patinus in Lyceo p. 30.

MDCLXXXIII. pridie kal. april. *Campolongus de Campolongis*.

MDCXCIV. kalendis sept. *Jo. Antonius Casalius*.

MDCCIX. XIII. kal. nov. *Bartholomæus Lavagnolus*, qui sexennio post ad Meteora traductus est.

MDCCXV. idibus jul. *Aloysius Blasius Speronus*, qui cum ab anno MDCXCVIII. usque ad MDCCII. tertium Logicæ locum tenuisset, & postea vacasset, nunc rursus in Gymnasium rediit. Sed hujus quoque scholæ cito pertæsus abdicavit. V. Scholam secundam Ordinariam an. MDCCXX.

MDCCXX.

MDCCXX. XII. kal. jul. *Joannes Campolongus*, qui post annum mortuus est.

MDCCXXII. V. kal. dec. *Jo. Baptista Marchettus*, qui anno MDCCXXXII. scholam dimisit, quinquennio autem post revocatus est ad locum Philosophiæ Ordinariæ secundum.

MDCCXXXIII. VIII. kal. sept. *Stephanus Blasius Coletus* tempestate nescio qua ad hunc scopulum detrusus obiit in ipso ætatis flore anno MDCCXLI.

MDCCL. *Dominicus Viottus*, qui statim probatus est in Artibus & in Medica facultate more nobilium. Anno sequenti ornata prolusione munus occepit; docuitque anno toto MDCCLII. Sed postea obtinuit a Magistratu, ut servato scholæ salario, Gymnasio abstineret, suamque operam thermis Aponensibus impenderet.



DE PHILOSOPHIÆ SCHOLA

AD INGENIORUM EXPERIMENTUM INSTITUTA.

LOcus hic extra ordinem institutus est anno MDCIII. IV. non. oct. ad experiendas vires *Hieronymi Mercenarii*, *Archangeli* filii, ex Monte Sancto, qui ultro sese obtulit. Constitutum stipendium est florenorum XX. non tam homini, quam scholæ. Siquidem apposita decreto conditio est, ne umquam summa hæc aut ipsius *Mercenarii*, aut successorum gratia augeretur. Temporis arbitria, quo *Mercenarius* doceret, Triumvirum judicio Senatus remisit. Cum autem secundus Philosophiæ Extraordinariæ locus hoc tempore nullus esset, hora prima pomeridiana novæ huic scholæ est assignata.

Anno MDCVIII. VIII. kal. oct. *Mercenario* suffectus est iisdem conditionibus *Marius Mazzoleaus* Patavinus, qui ipse quoque ultro sese obtulit. Sed *Mazzoleno* ad Philosophiam Extraordinariam traducto, vacua relicta schola est. In tanta Triumvirum cura, & Principis liberalitate defuere ingenia, quæ temporum felicitate uterentur.



DE

DE PRIMA LOGICÆ SCHOLA.

Remiſſo juſtitio, ſcholiſque rurſus apertis, anno MDXVII. xvii. kal. oct. *Jo. Matthæus Virgilius* Urbinas conductus eſt ad primum Logicæ locum ſtipendio florenorum LX. non tamen ultra annum. Itaque anno ſequenti poſtridie id. oct. accitus eſt totidem florenis *Nicolaus Priſcianus* Ferrarienſis. Sed hic quidem ad biennium.

MDXIX. v. id. oct. *Chriſtophorus a Lignamine* Patavinus ex loco ſecundo traductus ſtipendio ſuo florenorum XXXV. quæ ſumma erat ſcholæ ipſius propria. Apparet ex libris Quæſtoriis, *Priſcianum* menſe decembri locum deſeruiſſe, quamvis in *Chriſtophori* decreto ejus ratio habita eſſet.

MDXX. Cum *Julius Bordonus* ad hunc locum deſignatus non acceſſiſſet, v. kal. dec. electus eſt ab Univerſitate *Spero Speronus* admodum juvenis, & a Senatu confirmatus florenis XXXV.

MDXXI. vi. kal. oct. *Guido Angelus Menguttius* Faventinus ex loco ſecundo traductus florenis XL.

MDXXIII. *Chriſtophorus a Lignamine* Patavinus, iterum accitus florenis XL.

MDXXV. *Nicolaus Antonius Landus* Barienſis, ex loco ſecundo ad hunc progreſſus eſt ſtipendio ſuo, cui poſtea floreni additi ſunt XV. Abeunti valetudinis cauſſa tributum eſt ad itineris expenſas anni totius ſalarium.

MDXXVI. poſtridie non. nov. *Bartholomæus Foſſatus* Mantuanus ex Ticinenſi Gymnaſio evocatus eſt florenis CL.

MDXXVII. *Hieronymus Tirabuſcus* ex loco ſecundo traductus, biennio poſt nonis novembr. migravit ad Medicinam Practicam Extraordinariam.

MDXXX. *Polycletus Brevius* Apulus ex Monte Arduo, deductus ex loco primo Sophiſticæ florenis XXXV. quibus anno ſequenti iv. id. mart. additi ſunt XLV.

MDXXXI. *Justinianus Finettus* Anconitanus ex Monte Lupono, qui Sophisticam tradebat, deductus est ab Universitate ad scholam hanc; eodemque tempore electus est *Bartholomæus Carabettus* Etruscus. Sed *Finettus* anno sequenti VI. id. nov. confirmatus est decreto Senatus ad quadriennium florenis CXXIV.

MDXXXVI. XVI. kal. dec. *Dominicus de Bonsiolis* Bononiensis ex ejus Civitatis Gymnasio accitus florenis C.

MDXXXIX. X. kal. dec. *Remigius Melioratus* ex loco secundo traductus florenis LXXX. quibus triennio post additi sunt XX. Libellum scripsit *de Putrefactione*, in cujus præfatione de sui generis nobilitate multa refert. V. Papadopolum t. I. p. 305.

MDXLIII. IV. kal. nov. *Bernardinus Tomitanus* Patavinus ex loco secundo traductus florenis LXXX. qui iterum ac sæpius aucti, post annos undecim crevere ad trecenos. Anno MDL. cum ægrotaret, ejus loco docuit Substituti titulo *Bernardinus Trivisanus*. Cum convaluisset, onus recepit, & summa cum laude sustinuit usque ad annum MDLXIII. Nemo umquam majore frequentia docuit, ac, si Buccio credimus in *Itinere Henrici III. Galliarum Regis* p. 134. Venetos Patricios plusquam ducentos litteris ac disciplinis instituit. Ingenium habuit & humanitati, & gravissimis quibusque studiis sine controversia par. Proinde rerum Logicarum tandem pertæsus, cum Philosophiæ scholam obtinere non potuisset, *extorta*, ut Papadopoli verbis utar, *quamvis difficillime, vacandi venia, in otio liberali vixit, erga amicos comis, officiosus in reliquos, sibi felix*. De ejus vita & operibus Tomasinus in Elogiis p. *66*. Ghilinus, & Papadopolus.

MDLXIV. idibus januar. *Comes Jacobus Zabarella*, Patavinus, conductus florenis LX. Quinquennio post ad secundum Philosophiæ Extraordinariæ locum migravit.

MDLXIX. pridie non. januar. *Bernardinus Petrella* Burgopolitanus ex secunda Philosophiæ Extraordinariæ schola ad

hanc

hanc translatus est florenis CXL. qui sæpius aucti demum anno MDLXXXIX. pervenere ad quingenos, addita conditione, ne aliis auctariis locus esset. Obiit anno MDXCV. cum edidisset Logicarum disputationum libros septem, & Commentarios in posteriora Analytica, qui jacent in scholasticis bibliothecis. Dum viveret, opera ejus Logica magno habita in pretio sunt, quod in iis ab *Jacobo Zabarella*, altero veluti Logicæ provinciæ Consule, dissentiret. Tempora ita ferebant. De illo Riccobonus lib. 2. cap. 43.

MDXCV. III. non. novembr. *Julius Librius* Florentinus, ex Pisano Gymnasio accitus florenis CD. quæ summa nulli ante Logico tributa fuerat.

MDC. XII. kal. nov. cum *Librius* missionem obtinuisset, *Faustinus Summus* Patavinus in hunc locum ex secundo traductus est florenis CCC. qui bis aucti, anno MDCVII. crevere ad CDL. Anno post XVI. kal. jan. tributi sunt illi ante tempus floreni ducenti ad collocandam filiam. Anno MDCXI. VII. kal. dec. ad aliam filiam collocandam solutum est illi in antecessum totius anni litterarii stipendium, & vacandi venia concessa. Scripsit de Re Poetica non sine laude. De illo, & ipsius majoribus Riccobonus lib. 2. cap. 44.

MDCXI. pridie non. oct. *Fr. Innocentius Florinus* Patavinus, Ordinis Eremitarum, ex tertio loco traductus florenis C. qui iterum ac sæpius aucti, anno MDCXXXI. devenere ad CD. Extant in Eremitarum bibliotheca Prælectiones ejus in librum I. Posteriorum cum tractatu *de medio demonstrationis*.

MDCXXXII. XV. kal. febr. *Joannes Cerva* Patavinus, Rector Ecclesiæ S. Clementis, ex secundo loco traductus florenis C.

MDCXXXVI. VII. id. febr. *Stephanus Caballus* Bononiensis accitus florenis CCC. Sed cum intra annum obiisset, III. non. oct. *Carolus Emmanuel Vizzanus* Bononiensis, ex ejus Civitatis Gymnasio ad Patavinum migravit florenis CD. Anno MDCXLII. nonis febr. Medicorum Collegio adscriptus est,

est, & ad locum secundum Philosophiæ Extraordinariæ traductus.

MDCXLII. nonis febr. *Franciscus Bettotus* Bononiensis, Ordinis Minor. Convent. conductus est florenis CC.

MDCXLIV. IV. non. oct. cum *Bettotus* ad Metaphysicam migrasset, *Hieronymus Bendandus* Ravennas, Monacus Cassinensis, primus ex hoc Ordine in Patavinas scholas receptus est, assignato stipendio florenorum CC. cum antea in Bononiensibus docuisset.

MDCXLIX. v. kal. mart. *Bendando* ad S. Litteras translato, *Laurentius Nerius* Pisanus ex ejus Civitatis Gymnasio ad nostrum migravit stipendio florenorum CD. numeratis insuper argenteis Venetis quinquaginta ad itineris impensas. Sed sub anni finem cum rediisset in patriam, IX. kal. jan. *Petrus Franzanus* Vicetinus ex Chirurgiæ schola ad hanc traductus est florenis CCL. addito Collegii Medici honore. Anno autem MDCLVII. auctum est stipendium ejus florenis C.

MDCLXIV. v. id. febr. cum *Franzanus* ad primum Philosophiæ Extraordinariæ locum migrasset, suffectus est *Jacobus Cadenedus* Scotus, qui locum secundum occupabat, florenis CCC. addito paucis post mensibus jure Collegii Medici.

MDCLXVI. pridie id. nov. cum *Cadenedus* ad locum secundum Philosophiæ Ordinariæ transisset, *Joannes Morosinus* Cretensis successit florenis CLXXX. ex loco secundo traductus classis ejusdem. Sed *Morosino* anno sequenti Venetiis interfecto, ejus locum pridie kal. dec. occupavit *Joannes Cicala* Cyprius, ex secundo translatus, florenis CLXXX.

MDCLXIX. III. kal. febr. cum *Cicala* ad secundam Philosophiæ Extraordinariæ scholam transisset, *Jo. Baptista Negronus* ex Ampuniano, oppido Cyrni, successit florenis CCC. Cum jam S. Theologiæ Doctor esset, Collegio adscriptus est more nobilium, solutis expensis. Frustra inter Promotores Collegii hujus locum quæsivit: invenit tamen inter Medicos. Anno MDCLXXVI. VII. kal. april. auctum illi stipendium est

eſt ad florenos CDL. Sub anni finem fato ceſſit.

MDCLXXVIII. III. id. febr. conductus eſt *Nicolaus Kalliacbius* Cretenſis florenis CCL. additumque illi poſt menſes tres Collegii Medici jus.

MDCLXXXI. VIII. kal. aug. *Kalliacbio* ad primum Philoſophiæ Extraordinariæ locum traducto, ſucceſſit *Albanius Albanenſis*, magnus Peripateticus, florenis CCCL. qui iterum ac ſæpius aucti, anno demum MDCCVIII. crevere ad ſeptingenos. Obiit anno MDCCXVII. cum famam in hac urbe ſibi comparaſſet, quantum Logicorum eſt, longe omnium peritiſſimi. Vide Patinum in Lyceo p. 45. & Papadopolum in t. I. p. 187.

MDCCXVIII. nonis mart. *Michael Verius* Vicetinus, S. Theologiæ Doctor, & in Seminario Patavino diſciplinæ hujus Profeſſor longe celeberrimus, ſucceſſit ſtipendio florenorum CCC. quibus poſt annos tredecim additi ſunt CXX. Anno MDCCXXXII. honeſtam miſſionem obtinuit, & triennio poſt v. id. febr. fato ceſſit, cum annos vixiſſet valetudine admodum proſpera tres & octoginta. Natus eſt Planetiis, ignobili vico, ſed tamen honeſto genere. In ſepulchri titulo dicitur *Florentinus*, & *Patricius*, & *Comes*: idque monere placuit, ut diſcant Biographi & Elogiographi, ne hujuſmodi quidem teſtimoniis credendum eſſe; quod monuit ante nos Livius in fine libri octavi. Claruit ſcholaſticis diſputationibus; mihique ipſi, multiſque aliis hoc in genere ad gradus Theologicos contendentibus operam præbuit. Poſtremam ſenectutem Chimicis ſtudiis dicavit, & in ipſam *Poſteriorum Analyticorum* interpretationem, quod erat publicæ ſcholæ penſum, talia quædam inſeruit. Edidit anno MDCCXXVI. diſſertationes duas, alteram Logicam, Chimicam alteram, utramque ingenii ſui fama minorem.

MDCCXXXIII. kalendis ſept. *Jacobus Facciolatus* ex loco ſecundo traductus florenis D. qui anno MDCCXXXVII. pridie kal. april. aucti ſunt ad DCC. Biennio poſt, Logica Metaphy-

taphysicæ consociata, ipse Gymnasii historiam Senatus decreto scribere jussus est, servato inter Professores nomine, & in scholis loco, siquis idoneus opportune vacaret. Itaque sub initium anni MDCCXL. Logicam dimisit, quam per annos sexdecim voce scriptisque tradiderat.



DE

DE LOGICÆ SCHOLA SECUNDA.

ANno MDXVII. cum Doctores multi ad Logicam ex loco secundo profitendam sese obtulissent, decrevit Senatus XVII. kal. oct. ut omnes per mensem gratis docerent; postea vero, qui maxime idoneus ab Universitate judicaretur, is locum florenis XXXV. retineret; quæ summa erat scholæ assignata. Eodem decreto concessa cuilibet facultas est Logicæ in Gymnasio explicandæ, modo sine salario experiri vires suas vellet.

MDXVIII. pridie kal. mart. *Oddus de Oddis* Patavinus; & *Jo. Baptista Confalonerius* Veronensis, pari uterque stipendio, & in annum duntaxat, ut mos erat, conducti sunt. Sed *Confalonerii* loco suffectus est IX. kal. jun. *Christophorus a Lignamine* Patavinus. Porro duo isti cum ejusdem classis essent, & secundarii dicerentur, tamen ipsi inter se ordinem servabant; quod alias contigit.

MDXIX. v. id. oct. *Hieronymus Gratarolus* Venetus ab Universitate electus est; nec ita multo post *Pax de Bonagente* Vicetinus ex loco Sophisticæ secundo traductus.

MDXXIII. *Nicolaus Antonius Landus* Bariensis, itemque *Ricardus Politus* Recinetensis, ex primo Sophisticæ loco ducti. His additus est *Fr. Alexander Siculus* pro more illorum temporum, suo singulis decreto stipendio. Anno post duo priores confirmati sunt, & loco æquati.

MDXXV. XVII. kal. dec. *Lando* ad locum primum traducto, *Silvius Fuscus* Camers, qui Sophisticam anno superiore tradiderat, ad hunc ascendit.

MDXXVI. kalendis novembr. in quem fere diem incidebat electio, *Thomas Riccius* Vicetinus, itemque *Hieronymus Viteliensis* Fulginas, pari loco & stipendio conducti.

MDXXVII. *Hieronymus Tirabuscus* Patavinus ex primo Sophisticæ loco traductus, itemque *Vincentius Catena* Vicetinu

Sed *Tirabuſcus* hoc ipſo anno migravit ad locum primum. *Catenæ* autem anno poſt ad ſecundum Philoſophiæ locum tranſlato ſucceſſit *Andreas Baranzonus* Mutinenſis, *Baranzono Antonius Fracantianus* Vicetinus, *Fracantiano Thaddæus Edentulus* Urbevetanus, *Edentulo Jacobus Barienſis* anno MDXXXI.

MDXXXIII. kalendis dec. *Jo. Baptiſta Bagolinus* Veronenſis, *Hieronymi* Profeſſoris filius, qui patre Græca quædam Latine vertenti operam navavit, ut ſcribit Maphejus in Verona illuſtr. l. 4 p. 168.

MDXXXIV. *Fr. Stephanus* ex Ordine Eremitarum, cui ſucceſſor datus eſt anno proximo *Juſtinianus Buzzutus* ex Monte Arduo, *Buzzuto* autem *Antonius de Terra Macra* Siculus, qui Patavii ſtudebant.

MDXXXVII. *Antonius Bagarinus* Veronenſis, qui anno ſuperiore Sophiſticam ex loco primo tradiderat.

MDXXXVIII. *Remigius Melioratus* Sulmonenſis, qui ingenii ſpecimen in Sophiſticis dederat. Anno ſequenti ad locum hujus claſſis primum aſcendit; eique ſuffectus eſt pridie kal. decembr. *Chriſtophorus Guercius* Juſtinopolitanus.

MDXL. *Bernardinus Tomitanus* Patavinus ex loco tertio progreſſus, poſt triennium ad primum migravit. Hoc autem anno litteris Triumviralibus VII. id. aug. datis vetitum eſt, ne amplius loci hujus arbitria penes ſcholares eſſent.

MDXLI. *Nicolaus Guarinonus* Brixianus, cum eſſet electus & confirmatus, maluit latere.

MDXLIII. *Joannes Gabriel Albertus* Pedemontanus ſcholam rexit uſque ad annum MDXLV. quo ad Philoſophiam Extraordinariam traductus locum hunc ceſſit *Angelo Thio* Apulo, VII. id. nov. electo.

MDXLVIII. *Dominicus Tonellus* Feltrienſis, cui ſucceſſit anno ſequenti civis ejus, &, niſi fallor, etiam gentilis *Antonius*; deinceps autem *Jacobus Gattus*, & poſt ipſum *Petrus Viola*, uterque Vicetinus.

MDLIII.

MDLIII. *Petrus Maria Aquanus* Brixianus, qui anno MDLIX. IV. non. mart. revocatus eſt, & confirmatus ad quadriennium, adjectis ejus ſtipendio florenis XV.

MDLXIII. idibus jun. cum *Aquanus* ultro abjiſſet, *Bernardinus Petrella* Etruſcus, commendante urbis Prætore, totaque Univerſitate, electus eſt ad annos quatuor florenis XL. Hinc quadriennio poſt ad ſecundum Philoſophiæ Extraordinariæ locum migravit, duplicato ſtipendio.

MDLXVII. idibus jul. *Octavius Amaltheus* Opiterginus, *Hieronymi* filius, conductus ad ſexennium florenis XL. Poſt quadriennium abeundi veniam obtinuit. De illo aliiſque Amaltheis Mazzucchellus t. I. p. 573.

MDLXXI. pridie id maj. *Fauſtinus Summus* Patavinus conductus florenis XL. qui iterum ac ſæpius aucti, anno demum MDXCVI. crevere ad CCC.

MDC. XII. kal. nov. *Summo* ad locum primum evecto, ſucceſſit, & quidem loco pari, *Horatius Cornacchinus* Aretinus, ex Piſano accitus Gymnaſio florenis CCL.

MDCVII. III. kal. nov. cum abiiſſet *Cornacchinus*, ſuffectus eſt ex loco tertio Philoſophiæ Extraordinariæ *Aloyſius Pacius* florenis CL. Anno MDCXV. æquiparatus eſt Logico primario, auctumque illi ſtipendium ad florenos CCL. quibus præterea C. additi ſunt anno MDCXXII. Sed anno poſt mortuus eſt.

MDCXXV. pridie id. nov. mortuo *Pacio*, ſucceſſit *Joannes Cerva* Patavinus, ex tertio loco traductus florenis LXX.

MDCXXXII. VI. kal. febr. *Cerva* ad locum primum translato, *Fr. Auguſtinus Appianus*, ex Carmelitarum Ordine, ſuffectus eſt florenis LX. Sed biennio poſt munus dimiſit valetudinis cauſſa.

MDCXXXV. XVI. kal. dec. ſucceſſit Carmelita alius *Fr. Marcus Arrigonus* Venetus eodem ſtipendio. Sed ipſe quoque biennio poſt eadem de cauſſa miſſionem obtinuit.

MDCXXXVII. VIII. kal. dec. obtulit ſe *Fr. Franciſcus*

Betotus Bononienſis, Minorita Conventualis, conductuſque eſt florenis LXXX.

MDCXLII. xii. kal. aug. cum *Betotus* aſcendiſſet ad Metaphyſicam, ſuffectus eſt florenis C. & æquatus Logico primario *Jo. Baptiſta Salice* Brixianus, Canonicus ex Congregatione S. Georgii in Alga, Theologus & Lector in Cœnobio Patavino S. Mariæ de Avantio. Anno ſequenti periit fato peſſimo, de quo Tomaſinus l. 3. c. 36. p. 334.

MDCXLV. pridie non. ſept. *Fr. Antonius de Adamis* Novalenſis, Minorita Conventualis, conductus eſt florenis C. qui bis aucti, anno MDCLVII. crevere ad CCXX.

MDCLXI. poſtridie non. aug. *Jacobus Cadenedus* Scotus, accitus florenis CXX.

MDCLXIV. pridie non. mart. cum *Cadenedus* ad locum primum progreſſus eſſet, ſucceſſit *Joannes Moroſinus* Cretenſis florenis CLXXX. Sed ipſe quoque biennio poſt locum primum obtinuit.

MDCLXVI. iv. kal. jan. *Joannes Cicala* Cyprius eodem ſtipendio conductus, eadem via anno poſt aſcendit.

MDCLXVII. v. id. dec. *Albanius Albanenſis* Patavinus ex loco tertio translatus florenis C. quibus anno MDCLXXV. additi ſunt LXXX.

MDCLXXXII. cum *Albanenſis* anno ſuperiore tranſiſſet ad locum primum, pridie id. ſept. *Jacobus Viſcardus* Venetus ſucceſſit florenis CCL.

MDCLXXXV. *Viſcardo* ad Simplicia traducto, vii. id. april. *Matthæus Bordegatus* Patavinus ſucceſſit florenis CC. Triennio poſt iv. kal. jan. Medicorum Collegio adſcriptus eſt: ſed anno ſequenti abiit ad plures.

MDCXCII. iii. kal. aug. *Paullus Cervinus* Cremenſis conductus florenis CC. qui per annos unum & triginta non ultra CCCLXXX. crevere. Anno MDCCXXIII. primum docere, & paullo poſt etiam vivere deſiit.

MDCCXXIII. xii. kal. maj. cum *Cervino* vacandi venia

non

non petenti data esset, condonatis in reliquos vitæ annos florenis CLXXX. *Jacobus Facciolatus*, qui Seminarii Patavini studiis præerat, in locum ejus accitus est, attributis, quod reliquum erat ex *Cervini* salario, florenis CC. Anno post auctum illi extra ordinem ad trecenos stipendium est; anno autem MDCCXXX. ad quingenos. Jus quoque illi concessum est Collegii Medici, cum jam Theologicum a prima juventute teneret.

MDCCXXXIII. *Facciolato* ad locum primum traducto; *Petrus Busenellus* Venetus, Clericus Regularis ex Congregatione Theatinorum, secundum occupavit florenis CL. &, quæ de illo erat, expectationi docendo scribendoque respondit.

MDCCXXXIX. postridie id. mart. clausa est Schola hæc decreto Senatus, jussique Metaphysici etiam Logicos libros interpretari. *Busenellus* autem ad Jus Canonicum, quod alias apud suos professus fuerat, translatus est.



DE

DE TERTIA LOGICÆ SCHOLA.

Tertia Logicæ ſchola civium Patavinorum gratia inſtituta eſt anno MCDLXVII. v. kal. febr. aſſignato ſtipendio florenorum XX. quod nulla umquam conditione augeretur. Hanc obtinuit anno MDXX. *Joannes de Prato*, al. *Prata*, ex loco ſecundo Sophiſticæ traductus: poſt illum autem *Paullus Carrerius* ab Univerſitate electus anno MDXXIV. III. kal. nov.

MDXXVI. kalendis nov. *Lombardus a Mulo*, al. *Amulius*, cui anno poſt ſuffectus fuerat Magiſter *de Franciſcis*, ſed ſchola abſtinuit.

MDXXIX. poſtridie kal. nov. *Alexander de Doctoribus*, cui ſucceſſit biennio poſt *Alexander Guantus*, al. *a Guanto*, locumque tenuit per annos quatuor.

MDXXXIX. *Bernardinus Tomitanus* Patavii natus, origine Feltrienſis, qui anno poſt ad locum ſecundum migravit.

MDXL. poſtridie kal. ſept. *Nicolaus Tinctus*, qui docuit per annos tres.

MDXLVI. *Marcus de Oddis*, quem excepit anno MDXLIX. *Bernardinus Triviſanus*, & biennio poſt *Antonius Expertus*.

MDLV. *Albertinus Bottonus*, qui locum tenuit per ſexennium. Mortuus eſt poſtridie kal. dec. MDXCVI.

MDLXIV. *Petrus Fallerotus*, qui abiit anno poſt.

MDLXXIV. *Jo. Paullus Branca* docuit per dies paucos, Mantuam vocatus ad inſtituendum Vincentium Gulielmi Ducis filium. In locum ejus ſuffectus eſt *Hercules Saxonia*, qui anno ſequenti obtinuit a Magiſtratu, ut pro Logica Medicinam traderet. V. locum ſecundum Medicinæ Practicæ Extraordinariæ dierum vacantium.

MDLXXXII. pridie kal. ſept. *Periander a Noali*, al. *Anoalius*.

MDLXXXVIII. *Priamus a Turre Buſenelli* Patavinus, qui

poſtea,

postea, contracto nomine, *Buscnellus* dictus est. Septennio post Venetias medicinam facturus migravit; ibique gentis domicilium posuit.

MDXCVIII. *Jacobus Alexius*, & biennio post *Aloysius Pacius*.

MDCV. postridie non. nov. *Fr. Innocentius Florinus* ex Ordine Eremitanorum. Anno MDCVII. III. kal. nov. donatus est ducatis C. decreto Senatus, quod, cum *Cornacchinus* secundi loci Professor scholam deseruisset, ipse privatim publiceque docendo abunde scholaribus satisfecisset.

MDCXIV. v. id. jul. *Ingulfus de Comitibus* ex tertio Philosophiæ Extraordinariæ loco in hunc, ut ipsi videbatur, honestiorem migravit. Eodem anno Magistratui operam suam novo titulo obstrinxit. Qua de re vide Gymnasii Fastos de Rectoribus Artistarum, ad hunc annum.

MDCXVII. kalendis nov. *Joannes Cerva* Presbyter & Theologus.

MDCXXVI. idibus dec. *Fr. Thomas Tasellus*, ex Ordine Prædicatorum, docuit usque ad annum MDCXL. quo caussariam missionem obtinuit.

MDCXLI. *Balthassar Amelius Avezù*, qui ipso in munere obiit anno MDCXLIX.

MDCLIII. x. kal. nov. *Fr. Adrianus a S. Juliana* ex Ordine Prædicatorum. Postea ad tertium Philosophiæ Extraordinariæ locum migravit, visus sibi non parum profecisse.

MDCLVI. *Albanius Albanensis*, & post annos admodum quatuordecim *Alverius Zaccus*.

MDCLXXIV. *Fr. Jordanus de Jordanis* ex Ordine Prædicatorum, cujus laudes descripsit Patinus in Lyceo Patavino pro hominis & sæculi more, p. 68. Hunc post annos decem excepit *Fr. Marinus Pochinus* ex eodem Ordine.

MDCXCVIII. *Aloysius Blasius Speronus*, qui triennio post onus deposuit: anno autem MDCCXV. ad tertium Philosophiæ Extraordinariæ locum accitus est.

MDCCII.

MDCCII. *Matthæus Martinius*, qui post annos viginti Medicorum Collegio adscriptus est, perrexitque usque ad annum vitæ ultimum MDCCXLIX. Singulari industria privatim studentibus Medicas institutiones tradere consuevit; eosque ad gradus scholasticos rite petendos instruere. Quod ut sine offensione facere posset, tertianæ huic scholæ novo exemplo tot annos adhæsit.

MDCCL. *Augustinus de Tavellis* ex Campo S. Petri. Sed cum abiisset ad Medicinam Bassani faciendam, antequam scholæ possessionem caperet, suffectus est *Thomas Chiavellatus*, qui munus anno sequenti strenue suscepit; locumque etiam absens adhuc retinet.



DE

DE SCHOLA PRIMA SOPHISTICÆ.

ANno MDXVIII. post bellum altero, de Sophistica quoque cogitari cœpit: proindeque IX. kal. sept. *Thomas Philologus de Rangonis* Ravennas conductus est ad locum hujus scholæ primum florenis XX. Summa hæc singulis constituta est salarii nomine, qui deinceps Sophisticam traderent, & quidem ad annum duntaxat, nisi essent ultra annum confirmati. Hinc porro *Philologus* migravit ad Astrologiam anno sequenti; cessitque scholam *Jo. Jacobo Rorinio* Brixiano. Nec vero *Rotinius* annum explevit; sed paucis post mensibus cum abiisset, XIII. kal. sextil. MDXX. successit *Franciscus de Pergamo* ex Monteferrato. Hic quoque cito recessit fato quodam scholæ hujus, quam occupavit eodem anno pridie kal. dec. *Nicolaus Antonius Landus* Bariensis, proximo autem *Ricardus Politus* Recinetensis. Sed uterque anno post perrexit ad Logicam.

MDXXIII. XII. kal. dec. *Ricciardus de Ricciardis* Venetus, cui, anno circumacto, suffectus est *Hieronymus Fulginas*: *Fulginate* autem recedente, conductus est kalendis novembr. MDXXV. *Antonius Telleus* Lauretanus, qui anno sequenti VII. kal. mart. abdicavit, suffecto in ejus locum usque ad proximum novembrem *Vincentio Catena* Vicetino.

MDXXVI. kalendis novembr. quo die plerunque fiebat electio, *Hieronymus Tirabuscus* Patavinus, cognomento *Corradinus*, ex loco secundo traductus. Hinc anno proximo ad Logicam ascendit, locumque cessit *Andreæ Baranzono* Mutinensi.

MDXXVIII. XVII. kal. dec. *Polycletus Brevius* Apulus.

MDXXIX. *Hieronymus Stephanellus* Patavinus.

MDXXX. *Justinianus Finettus* Luponensis.

MDXXXI. *Petrus Marenda* Brixianus.

MDXXXII. *Fr. Antonius Maraffa* ex Martina, Ordinis Prædicatorum.

MDXXXIII. xvi. kal. dec. *Vincentius Sardonius* Romanus.

MDXXXIV. *Jo. Nicolaus Paschalius* Tricaricensis.

MDXXXV. *Remigius Melioratus* Sulmonensis, ex Pisanis scholis advenit.

MDXXXVI. *Antonius Bagarinus* Veronensis, qui civi suo *Galisio Nichisolæ* anno sequenti scholam cessit.

MDXXXVIII. *Fr. Angelus de Andria* Minorita, qui sibi substituit *Fr. Jo. Baptistam de Bononia* usque ad kal. jul.

MDXXXIX. *Hieronymus Lulinus* Bergomas.

MDXL. *Joannes Gavius* Britannus.

MDXLI. *Joannes Pindemontius* Veronensis.

MDXLII. *Franciscus Terrinus* Genuensis.

MDXLIII. *Franciscus Magredus* Vicetinus.

MDXLIV. *Bartholomæus Valentinus* Mediolanensis.

MDXLV. *Jo. Franciscus Colateranus* Murovalensis.

MDXLVI. *Andreas Martinellus* Ravennas.

MDXLVIII. *Stanislaus Polonus*.

MDXLIX. *Joannes Stoppinus* Germanus, qui anno sequenti confirmatus est.

MDLI. mense oct. *Alphonsus Corsutus* Romanus.

MDLII. *Camillus Venturonus* Picens ex Monte Bodio.

MDLIII. *Jo. Baptista Rota* Salodiensis.

MDLIV. postridie kal. aug. *Franciscus Pirellus* Siculus. Eodem autem anno docuit substituti nomine *Jacobus Marcadellus*.

MDLV. postridie kal. aug. *Sylvinus Perotus* Saxoferratensis, cum esset scholaris, & Consiliarius nationis Anconitanæ.

MDLVI. III. non. august. *Julius Burgarucius* Campianensis.

MDLVII. *Dominicus Calcinardus* Salodiensis.

MDLVIII. *Marinus Masatius* Picens.

MDLIX. *Prosper Columbus* Romanus.

MDLX. *Jacobus Cleopasius* Neapolitanus, qui postremus fuit.

DE

DE SCHOLA SOPHISTICÆ SECUNDA.

ANno MDXVIII. IX. kal. sept. *Joannes Prata*, al. *de Prato*, Patavinus electus ab Universitate est ad regendam scholam Sophisticæ secundam florenis XX. quod certum fuit scholæ hujus minerval, quemadmodum primæ. Nemo nisi in annum eligi consuevit. Itaque anno sequenti III. kal. jan. datus est *Pratæ* successor *Franciscus Frigimelica* Patavinus ex Morali abductus Philosophia, quæ ipsa annalis erat.

MDXX. kalendis nov. qui dies status electionis erat, nisi aliquid incideret, conductus est *Pax de Bonagente* Vicetinus; anno autem proximo *Julius Cavagninus* Brixianus.

MDXXII. kal. dec. *Gregorius Senensis*, qui cum anno proximo ineunte abiisset, rursus evocatus est XIV. kal. maj. *Cavagninus*, locumque tenuit usque ad novembrem, quo mense suffectus est *Jo. Franciscus Scledus* Vicetinus.

MDXXIV. kalendis nov. *Sylvius Fuscus* Camers.

MDXXV. *Hieronymus Tirabuscus* Patavinus, cognomento *Corradinus*.

MDXXVI. *Nobilis de Sociis* Cremensis.

MDXXVII. *Julius Mainardus* Veronensis.

MDXXVIII. *Hieronymus Balduinus* Hydruntinus.

MDXXIX. *Thaddæus Edentulus* Aretinus.

MDXXX. *Jacobus Ferdinandus* Bariensis.

MDXXXI. *Marcus Canalis* Patritius Venetus, qui anno sequenti ad Philosophiam Moralem traductus est.

MDXXXII. idibus dec. *Fr. Jo. Stephanus* Cremonensis, Ordinis Carmelitarum, æquiparatus Professori Primario.

MDXXXIII. *Paullus Calvus* Bergomas.

MDXXXIV. idem confirmatus, & æquiparatus collegæ suo.

MDXXXV. *Andreas Politus* Brixianus.

MDXXXVI. *Christophorus Vercius* Justinopolitanus.

MDXXXVII. *Petrus Paullus Muglensis.*

MDXXXVIII. *Livinus Becuensis*, al. *Brugensis*, Germanus; par loco & dignitate collegæ suo.

MDXXXIX. *Jo. Baptista de Balneatis* Patavinus.

MDXL. *Realdus Columbus* Cremonensis, collegæ æquiparatus.

MDXLI. *Antonius Secundus* Monopolitanus, par loco & dignitate collegæ suo.

MDXLII. postridie kal. aug. *Honoratus Grimaldus* Januensis.

MDXLIII. postridie kal. aug. *Andreas Flavius* Picens.

MDXLIV. *Joannes Gratarolus* Bergomas.

MDXLV. *Joannes Carolus Merlus* Januensis.

MDXLVI. *Joannes de Laurentiis* Januensis.

MDXLVIII. *Jo. Andreas Rubeus* Apulus.

MDXLIX. *Jo. Carolus Morellus* Copertinensis.

MDL. *Alexander Montainus* Picens.

MDLI. mense novembri *Lucas Gemma* Parmensis, qui tamen non cœpit docere, nisi VI. kal. mart. anni sequentis.

MDLII. *Jo. Jacobus Birettus* Siculus.

MDLIII. *Bernardinus Crippa* Mediolanensis ex Morali Philosophia traductus.

MDLIV. postridie kal. aug. *Petrus Gonescius* Polonus. Sed XI. kal. jan. cum onus deposuisset, suffectus est *Leontius Caliarius* Vicetinus.

MDLV. III. non. aug. *Nicolaus Curtius* Brixianus.

MDLVI. III. non. aug. *Franciscus de Faustinis* Perusinus.

MDLVII. *Fridericus Fajanus* Mantuanus.

MDLVIII. *Rochus Lucius* ex Monte Florum.

MDLIX. *Celsus Pigafetta* Vicetinus.

MDLX. *Jacobus Anthelmus* Germanus, qui scholam clausit.

DE

DE SCHOLA PARVORUM NATURALIUM.

Ex Ariſtotele.

ANno MDXXXII. VI. id. febr. inſtituta Parvorum Naturalium Schola eſt, quam regeret *Lombardus Amuleus* Patavinus; ſed biennio poſt intercidit. Rurſus autem excitata eſt anno MDCIX. & Meteoris conjuncta.

DE MORALI PHILOSOPHIA.

ANno MDXVIII. Primus poſt bellum ad regendam ſcholam hanc conductus eſt IX. kal. ſept. *Franciſcus Frigimelica* Patavinus, & quidem ad annum duntaxat, ut reliqui deinde omnes uſque ad *Robortellum*. Attributi ſunt illi floreni XV. quod ſtipendium certum firmumque fuit, quandiu Moralis Philoſophia Univerſitatis arbitrio & ſuffragiis diſtributa eſt. Anno exacto, *Frigimelica* ad Sophiſticam ſe contulit.

MDXIX. III. kal. jan. *Rogerius Claudinus* Neapolitanus.

MDXX. pridie kal. dec. *Dominicus Butius* ex Carminiola.

MDXXI. pridie kal. dec. *Antonius de Marinis* Tarviſianus, qui novo Univerſitatis decreto, deficientibus qui peterent, perrexit in annum ſequentem.

MDXXIII. XII. kal. dec. *Palamedes Gualdius* ex Caſtro Tauro.

MDXXIV. III. kal. nov. *Ludovicus a S. Bonifacio* Veronenſis.

MDXXV. pridie kal dec. *Hieronymus Adornus* Papienſis.

MDXXVI. kalendis nov. *Hieronymus Rivola* Bergomas.

MDXXVII. III. kal. nov. *Priſcianus Carducius* Aletinus.

MDXXIX. VII. id. nov. *Paullus Crassus* Patavinus.

MDXXX. postridie kalend. decembr. *Thomas Secundus* Cyprius.

MDXXXI. kalendis nov. *Jo. Antonius Siccus* Cremensis, qui docuit usque ad januarium anni sequentis. Statim successit *Benedictus Coccianus* Brixianus; eodemque anno kalendis nov. *Marcus Canalis* Patritius Venetus ex schola secunda Sophisticæ translatus.

MDXXXIII. IX. kal. dec. *Hieronymus Amaltheus* Opiterginus ex prima libri tertii Avicennæ schola ad Moralia migravit; docuitque usque ad aprilem anni sequentis.

MDXXXIV. *Joannes de Marinonibus* Bergomas, qui anno superiore Rector fuerat. Electus est kal. nov. iisdemque kalendis fere omnes, qui sequuntur usque ad sæculum medium.

MDXXXV. *Franciscus Perusinus* ex Monte Lupono.

MDXXXVI. *Matthæus Durastantius*.

MDXXXVII. *Daniel Barbarus* Venetus.

MDXXXVIII. *Jo. Baptista Aloysius* ex S. Severino.

MDXXXIX. *Franciscus Zenalius* Brixianus.

MDXL. *Joannes Butironus* Veronensis.

MDXLI. *Hieronymus Frigius* Romanus.

MDXLII. *Jo. Baptista Vacbelius* Brixianus ex secundo loco libri tertii Avicennæ traductus.

MDXLIII. *Balthassar Aldus* Veronensis.

MDXLIV. *Franciscus Squarcia* Pedemontanus.

MDXLV. *Jo. Baptista de Electis* Aprutinus.

MDXLVI. *Franciscus Crolla* Pedemontanus.

MDXLVII. *Petrus Franciscus Zinus* Veronensis, Græce Latineque doctus. Extat adhuc prima ejus Acroasis, quam typis edidit. Postea multa scripsit, quæ refert Maphejus in Verona illustr. l. 4. p. 169.

MDXLVIII. *Sigismundus Gelous* Pannonius.

MDXLIX. *Nicolaus Londa*.

MDL. *Petrus Viola* Vicetinus.

MDLI.

MDLI. *Paullus Polus* Mantuanus, qui docuit usque ad kal. majas anni sequentis.

MDLII. IV. non. maj. *Camillus de Monte Bodio* Picens; eodemque anno kalendis nov. *Bernardinus Crippa* Mediolanensis.

MDLIII. *Joannes Carnarius* Belga.

MDLIV. electus fuerat *Stanislaus Versarius* Polonus, sed ejus loco docuit *Euangelista de Bolis* Cæsenas.

MDLV. XIV. kal. aug. *Leontius Caliarius* Vicetinus.

MDLVI. III. non. aug. *Christophorus Barabalus* Pedemontanus ex Monte Reali.

MDLVII. *Rochus Lucius* ex Monte Florum Anconitanus.

MDLVIII. *Jo. Baptista Betucius* Salodiensis.

MDLIX. *Isidorus Picinardus* Cremonensis.

MDLX. *Hieronymus Spinazzolus* Siculus.

MDLXI. kalendis oct. *Franciscus Robortellus* Utinensis ex Bononiensi Gymnasio revocatus est florenis CD. ad Humanitatem profitendam, cum facultate tradendi Moralia quoque. Triennio post ad lites sedandas hac de caussa cum *Sigonio* excitatas Humanitatis Professore altero, jussus est *Robortellus* Philosophiam Moralem & Politicam ex professo tradere; ex Humanitatis autem studiis nihilo plus attingere, quam quantum ad honoris speciem satis esset. Itaque cum *Sigonius* abjisset, anno MDLXV. & sequenti Rhetorica provincia habita pro vacua est. Quamvis enim *Robortellus* Græcas Latinasque Musas non prorsus silere pateretur, tamen inter Philosophos censebatur. Obiit anno MDLXVII. plurimis editis operibus, planeque eruditis, quæ recenset Niceronus vol. 42. p. 4. & Papadopolus t. I. p. 319. ubi fuse de ejus vita scribit, & ferox ingenium notat.

Cum decreto Senatus per decennium vacasset Moralis Philosophia, anno MDLXXVII. kalendis jul. restituta est, atque in ea collocatus *Jason de Nores* Cyprius, Nicosiæ natus, florenis CC. qui aucti sunt ad CCC. anno antequam morere-

tur

tur MDLXXXIX. Vir fuit non Philosophus modo, sed & Rhetoricæ, & Poeticæ, & omnis humanitatis Græcæ Latinæque peritus. Multa scripsit, quæ recenset Ghelinus, & Niceronus in vol. 40. p. 256. inter quæ eminent de Arte Poetica libri. Vix autem defuncto *Jasone*, scholarium Universitas summopere commendavit Magistratui Michaelem Bradiolum Medici Collegii Præsidem. Sed locus vacavit usque ad diem pridie non. febr. MDXCII. quo die *Nicolaus Colonius* Bergomas conductus est florenis ducenis. Anno post ætate atque insolito labore fractus in patriam rediit. Nescio quid illi controversiæ cum *Riccobono* Humanitatis Professore fuit super Horatii Epistola ad Pisones, quam *Colonius* contendebat totam poeseos artem complecti, via & ratione compositam. Id cum *Riccobonus* inficiatus fuisset, judicemque appellasset principem virum Alexandrum Estensem, qui studiorum caussa Patavii morabatur, dicato ejus nomini commentario, *Colonius* primum exarsit, deinde, raro inter litteratos exemplo, manus dedit, veniaque petita, adversarium suum sibi conciliavit. De *Colonio*, ejusque meritis & operibus Donatus de Calvis in Scena Litter. p. I. p. 411.

MDXCIV. pridie non. jun. *Joannes Bellonius* Venetus, Canonicus Patavinus, docere cœpit florenis CL. qui anno demum MDCXIX. crevere ad DCL. Obiit quinquennio post.

MDCXXIV. xv. kal. oct. *Flavius Querengus*, Canonicus Patavinus, qui oblatum sibi a Pontifice Episcopatum Veglensem recusaverat, *Bellonio* successit florenis CCL. qui intra annos viginti aucti sunt ad DCC. Docuit usque ad annum MDCXLVI. multaque scripsit, quæ refert Papadopolus in T. I. p. 365. ubi alia vide, quæ ad ejus laudem pertinent. Laudatur etiam a Pignorio in Miscellaneis p. 13.

MDCXLVII. vi. id. febr. *Albertinus Barisonus*, Canonicus Patavinus, qui Feuda primum, deinde Pandectas in Gymnasio explicuerat, ad scholam hanc florenis D. traductus est. Sed triennio post Episcopus Cenetensis creatus est, rexit-

que

que Ecclesiam illam usque ad annum MDCLXVII. quo decessit. De illo Tomasinus in Elogiis. Anno MDCCXXXVII. editus est Commentarius ejus de Archivis, & Grævianæ Antiquitatum Collectioni Venetiis editæ insertus opera *March. Joannis Poleni* Matheseos Professoris.

MDCL. nonis mart. *Joseph Maria Maraviglia*, al. *Mirabilia*, Mediolanensis, Clericus Regularis Theatinus, conductus florenis CL. qui anno MDCLXIII. aucti sunt ad CDLXXX. Quadriennio post ad Episcopatum Novariensem evectus est, in quo decessit anno MDCLXXX. De illo Papadopolus T. I. p. 375. Cotta in Museo Novariensi p. 203. Argelatus in Biblioth. Mediolan. p. 930. ubi ingentem refert rerum ab eo scriptarum catalogum.

MDCLXVIII. v. kal. mart. *Fr. Franciscus Macedo* Minorita Conimbricensis, ex Gymnasio Romano, ubi primus Ecclesiasticam Historiam professus est, ad Scholam hanc accessit conductus florenis quingenis, qui anno MDCLXXX. crevere ad octingenos. Anno post mortuus est, cum jam ad ætatis nonagesimum pervenisset. Annos fere triginta in Gesuitarum sodalitio fuerat, unde postea ad Minoritas Observantes demigravit. Publicam disputationem *de omni scibili* Venetiis habuit, tanta totius civitatis admiratione, ut ex eo tempore *Scientiæ monstrum* dictus sit. Ejus disputationis theses editæ sunt hoc titulo, *Leonis S. Marci rugitus litterarii*: ex quo quidem titulo satis apparet, cujusmodi monstrum esset. Fundendis ex tempore Latinis carminibus præsertim valuit; & ex hac potissimum Poeticæ venæ ubertate famam sibi longe lateque comparavit. Litterariam controversiam habuit cum Card. Norisio, viro suæ ætatis celeberrimo, a quo acriter sane *Thraso Macedonicus* vocatur. in titulo libri adversus illum editi. Parcendum irato. *Macedo* enim revera multiscius fuit, & modo quodam suo plane insignis. De ejus vita & scriptis Papadopolus t. I. p. 373. Carafa de Gymn. Rom. t. 2. p. 476. & Niceronus vol. 31. p. 114. ubi opera ejus

 omnia

omnia recenset, variis locis ac temporibus vulgata, admodum sexaginta novem.

MDCLXXXI. VI. id. aug. *Joseph Carlottus* Cyrnæus, Canonicus Patavinus, florenis CCC. accessit ad Moralia tradenda. Sequenti mense Theologiæ Lauream more nobilium, solutis expensis, & quæstionibus sorte ductis, adeptus est, Collegioque adscriptus. Biennio post sextum Promotoris locum in eodem Collegio, qui, defuncto jam *Fr. Adriano a S. Juliana*, vacabat, annuente Magistratu, occupavit. Stipendium ejus iterum ac sæpius auctum est usque ad florenos DCCC. Anno MDCCXVIII. ætatis missionem obtinuit, relictis optimo seni in reliquos vitæ annos CCC. Obiit anno post morbo diuturno absumptus. Puer rerum omnium egenus casu quodam, ut ipse mihi narrare solebat, in has regiones delatus est: sed industria & labore perfecit, ut honores obtineret omnes, quos homo Ecclesiæ addictus, & litterarum minime expers obtinere Patavii potest. Vitæ in primis morumque honestate excelluit usque adeo, ut duobus Patavinis Episcopis, nostra patrumque memoria celeberrimis, supra reliquos omnes sui ordinis viros, consuetudine & familiaritate conjunctus fuerit. De illo Patinus in Lyceo Patavino p. 126.

MDCCXVIII. XV. kal. sept. *Jacobus Giacomettus* Patavinus, *Carlotto* suffectus est florenis CCC. qui anno demum MDCCXXXVI. crevere ad DLX. Sed anno post IV. id. maj. mortuus est, cum annos vixisset LXXIV. In Seminario Patavino a prima pueritia altus atque educatus, Rhetorica ejus loci studia diu rexit. Sed Disciplinis gravioribus nullam ex professo operam dedit: proindeque ad Moralem Philosophiam publice profitendam a Triumviris Litterariis invitatus, subita quadam desperatione animi eo est adactus, ut sibi ipse manus inferret. Servatus amicorum opera, & curatus, post biennium docere cœpit, omnique seposita meditandi cura, nihil præter Aristotelem dedit summa fide atque elegantia

expo-

expositum. Tacite indultum illustri viro est, ut in publica Universitate doceret, quamvis magisterii jura & insignia nunquam obtinuisset. Anno MDCCXXXIII. orationem edidit sibi maxime probatam ex iis, quas in Seminario habuerat; quam tamen non orationem, sed *Dissertationem Rhetoricam* vocare maluit. Ex hac totus homo perspici potest, ut ex ungue leo. Nam reliqua opera sine delectu post ejus obitum typis vulgata, naturam sapiunt istiusmodi collectionum. Latine scribendo non mediocriter valuit; sed potissima ejus laus ex Græcis litteris manavit, in quibus sine controversia præstabat, quamvis nullum fere laudis hujus testimonium reliquerit. *Calligraphia* enim, quam illi tribuunt semidocti, tota Joannis Possellii est, primum Rostochii anno MDXC. in lucem emissa, deinde sæculo sequenti ab Auctore amplificata, iterumque ac sæpius aliis in locis edita. Omnino vir fuit *Giacomettus* acri quadam ingenii vi, vocis auctoritate, morumque innocentia clarus.

MDCCXXXVIII. kalendis april. *Jacobus Stellinus* Forojuliensis, ex Somaschensi B. Æmiliani Congregatione, florenis conductus est centenis quinquagenis, qui anno MDCCXLIV. aucti sunt ad CCLXXX. rursus autem post sexennium ad CCCCX. cum dissertationes duas de moribus edidisset acutas & elegantes. Neque vero in his modo versatur studiis, sed Metaphysica quoque & Mathematica impense colit, colentibusque operam navat.

DE ASTRONOMIA ET MATHEMATICA.

ANno MDXVII. ſtatim poſt bellum ipſa quoque Aſtronomica ſtudia diſcendi cupidos invenerunt, ſcholam regente *Bartholomæo Veſpucio* Florentino, Artium ac Medicinæ Doctore, ut ex ejus oratione colligitur Venetiis edita anno MDXXXI. *de laudibus Quadrivii*. *Veſpucium* excepit anno MDXVIII. *Balthaſſar Sanoſſarmus* Polonus, ſtipendio conductus ſcholæ proprio florenor. XL. Neuter tamen induſtriam ſuam ultra fines protulit Aſtronomiæ: imo ne *Thomas* quidem *Philologus* Ravennas, qui docuit in hac ſchola anno ſequenti, cum antea inter Sophiſticæ Profeſſores fuiſſet. Hic vero, anno circumacto, Gymnaſium urbemque reliquit, ſeque Medicinæ faciendæ Venetiis dedit. Ibi anno MDLXXVII. teſtamentum condidit, quo ædes ſuas Patavinas in vico S. Leonardi ad pontem Molendinorum in Collegium verti juſſit, ad juventutis ſtudioſæ commodum; eodemque anno morbo correptus obiit. Ipſe ſe in eo teſtamento *Rangonum* appellat; ex quo apparet, *Philologi* nomen fuiſſe aſcititium. Fontaninus in Italica Bibliotheca ſcribit, *Philologum* anno MDLVIII. Medicinæ Profeſſorem Patavii fuiſſe, quam antea Bononiæ, Romæque tradiderat: ſed in monumentis ab eo allatis nihil eſt hujuſmodi. De ejus vita & operibus Papadopolus t. I. p. 312. demptis, quæ de mortis & teſtamenti anno contra Tomaſinum commentus eſt. Poſtremus de *Philologo* ſcripſit Ginnanus Abbas Caſſinenſis in Diſſertatione *de Ravennatium Litteratura*.

MDXX. kalendis dec. *Fridericus Delphinus* Patavinus ſuffectus eſt, attributis pro jure ſcholæ florenis XL. quibus anno poſt viceni additi ſunt ea conditione, ut non Aſtronomiam modo, ſed etiam Matheſim traderet, quæ bello intercepta adhuc jacebat. Anno MDXXXI. pridie non. jun. ſponte diſceſſit. Sed VIII. kal. nov. aucto ſtipendio ad florenos

C. in

C. in provinciam rediit. Rursus anno MDXLII. vicenos obtinuit: quadriennio autem post mortuus est. Ejus vitam scribit Papadopolus in T. I. p. 305. Opera quoque ejus recenset, quibus adde *Tractatum super loca Mathematica in Topicis & Elenchis Aristotelis*, & *Orationem pro idea Methodi*.

MDXLVII. IV. id. oct. *Petrus Catena* Venetus conductus florenis LX. quibus viceni additi sunt anno MDL. Post annos novem cum summa inopia laboraret, mutuo dati sunt illi ex ærario floreni quinquaginta per litteras Triumvirales. Deinceps auctum illi rursus stipendium est, & quidem anno MDLXXIV. usque ad florenos CLXXX. & nonnihil etiam pecuniæ mutui nomine datum. Auditores plurimos habuit, & quidem ex Veneta nobilitate septem & triginta. De eo Papadopolus in T. I. p. 325. Operibus, quæ ibi recensentur, adde *Universa loca in Logicam Aristotelis ex Mathematicis disciplinis traducta*. Venet. MDLVI.

MDL. *Franciscus Barocius* Venetus, vivente ac docente *Catena*, Sphæram Joannis a Sacrobosco explicare extra ordinem cœpit, ut constat ex oratione ejus prima, & ut ipse de se scribit in *Confutatione tertii erroris*, & ut confirmant Historici nostri omnes, qui mirantur, quomodo vir Patritius profiteri publice potuerit post decreta annorum MCDLXXVII. & MCDLXXIX. quibus Senatus Ordinem hunc a Gymnasii cathedris arcet. Sed jam decreta obsoleverant pro rerum ac temporum conditione, quæ aliter poscebat. Opera ejus refert Papadopolus t. I. p. 322. Nec est omittendum, etiam inter Jurisconsultos ejus ætatis locum *Barocio* concedi a Foscareno de Venetor. Litterat. l. 1. p. 46. & seq.

MDLXXVII. IX. kal. jun. mortuo *Catena*, *Joseph Moletius* Messanensis successit florenis CC. Cum magnam sibi doctrinæ famam peperisset, accitus est a Duce Mantuæ, ut Vincentium Filium in Mathematicis disciplinis instrueret. Abfuit per annos septem, deinde Patavium rediit, auctoque stipendio ejus florenis centenis, docuit usque ad annum MDLXXXVIII.

quo

quo mortuus est. De ejus vita & operibus Tomasinus in Elog. T. 2. p. 108. & Papadopolus in T. I. p. 329.

MDXCII. VI. kal. oct. *Galilaeus de Galilaeis* Florentinus ex Pisano accitus Gymnasio florenis CLXXX. qui bis aucti crevere ad DXX. anno MDCVI. Cum disciplinam hanc multis inventis, praesertim vero telescopio, locupletasset, auctum illi stipendium est anno MDCIX. ad florenos M. quibus tota vita frueretur. Anno post in patriam rediit revocatus a Principe suo Cosmo II. Magno Etruriae Duce, ubi mortuus est ineunte anno MDCXLII. Astronomus fuit aetatis suae non dicam princeps, sed solus: ceterum, quod omnibus vere sapientibus accidit, parum felix, dum viveret. Cum sublatus e vivis est, tum demum apparuit, quantus & Astronomus, & Philosophus fuisset. Ejus Opera, quae in omnium admiratione sunt, post multas editiones prodiere ex Seminarii Patavini Typographia anno MDCCXLIV. Vide ibi ejus vitam.

MDCXIII. VIII. kal. nov. *Joannes Camillus Gloriosus* Neapolitanus conductus florenis CCCL. quibus duceni additi sunt anno MDCXXII. Sed eodem anno sub novi litterarii curriculi initium, quod biennio tardius auctum illi stipendium fuisset, scholam deseruit, non tamen urbem. Siquidem anno sequenti dissertationem Patavii edidit de Cometis, in qua ipse se *Gisonensem* vocat. Postea cum abjisset, inimicitias exercuit cum *Fortunio Liceto*, & cum successore suo *Bartholomaeo Sovero*; quam in rem librum vulgavit Neapoli MDCXXX. Vide Tomasinum in Elog. T. 2. p. 311. & Papadopolum t. 1. p. 362.

MDCXXIV. XVI. kal. oct. *Bartholomaeus Soverus* Friburgensis conductus est florenis quadringenis, cum suam Magistratui peritiam probasset, difficili soluto problemate, ut erat in more. Sed obiit quinquennio post. Multa de toto ejus vitae genere, & studiis Tomasinus in Elogiis t. 2. p. 269. & Papadopolus t. 1. p. 352. Extat *Soveri* opus posthumum *de recti & curvi proportione*.

MDCXXXII.

MDCXXXII. IX. kal. maj. *Andreas Argolus* Aprutinus ex Taleacotio, qui Medicus, Mathematicus, & Aſtrologus vulgo habebatur, quingenis conductus eſt, nec multo poſt aureo torque, & titulis Equeſtribus ornatus. Cum præter aſſiduam ſcholæ operam plurima ſcripſiſſet per Italiam celebrata, anno MDCLVIII. crevit ejus minerval ad florenos MCC. Sed eo ipſo anno mortuus eſt. Ejus fata deſcribit, & opera recenſet Papadopolus t. I. p. 367. Niceronus vol. 39. p. 325. & Mazzucchellus t. 2. p. 1045.

MDCLXI. III. kal. maj. *Andreas Morettus* Brixianus florenis conductus trecenis eodem anno mortuus eſt. Succeſſit biennio poſt IV. non. jan. *Stephanus de Angelis* Venetus, ex cœnobio Jeſuatorum, quod, ipſo adhuc vivente ac docente, poſtea clauſum eſt. Conductus eſt florenis CCLX. qui pluribus aucti vicibus crevere ad centenos ſupra mille; docuitque uſque ad annum MDCXCVII. quo mortuus eſt. De ejus vita & operibus Papadopolus ex Patino in Lyceo p. 41. & Mazzucchellus t. 2. p. 740.

MDCXCVIII. XII. kal. ſept. *Dominicus Gulielminus* Bononienſis ex patrio Gymnaſio millenis deductus eſt; magno utique liberalitatis genere, ſed tamen quod homini famæ deberetur, quam ſibi per omnia induſtriæ Medicæ, & Mathematicæ genera in patria, & extra patriam comparaverat. Movit præſertim Magiſtratum opus ejus Hydroſtaticum *de aquarum fluentium menſura*. Sed cum in Medica maxime facultate præſtaret, ipſamque Matheſim ad Medicinæ uſum diſputando traheret, anno MDCCII. in prima hujus claſſis ſchola collocatus eſt.

MCCVII. IV. kal. maj. *Jacobus Hermanus* Baſileenſis, nominis fama non apud ſuos modo, ſed etiam cis alpes notus, ſexcenis accitus eſt. Sed anno MDCCXIII. ad Matheſim Francofurti ad Viadrum profitendam tranſire maluit, cum jam multiplex ingenii doctrinæque ſpecimen publicis privatiſque exercitationibus apud nos dediſſet. Ejus laudes complexus eſt Papadopolus t. I. p. 188.

MDCCXVI.

MDCCXVI. IX. kal. oct. *Nicolaus Bernullius* Basileensis æque illustris, eodem suffectus stipendio est. Sed vix elapso triennio, patre orbatus bona Principis venia domum rediit. Scripserat nonnulla, quæ memorat Papadopolus t. I. p. 189. Sed ipsum jam Bernullium nomen non tam familiæ, quam Mathematicæ scholæ est.

MDCCXIX. XII. kal. oct. ex Philosophia translatus est *Joannes Polenus*, qui jam in Mathematicorum ore famaque erat. Florenis merebat sexcenis, qui anno demum MDCCXXXIII. crevere ad millenos, dinumeratis insuper illi argenteis Venetis centum ex ærario ad formas cudendas, quibus in Geometricis doctrinis explicandis uteretur. Anno MDCCXXXIX. aucto rursus stipendio, accessit illi onus faciendi publice experimenta Philosophica. Tam vario ac difficili studiorum genere implicitus cum sit, attamen identidem extra scholas per Venetam ditionem, interdum etiam extra Venetos fines arcessitur, ut de aquis, & Architectonicis rebus pro sua Mathematicarum rerum peritia judicet. Anno MDCCLII. crevit stipendium ejus ad flor. MDC. quadriennio autem post extra ordinem ad octingenos supra mille. Multa scripsit, in quibus eminent Libri *de motu aquæ mixto*, & *de Castellis*, *Frontini Commentarius*, & *Exercitationes Vitruvianæ*; quæ magnam Vitruvii ipsius expectationem moverunt. Non est omittendum, tria illum in Parisiensi scientiarum Academia præmia obtinuisse; quod haud scio an ulli unquam ex nostris præter generum ejus *Pontederam* contigerit. Primum illi adjudicatum est anno MDCCXXXIII. cum quæreretur de navali itinere metiendo, alterum MDCCXXXVII. cum quæreretur de præstabiliore anchorarum figura, tertium MDCCXLI. cum quæreretur de præstantiore ergatæ navalis usu.

DE

DE METEORIS ETC.

Ad Meteorologicos Ariſtotelis libros.

ANno MDLXXXIII. *Nicolaus Andronicus* Tragurinus, Artiſtarum Rector, ultro Meteora interpretanda ſuſcepit ex veteri Rectorum inſtituto, quibus concedebatur inter Profeſſores locus, ſiquis eorum onus tam grave non reformidaret. De illo Riccobonus l. 3. c. 51. Anno ſequenti XIV. kal. febr. Univerſitas petiit & obtinuit a Magiſtratu, ut Rectori ſuo publice docenti argentei Veneti quinquageni hoc nomine ſolverentur, ex Statutorum lege, & antiqua Gymnaſii conſuetudine.

MDCI. III. non. nov. *Camillo Bellono* Philoſophiæ Extraordinariæ Profeſſori primario onus adjectum eſt explicandi Meteora diebus vacantibus, eoque nomine tributi ſunt illi floreni C. modo ne Philoſophica ſchola aliquid detrimenti caperet. Itaque diebus docuit tum ordinariis, tum extraordinariis, donec anno MDCIX. ſuum ſibi Meteora Profeſſorem vindicarunt *Caſparrem Venturam Lonicum* Canonicum Atheſtinum. Acceſſit ad docendum ducenis quinquagenis, qui nunquam augerentur. Aucti tamen ſunt anno MDCXLVII. ad CCCC. quod ad arcanas de rebus Eccleſiaſticis conſultationes Venetiis adhiberetur. Addi penſo Senatus juſſit Parva Ariſtotelis Naturalia, in quibus fere unis *Lonicus* verſatus eſt. Objit anno MDCLXV. ejuſque laudes, titulos, & Opera complexus eſt Antonius Angelerius in *Specimine Hiſtor.* edito Venet. MDCCXLV. p. 116.

MDCLXX. idibus mart. *Equ. Sertorius Urſatus* Patavinus florenis conductus eſt centenis quinquagenis, quibus nulla unquam fieret acceſſio. Ut autem *Lonicus* ex gemino ſcholæ titulo Parva dumtaxat Naturalia explicuit, ita hic ſolummodo Meteora, ſed magna cum laude, totiuſque Gymnaſii ap-

probatione. Obiit anno MDCLXXVIII. In vetusta eruditione plurimum valuit, & ex hac maxime scriptis suis immortalitatem comparavit. Eminet *Commentarius de Notis Romanorum*. Proxime accedunt *Marmora Erudita*, quæ iterum edidit adnotationibus illustrata nepos ejus *Jo. Antonius* Abbas Cassinensis S. Paginæ in Gymnasio Interpres. Plura de illo ejusque operibus in Tomo XXXIII. Diarii Litterarii Veneti, in XIII. Niceroni, & in I. Papadopoli p. 372. & seq.

MDCLXXVIII. x. kal. aug. *Geminianus Montanarius* Mutinensis ex Gymnasio Bononiensi, ubi per annos XIV. docuerat, accitus est ad explicanda non Meteora modo, sed in primis Astronomiam, quæ jam obsoleverat, omissis interim Parvis Naturalibus. Itaque Schola inter Ordinarias numerari cœpit eique hora tertia matutina assignata est. Decretum illi stipendium est florenorum CD. quibus CCC. additi sunt anno MDCLXXXIII. Obiit quadriennio post, multis editis Operibus, quæ adhuc in pretio sunt. Ea recenset Papadopolus ex Patino & aliis in t. I. p. 378.

MDCXCIV. idibus jan. *Michael Angelus Fardella* Drepanensis, Philosophus & Mathematicus percelebris, florenis conductus est quadringenis: eoque ad primum evecto Philosophiæ Ordinariæ locum, anno MDCCIII. XI. kal. april. *Joannes Gratianus* Bergomas suffectus est florenis CCL. Porro *Gratianum* ad Philosophos traductum excepit eodem stipendio *Joannes Polenus* Venetus VI. kal. oct. MDCCIX.


MDCCXV. v. kal. jun. Cum *Polenus* ad secundam Philosophiæ Ordinariæ scholam progressus esset, successit *Bartholomæus Lavagnolus* ex loco tertio Philosophiæ Extraordinariæ florenis quinquagenis supra centum. Sed triennio post ad Medicos migravit; eique statim suffectus est *Ludovicus Ripa* Venetus, ducenis conductus. Ad scholam hanc celebrandam additæ sunt VII. id. mart. MDCCXXXIX. Nautica, & Geographia; quæ tamen nec multos auditores invenerunt, quorum indu-

induſtriam exercerent, neque magnam Profeſſori curam attulerunt. Itaque ad alliciendam modis omnibus juventutem, anno MDCCXLIV. decretum eſt, ut qui Meteoris cognoſcendis operam darent, non ſecus ad Lauream accedere poſſent, graduſque Academicos obtinere, ac ſi Philoſophos Ordinarios audirent. *Ripæ* ſtipendium iterum ac ſæpius auctum crevit anno MDCCXLV. ad florenos octingenos quinquagenos. Sed anno poſt, ætatis ſuæ octavo & quadrageſimo, XII. kal. mart. aquis periit, in quas ſub noctem, cum domum rediret, prolapſus eſt pone S. Juſtinæ templum, fatis per devia ducentibus. Hereditatem ejus Fiſcus occupavit, quod propinqui nulli apparerent. Cum adhuc eſſet adoleſcens, ingenioque abundaret, plantarum hiſtoriam ſcripſit, ut locum qualemcumque in Gymnaſio quæreret. Hiſtoriam hanc, ait Papadopolus, non magnus ſane Botanicus, ſe bis avidiſſime legiſſe. Certe ejus gratia *Felici Viali* Horti publici Præfecto adjutor Triumviralibus litteris datus eſt anno MDCCXVII. Sed, cito mutato conſilio, cum ſe Mathematicæ diſciplinæ & Aſtronomicis obſervationibus dediſſet, ſcholam hanc obtinuit, & ſubtiles aliquot pro ſuſcepto munere diſputationes emiſit. Paucorum hominum vir, tametſi ingenio doctrinaque valeret, non ſe libenter populo & ſcenæ dabat.

MDCCXLVI. VII. kal. ſept. ſuffectus eſt *Jo. Albertus Columbus* Venetus, Monachus Caſſinenſis, florenis in annum ducenis, aperuitque graviſſima oratione ſcholam. Statim morbo tentatus, & quidem ex iis qui lethales habentur, attamen non modo publicum docendi munus animoſe ſuſtinuit, ſed privatum quoque recepit: utrumque autem multiplici induſtria, & ſumma cum juventutis utilitate explet. Anno MDCCLII. auctum ejus minerval eſt ad flor. CCCXL. Quadriënnio autem poſt novum illi impoſitum onus eſt Geographiæ explicandæ.

DE NAUTICA.

NOvum hoc auditorium ad horam secundam matutinam dierum vacantium aperiri Senatus jussit anno MDCCXLV. postridie non. april. ad Venetæ præsertim Juventutis institutionem. Ejus titulum in albis Gymnasticis esse placuit, *Ad Artis Nauticæ Theoriam*, sumpto a Meteororum schola penso, bona *Ripæ* Professoris venia. Accitus autem est ad hoc munus *Comes Rinaldus de Carolis* Justinopolinanus, decreto stipendio florenorum CCC. additoque statim Collegii Medici jure. Hesiodum e Græco vertit, commentariosque edidit de antiquitatibus patriis, & de Argonautis admodum eruditos. Exeunte anno MDCCXLIX. onus deposuit. Biennio autem post VII. kal. dec. scholam ipsam Senatus sustulit. Pensum ejus XIII. kal. mart. MDCCLVI. partim redditum Meteoris est, partim ad Mathesim translatum.



AD

AD ELEMENTA GEOMETRIÆ

DIEBUS ORDINARIIS HORA PRIMA MATUTINA.

SChola hæc, quam decem ante annis Senatus instituendam censuit, anno demum MDCCLI. aperta est, præpositusque illi *Comes Hieronymus de Rinaldis* Forojuliensis, qui anno superiore Mathematicas exercitationes Venetiis cum edidisset valde probatas, magnam ingenii sui spem & expectationem fecerat. Euclidis Elementa pensi loco assignata sunt, quorum interpretationem singulis annis absolvere teneretur; ne, qui ad graviora Universitatis studia contenderent, diutius quam par est, in Geometricis rudimentis hærerent. Credibile autem est, ipsa quoque Analyseos Principia & Elementa hoc nomine Magistratum comprehendi voluisse. Conductus est florenis CCL. doctaque oratione kalendis april. scholæ prolusit.



SCHOLA PRIMA

MEDICINÆ PRACTICÆ ORDINARIÆ.

ANno a restitutis scholis altero MDXVIII. IV. id. oct. ad primum Practicæ Medicinæ Ordinariæ locum electus est *Christophorus de Francuccis* Aretinus, Pisis evocatus, florenis DCL. Post annos duos datus est ejus senectuti vicarius *Substituti* nomine *Hieronymus Bagolinus* Veronensis, qui Philosophiam Ordinariam ex sede secunda profitebatur florenis CL. Anno autem MDXXI. XII. kal. sept. *Francuccio* dimisso, idem *Bagolinus* Ducalibus litteris confirmatus est. Etsi porro doctrina ejus & industria satis probaretur, tamen prima hæc Medicinæ Practicæ sedes majus aliquid postulare visa est: proindeque anno MDXXIII. postridie non. nov. *Bagolino* ad Practicam Extraordinariam translato, eam occupavit *Bernardinus Speronus* Patavinus, florenis CCC. cui collega sine discrimine loci datus est *Jo. Laurentius Saxoferratensis*, qui tenuerat primum Theoricæ Ordinariæ locum stipendio florenorum DC. Sed anno MDXXVI. *Speronus* abdicavit, ut ægrotantibus operam totam præberet; nec ita multo post ipse quoque *Saxoferratensis*. Anno autem proximo pridie kal. nov. successit *Hieronymus Accorambonus* Eugubinus, qui annos amplius XX. in Italiæ Gymnasiis magna ingenii & doctrinæ fama Medicam Artem professus fuerat. Constitutum illi salarium est Ducatorum aureorum DCC. quibus quadriennio post additi sunt præterea C. ut onus resumeret, quod paullo ante senectute fractus deposuerat. Obiit *Accorambonus* anno MDXXXV. ejusque laudes & scripta recenset Papadopolus t. I. p. 304. Eodem anno in locum ejus translatus est *Ludovicus Carensius* Patavinus, cognomento *Tosettus*, qui secundam classis ejusdem sedem per annos XV. magna cum laude tenuerat. Auctum est autem stipendium ejus ad florenos D. Sed quadriennio post decessit,

cum

cum emisisset *Isagogem ad Artem Medicam*, & tractatum *de tribus Doctrinis*. De illo post Scardeonium, Riccobonum, Portenarium, Tomasinum, scripsit Papadopolus t. I. p. 304.

MDXXXIX. VII. id dec. electus est *Jo. Baptista Montanus*, al. *de Monte*, Veronensis, florenis D. Porro autem cum *Montanus* ad Theoricam migrare maluisset, anno MDXLIII. XIV. kal. jan. huc a prima Theoricæ schola transiit *Pamphilius Montius* Bononiensis, servato stipendio, quod jam obtinuerat, florenorum CDLX. Post biennium *Pamphilius* in patriam rediit; & ne locus vacaret, *Antonius Fracanzianus* junior Vicetinus, ejus partes suscepit titulo *Substituti*, ita jubentibus ad annum Gymnasii Moderatoribus, cum antea per annos sex Theoricam professus esset. Anno MDXLVI. *Ordinarius* declaratus est, & Collega *Paulli de Crassis* in sede secunda, vacante prima usque ad annum MDLI. Hoc demum anno missus est Venetiis, ubi Philosophiam publice tradiderat, & magna cum laude medicinam faciebat, *Victor Trincavellus*, al. *Trincavella*, Venetus, ut scholam hanc regeret stipendio aureorum CML. qui triennio post aucti sunt ad MC. Primus in hoc Gymnasio Græca Hippocratis Opera interpretatus est: idemque plures Galeni Libros in latinum sermonem transtulit. Arrianum, Stobæum, & Græcos Aristotelis interpretes emendavit atque edidit; multaque scripsit, ex quibus eum apparet aliarum quoque artium ac litterarum studia ad Medicinam adjunxisse. Anno MDLXIII. mortuus est in patria. De ejus vita & operibus Scripsit Laurentius Marucinus, & Fr. Joannes de Augustinis de script. Venet. T. 2. Illo ipso anno exeunte suffectus est *Antonius Fracanzianus* argenteis Venetis DCC. ex scholis Bononiensibus, ad quas transierat, revocatus. *Trincavelli* mortem biennio tardiorem fuisse Papadopolus duobus in locis acriter contendit, & *Fracanzianum Bassiani Landi* in Classe Theorica successorem facit. Sed standum est Actis & Litteris Ducalibus. Anno MDLXVI. *Fracanzianus* filiam collocaturus obtinuit a Senatu argenteos MCC.

mutui

mutui nomine ex ærario Gymnaſtico, miſſa etiam in rem hanc Venetiis pecunia, quod ærarium ſolvendo non eſſet. Anno poſt mortuus eſt. Reliqua ejus fata & opera ab eo ſcripta vide apud Papadopolum t. I. p. 318.

Porro ne praxis Medica Doctore primario careret, pridie kal. dec. *Bernardinus Paternus*, qui Theoricam explicabat, hujus quoque partis curam ſuſcipere juſſus eſt, donec Medicus alius loco dignus reperiretur. Repertus eſt autem anno MDLXIX. *Hieronymus Mercurialis* Forolivienſis, & conductus decreto Senatus florenis DC. prid. non. oct. Anno MDLXXIII. ad curandum Maſſimilianum II. Imperatorem Vindobonæ ægrotantem bona Principis venia profectus eſt: unde cum rediiſſet honoribus cumulatus & pecunia, rumor increbuit, eum invitari a Pontifice Gregorio XIII. Sed ipſa ſcholarium Univerſitas egit cum Triumviris, ut conditione quavis retineretur. Biennio poſt additis florenis CCC. ejus minerval auctum eſt ad CM. Subinde vero anno MDLXXXI. uſque ad MCL. Cum anno MDLXXVI. peſtilentiæ genus quoddam Venetiis graſſari cœpiſſet, de quo in Rectorum Faſtis dixi, nec de illo *Mercurialis* recte judicaſſet, poſtea non ſine verecundia aliqua apud nos fuit, oblataque occaſione, demigravit. De illo ejuſque fatis & operibus Papadopolus t. I. p. 343. & Niceronus vol. 26. p. 17.

MDLXXXVII. cum *Mercurialis* ad Bononienſes tranſiſſet, III. id. oct. ſuffectus eſt in ejus locum *Alexander Maſſaria* Vicetinus florenis DCCC. quem ſibi præponi novum in Gymnaſio hominem ægerrime tulit *Capivacceus* Profeſſor claſſis hujus ſecundarius. Sed *Maſſariæ* fama tanta erat, ut ſupra omnem ingenii aleam poſitus videretur. Confirmatus eſt anno MDXCIII. aucto ſtipendio ejus ad millenos. Deceſſit quinquennio poſt, ejuſque laudes & opera fuſe deſcripſit Riccobonus l. 3. c. 32. & ex eo Papadopolus t. I. p. 336.

MDXCIX. pridie id. oct. ad locum hunc principem vocatus eſt *Euſtachius Rudius* Bellunenſis florenis DC. qui anno

MDCIII.

MDCIII. postridie non. dec. aucti sunt ad M. anno autem MDCIX. nonis nov. in scuta commutati. Obiit biennio post, cum in Artem totam Commentarios edidisset, & Opuscula Chirurgica, quæ memorat Papadopolus non sine multa, & quidem justa laude t. I. p. 345.

MDCXII. *Thomas Minadous* Rhodiginus ex loco secundo ad hunc primum evectus est, additis florenis C. ad quingenos, quos jam obtinuerat. Post annos tres, Florentiæ cum esset, afflictæ Magni Ducis valetudini opem laturus, ipse interiit pridie kal. jun. Ejus laudes & opera habes apud Papadopolum t. I. p. 345.

MDCXV. *Rodericus Fonseca* Lusitanus e scholis Pisanis vocatus est florenis M. solutis insuper itineris expensis. Vixit usque ad annum MDCXXII. multaque scripsit, quorum catalogum ex Bibliotheca Hispana dedit Papadopolus in t. I. p. 349.

MDCXXII. Datus est *Fonsecæ* successor *Joannes a Colle* Bellunensis, Ducis Urbinatis Archiatrus, florenis DCC. qui anno MDCXXXI. pridie non. febr. aucti sunt ad MCCCL. Hoc ipso anno kal. jul. peste, quæ totam invaserat Civitatem, sublatus est. Ejus vitam scripsit Papadopolus in t. I. p. 359. & longissimum Operum catalogum dedit, quorum haud scio an ullus sit usus. Tempora tam difficilia non patiebantur, ut exteri invitarentur. Itaque *Benedictus Silvaticus* Eques, Comes Palatinus, & Poloniæ Regis Archiatrus honorarius, anno MDCXXXII. lege solutus, qua Patavini locis primis arcebantur, ex secunda sede decreto Senatus translatus est. Quamquam non temporis modo, sed & hominis habita ratio est longe celeberrimi, atque adeo etiam familiæ de Rep. optime meritæ, ut ex ipso decreto apparet. Cum Germanorum Protector esset, multamque illis operam sæpe navasset, obtinuit, tota petente natione, immunitates omnes ad domesticum usum, quæ exteris Professoribus conceduntur. Quo exemplo *Joannes Galvanus* rerum criminalium

Professor, Protector alter, idem obtinuit. Auctum *Silvatico* stipendium est ad florenos CM. sexennio autem post ad ML. & rursus anno MDCXLIV. ad ducenos supra mille. Demum anno MDCL. *Supraordinarii* jura nomenque obtinuit, ut suo ipse arbitrio legeret, totoque stipendio, quoad viveret, frueretur. Vixit autem usque ad annum MDCLVIII. Vide Urbanas Salomonii Inscript. p. 17.

MDCLIX. *Raymundus Jansortius*, al. *Joannes Fortis*, Veronensis, qui Utini stipendio Ducatorum MCC. Medicinam faciebat, accitus Patavium est, & ad hunc Gymnasii locum evectus florenis MD. quibus anno MDCLXVI. additi sunt præterea CCC. Hoc stipendio meruit usque ad annum MDCLXXV. quo senectutis & valetudinis caussa honestam missionem obtinuit, servatis illi in reliquum vitæ cursum florenis DC. Sed cum, adhibitis tota Europa conquisitionibus, qui locum impleret, non inveniretur, ipse rursus operam suam obtulit, tituloque *Supraordinarii* ornatus est, ut arbitratu suo doceret. Anno sequenti Leopoldi Imperatoris Archiatrus, & Senatus Veneti Eques creatus est. Biennio post obiit, exeunte februario. Scripsit atque edidit *Responsa Medica*, ex quibus apparet, totam medendi industriam in praxi ab eo collocari consuevisse. De illo Papadopolus t. 1. p. 371.

Quinto ab *Jansortii* interitu mense MDCLXXVIII. invitatus est *Gualterus Carletonus* Britannici Regis Archiater, oblato stipendio florenorum MD. Accepit conditionem, sed quæsitis caussis fidem fefellit. Cum autem diu schola vacasset, demum anno MDCLXXXVII. *Georgio a Turre* Patavino, qui in secunda docebat, assignata est stipendio florenor. MCL. Et quia ab anno usque MDCLXVI. Horto Botanico præfectus fuerat, curam hanc omnem *Felici Viali* remisit, quem sibi comitem & adjutorem paucis ante annis dari curaverat. Anno sequenti eam quoque Medicinæ partem, quæ ad pulsus & urinas pertinet, in Nosocomio diebus vacantibus expli-

explicare juſſus fuerat; ſed eo ipſo anno mortuus eſt. De illo & ejus operibus Patinus in Lyceo p. 27. & Papadopolus in t. 1. p. 379.

MDCLXXXIX. xv. kal. april. accitus eſt *Bernardus Martinus de Berenclon* ex Holſatia, Britannici Regis Medicus, oblato ſtipendio florenorum DCCC. additaque conditione diſputandi in Noſocomio de pulſibus & urinis, ex decreto anni ſuperioris. Adſuit ſub initium ſtudiorum: ſub finem autem bona venia diſceſſit, numeratis inſuper illi viatici nomine argenteis centum. Succeſſit ſtatim totidem florenis *Franciſcus Jona* Veronenſis, medendi uſu & exercitatione magis, quam doctrina notus. Ipſi quoque additum onus agendi de pulſibus & urinis, ſed tribus tantum in ſingulos annos diebus. Vix quinquennium cum docuiſſet, anno MDCXCV. extinctus eſt.

Quarto ab *Jonæ* obitu anno evectus eſt in locum hunc *Franciſcus Spoletus* Etruſcus, qui ſecundum tenebat ordinis ejuſdem, florenis DC. Cum magnam ſui expectationem ſtatim moviſſet, maluit Legatum Venetum ad Turcarum Imperatorem ſequi, ſervata ipſi ſchola, ſtipendio toto, & emolumentis omnibus ad locum hunc pertinentibus. Cumque rediiſſet, incommodis multis præcipue oculorum afflictus, miſſionem efflagitavit anno MDCCVII. & in patria mortuus eſt quinquennio poſt. Quædam ſcripſit, quæ refert Papadopolus t. 1. p. 171.

Ultro deſertum a *Spoleto* locum occupavit anno MDCCIX. *Bernardinus Ramazzinus* Carpenſis ex ſecundo digreſſus florenis DCCL. decreto autem Senatus honorificentiſſimo, quo conceſſum eſt optimo Seni, ut in docendo non tam ſcholaſticæ ephemeridis, quam ætatis & valetudinis ſuæ rationem haberet. Eo defuncto nonis nov. MDCCXIV. non ſine peculiari Gymnaſii & civitatis mœrore, ſchola hæc Medicarum princeps vacavit annos ferme quatuordecim. Non deerant ſane qui eam peterent, probabiles notique Medici: ſed Triumviri litterarii hoc quoque nomini tanto tribuendum puta-

 runt,

runt, ut diu quæreretur, qui pro dignitate ſuccederet. De ejus vita, ſtudiis & operibus commentariolum ſcripſit Bartholomæus ex fratre nepos, & ex eo multa Papadopolus t. 1. p. 385.

MDCCXXVII. exeunte, *Alexander Knips Macoppe* Colonienſis, longo experimento probatus, ex loco ſecundo translatus eſt florenis DCL. qui anno MDCCXXXIII. aucti ſunt ad octingenos, ſubinde vero anno MDCCXL. ad CML. Cum annos vixiſſet duos & octoginta, lateris dolore interiit anno MDCCXLIV. IV. id aug. idque in illo ſingulare fuit, quod in perpetua quadam corporis animique agitatione neque cibo, neque potu ſibi temperavit umquam, nec ullo Medicinæ genere tota vita uſus eſt. Mercurialibus remediis recte parandis atque adhibendis ad hominum famam primum evaſit, deinde totam complexus Medicam artem, uſu & exercitatione reliquos omnes poſt ſe reliquit. De *Macoppe* vita, ejuſque medendi modo egregie ſcripſit hortatu meo Com. Nicolaus Scanagattus, culti ingenii vir, circa illum, dum viveret, aſſiduus.

Cum ſchola decennium vacaſſet, anno MDCCLIV. XIV. kal. majas conductus eſt ad eam regendam *Joſeph Antonius Pujatus* Sacilienſis, florenis DC. cum diuturna exercitatione ſcriptiſque præſtantis Medici famam ſibi comparaſſet. Primam acroaſim habuit VI. kal. januar. ſummo omnium conſenſu probatam. Anno autem ſequenti criticas Diſſertationes duas typis commiſit.

SCHO-

SCHOLA SECUNDA

MEDICINÆ PRACTICÆ ORDINARIÆ.

PAcata anno MDXVII. regione hac, justitioque remisso, revocatus in Gymnasium est, & scholæ huic præpositus *Bernardinus Speronus* Patavinus florenis CCC. Collegæ quoque illi dati sunt, anno sequenti *Benedictus Victorius* Faventinus, biennio autem post *Ludovicus Carensius* Patavinus ex Theorica translatus. Sed anno MDXXIII. *Speronus* ad scholam primam ascendit, *Carensius* autem triennio post ad Theoricam rediit, solusque remansit *Victorius*.

MDXXVIII. Cum *Benedictus Victorius* ad Bononienses transisset, scholam occupavit *Victorius* alter Bergomas, vulgo *Franciscus a Memoria* nuncupatus, qui antea Theoricæ secundam tenuerat, florenis quingenis. Sed non ultra novembrem vixit anni sequentis. Vir fuit memoria insignis, unde illi cognomen. Ejus doctrinam & scripta laudat Manutius in præfatione ad Commentarium Alexandri Aphrodisiensis in Topica Aristotelis. Sed plura de illo Donatus de Calvis in Scena Litteraria P. I. p. 167.

MDXXXI. III. id. oct. *Franciscus Bonafides* Patavinus oneri successit florenis CXX. titulo *Substituti:* eoque recedente, anno MDXXXIII. rursus ex Theorica *Ludovicus Carensius* traductus est. Biennio autem post cum ad primum locum *Carensius* ascendisset, *Franciscus Frigimelica* in secundum hunc ex Theorica translatus est florenis CDL. qui aucti sunt ad D. anno MDXLIV. quamvis anno superiore valetudinis caussa vacasset, ejusque vices obiisset *Paullus de Crassis* Extraordinariæ Professor. Anno MDXLVI. demigravit, non tamen ad primum hujus Classis locum, ut Papadopolus scribit. Anno MDLV. Romæ erat. Postea multis honoribus auctus rediit in patriam, non in Gymnasium, quod idem scribit Papado-

padopolus; vixitque usque ad annum MDLVIII. De ejus vita, meritis, & operibus Scardeonius l. 2. clas. 9. p. 225. Effigiem habes apud Tomasinum in Elogiis t. 1. p. 50.

MDXLVI. Professores duo Cathedram tenuerunt, *Paullus de Crassis* florenis CC. & *Antonius Fracanzianus* florenis CCL. uterque autem pari loco ac dignitate. Porro *Fracanzianus* scholam retinuit usque ad annum MDLXII. quo florenos obtinuit DL. sed paullo post Bononiam migravit.

Successit anno MDLXIV. pridie non. febr. *Aloysius Bellacatus* Brixianus ex loco primo Practicæ Extraordinariæ translatus. Sed cum ipse quoque bona venia abiisset, ejus partes interim suscepit Substituti nomine *Hieronymus Capivacceus*, qui multorum annorum experimento probatus, demum anno MDLXX. locum occupavit stipendio florenorum CCCXX. Incrementa subinde non pauca obtinuit, æqualem Professoribus primariis conditionem, & vacationem ab iis exercitationibus, quæ Encyclicæ appellantur, quamvis anno MDLXXVI. nescio quid humani Venetiis passus esset: qua de re dixi ad hunc ipsum annum, cum de Rectoribus scriberem. *Bellacatus* interim anno MDLXXV. mortuus est, legatis Brixiano Collegio ducatis CCC. De illo Papadopolus in t. 1. p. 323. & Tomasinus in Elog. t. 1. p. 63. Et hi quidem, pro munere laudatorum, mira narrant. Ceterum si veris quoque locus est, anno MDXLIII. XIII. kal. sept. Rector & Consiliarii litteris ad Magistratum datis rogarunt, ut removeretur tamquam minus ad docendum aptus, quippe qui vel nullum haberet auditorem, vel tres quatuorve ex suis conterraneis corrogatos. Ex Actis Cod. 1. p. 106.

MDLXXXVII. *Capivacceus* spe frustratus Scholæ primæ, annuente Magistratu, locum deseruit, suffectusque est decreto Senatus VII. kal. aug. *Annibal Bimbiolus* florenis CCCXXV. Non defuit qui intercederet, quod nondum expleta temporis conditio esset, quo se *Capivacceus* obligaverat, nec supplex libellus Principi exhibitus appareret. Mansit igitur in officio,

auctum-

auctumque illi salarium est anno sequenti ad florenos DCCCXXX. Biennio post interiit. Ipse autem *Bimbiolus* vacavit usque ad annum MDXCII. quo ad primam Theoricæ Extraordinariæ scholam electus est.

MDXC. Non habita ratione *Marci Oddi*, quem Universitas enixe commendaverat, in Gymnasium revocatus est ad locum hunc occupandum *Hercules Saxonia* Patavinus stipendio florenorum CCC. quibus anno MDCII. totidem additi sunt, æquato insuper illi jure cum primi loci Professore. Certamen sustinuit non sane leve adversus *Alexandrum Massariam* pro usu Theriacæ & Phœnigmorum in pestilentium curatione febrium, quæ per ea tempora Pisaurensem provinciam vexabant. Obiit fama ingenti anno MDCVII. ejusque laudes narrat Tomasinus in Elog. t. 1. p. 230. & Papadopolus in t. 1. p. 344.

Eodem anno MDCVII. successit *Thomas Minadous* ex Practica Extraordinaria translatus florenis quingenis. Porro autem cum *Minadous* anno MDCXII. transiisset ad locum primum, *Alexander Vigontia* ex eadem Practicæ schola in hanc traductus est florenis DC. *Vigontia* defuncto, *Benedictus Silvaticus* Patavinus anno MDCXX. suffectus est florenis DL. æquatusque loco & dignitate collegæ suo. Anno MDCXXIX. auctum illi stipendium est ad florenos DCC. Triennio autem post ascendit ad sedem primam.

Secunda vacavit usque ad annum MDCXXXVI. quo *Jo. Franciscus Bonardus* Patavinus ad eam est accitus ex Practica Extraordinaria florenis CCC. qui anno MDCXLII. aucti sunt ad quingenos, & subinde repetitis auctariis, anno demum MDCLXII. usque ad millenos. Anno MDCLXV. *Bonardo* e vivis sublato, *Co. Hieronymus Frigimelica* Patavinus huc translatus est ex prima Practicæ Extraordinariæ schola, unde docebat florenis MC. qui anno MDCLXX. aucti sunt ad trecenos supra mille. Hinc sexennio post ad primam Theoricæ Ordinariæ scholam progressus est.

In

In ejus locum suffectus est anno MDCLXXVI. *Hieronymus Vergerius* Justinopolitanus ex Theoricæ Extraordinariæ schola, in qua docebat florenis DCCC. qui biennio post crevere ad CML.

MDCLXXX. Extincto *Vergerio*, ad locum hunc translatus est *Georgius a Turre* Patavinus ex primo Practicæ Extraordinariæ, quam tradebat florenis MCL. confirmata illi Horti Botanici præfectura, quam jamdiu tenebat. Triennio post jura omnia obtinuit, honores, ac titulos Professoris primarii.

MDCXCII. *Hilarius Spinellus* Patavinus ex Practica Extraordinaria migravit in sedem hanc florenis DC. Sed intra annum interiit. De illo Patinus in Lyceo p. 32.

MDCXCIII. successit *Franciscus Spoletus* Etruscus ex secundo Philosophiæ Ordinariæ loco translatus florenis DC. Sub initium anni MDCXCVI. concessa illi facultas est pergendi in Angliam cum Legatis Venetis extra ordinem missis, servato stipendio. Gymnasio restitutus, triennio post ad primum locum migravit, accito in sedem hanc anno MDCC. *Bernardino Ramazzino* Carpensi florenis D. Sed cum *Ramazzinus* quoque ad sedem primam transisset, anno MDCCIX. successit *Georgius Calaphates* Cydonius ex secunda Theoricæ Extraordinariæ schola translatus, servato priore stipendio, auctoque post biennium ad florenos DCL.

MDCCXVIII. *Calaphates* caussariam missionem obtinuit, ducenis quinquagenis in reliquos vitæ annos condonatis, eique suffectus est *Leal Lealis* Veronensis florenis DCCC. relicto Practicæ Extraordinariæ loco primo. Hic artem majore fama exercuit, quam explicuit, vultu ipso & specie corporis ægrotantibus conciliatus, vixitque usque ad nonas nov. anni MDCCXXVI. Dialogos Medicos edidit, quibus titulus est, *Hebdomada febrilis*.

Hoc ipso anno successit *Jo. Baptista Mazzinus* Brixianus, oblato primum stipendio florenorum CD. auctoque subinde usque ad DCLX. Mortuus est IX. kal. jun. MDCCXLIII.

quo

quo anno Opera ſua omnia collegerat, & tribus voluminibus edi curaverat Brixiæ apud Rizzardum. Vixit annos LXVI. ſtudiis Mathematicis valde addictus. Ea cum Medicis miſcere conatus eſt, utraque autem inſigni pietate vitæque innocentia ornavit.

MDCCXLIV. III. kal. mart. *Jacobus Scovolus* Brixianus florenis CCL. locum occupavit ætate adhuc viridi, impletque cum dignitate ſenioribus pari. Anno MDCCLI. V. kal. mart. confirmatus eſt, additis florenis CLX.



PRIMA THEORICÆ MEDICINÆ ORDINARIÆ SCHOLA.

ANno MDXVII. xvii. kal. oct. accitus est ad scholam hanc *Sanctorius* Siculus florenis CCCL. Sed ex libris Quæstoriis non apparet eum docuisse.

MDXX. vi. id. mart. invitatus est florenis CCC. *Jo. Laurentius de Saxoferrato* ex Gymnasio Perusino, substituto, donec veniret, *Hieronymo Pindemontio* Veronensi, qui Theoricam Extraordinariam explicabat. Adfuit autem mense octobri exeunte. Anno MDXXII. xi. kal. nov. auctum illi stipendium est ad florenos CD.

MDXXIV. idibus sept. *Matthæus Curtius*, al. *de Curte*, ex Ticinensi Gymnasio evocatus ducatis aureis DC. cum frustra invitatus fuisset septem ante annis minore summa. Ejus stipendium anno MDXXIX. xii. kal. mart. crevit ad ducatos aureos DCCC. qui *lati* dicuntur, h. e. libellarum septem. Anno MDXXX. pridie non. dec. electus est ad explicandam Mundini doctrinam in administratione Anatomica, ut est in Actis t. I. p. 33. Anno post abdicavit, & Romam se contulit electus Pontificis Archiatrus. *Franciscus* autem *Frigimelica Substituti* nomine locum tenuit a kalendis novembr. usque ad octobrem anni sequentis.

MDXXXII. viii. kal. nov. *Benedictus Victorius* Faventinus revocatus Bononia est Ducatis DCC. aureis, qui *lati* dicuntur, quibus præterea C. additi sunt anno MDXXXV.

MDXXXIX. iii. kal. febr. *Franciscus Cassianus* accitus florenis D. addita conditione, ne *Oddum de Oddis*, qui locum secundum tenebat, præcedere dignitate censeretur.

MDXLI. xii. kal. dec. defuncto *Cassiano*, successit *Pamphilius Montius*, qui antea Bononiæ docuerat, florenis CDLX.

Aucti

Aucti sunt ad DCC. anno MDXLIII. & hoc ipso anno transiit ad primum Practicæ locum.

MDXLIII. VII. id. oct. *Jo. Baptista de Monte*, al. *Montanus*, Veronensis, traductus ex Practicæ schola prima florenis DCC. qui aucti sunt ad M. anno MDXLVI. Cum aliquandiu absfuisset ad curandam valetudinem Ducis Urbinatis, Armorum Venetorum Ductoris Generalis, Senatus mandavit XIV. kal. mart. MDXLIX. ut integrum illi stipendium solveretur, dummodo cum rediisset, diebus vacantibus disputationes daret, quas absens omisisset. Sed antequam rediret, mortuus est in patrio agro anno MDLI. Ejus merita & opera recensent Riccobonus l. 1. c. 15. Papadopolus t. I. p. 306. & Maphejus de Scriptor. Veron. l. 4. p. 174. V. Chirurgos ad annum MDXLIV.

MDLI. III. id. sept. *Bassianus Landus* Placentinus locum hunc occupavit florenis CCC. qui bis aucti, anno demum MDLVIII. crevere ad DL. Quamvis autem in locum primum venisset, numquam tamen Primarii titulum obtinuit, obnitente collega ejus *Oddo de Oddis*, cujus nomen in albis Gymnasticis interdum etiam priore loco signatur. Mortuo antagonista locum primum sine controversia tenuit usque ad annum vitæ ultimum MDLXIII.. Vide ejus Opera apud Papadopolum t. I. p. 316.

MDLXIII. V. non. oct. *Lando* a sicariis interfecto, *Bernardinus Paternus* Salodiensis, conductus Ducatis D. seu florenis DCXX. qui iterum ac sæpius aucti, anno MDLXXXVII. crevere ad ducenos supra mille.

MDXCII. XI. kal. aug. mortuo *Paterno*, de quo Riccobonus l. 2. c. 28. successit *Horatius Augenius* ex Taurinensi Gymnasio evocatus florenis CM. quibus anno MDXCIX. additi sunt præterea duceni. Anno MDC. dati sunt illi mutui centum quinquaginta, intra biennium restituendi ex ipsa stipendii summa. Auctor fuit Magistratui instituendæ scholæ ad secundam Fen primi canonis Avicennæ, de morbis & morbo-

rum caussis, quæ anno MDCI. aperta est. Obiit anno MDCIII. ejusque laudes & opera describit Mazzucchellus t. 2. p. 2249.

MDCVIII. VI. id. febr. *Bernardinus Gajus* conductus florenis DCCC. ut est in libro Decretorum II. p. 313. Cujas fuerit, & utrum revera docuerit, non satis constat. Certe in oratione, qua *Sanctorius* scholæ prolusit, cum *Paternus*, & *Augenius* ejus decessores laudentur, nulla fit *Gaii* mentio.

MDCXI. pridie non. oct. *Sanctorius de Sanctoriis* Justinopolitanus grave hoc primi loci onus suscepit, Venetiis evocatus, ubi post varias peregrinationes Medici peritissimi famam collegerat. Attributi sunt illi floreni octingeni, qui bis aucti, anno MDCXXIV. crevere ad MD. Primus Medico Gymnasii Collegio præfuit, ad conferendam Veneta auctoritate Lauream anno MDCXVI. instituto. Annos tredecim cum docuisset, vacandi veniam obtinuit, stipendii summa nequaquam imminuta, ut scribit Papadopolus in t. I. p. 361. Venetias rediit, ubi mortuus est VI. kal. mart. MDCXXXVI. cum multa scripsisset, inter quæ eminet *Medicina Statica*. Veneto Medicorum Collegio argenteos annuos quinquagenos supremis tabulis legavit, cujus beneficii gratia *Sanctorii* laudes quotannis oratione celebrantur. Opera ejus omnia recenset Papadopolus ibidem.

MDCXXIV. pridie non. jun. *Com. & Eq. Pompejus Caimus* Utinensis, Roma, ubi Philosophiam profitebatur, evocatus florenis DCCL. anno MDCXXV. Anatomen quoque, cum deessent Professores, explicuit. Peste Patavii grassante, in Patriam rediit, ibique mortuus est anno ipso MDCXXXI. De ejus vita & operibus Tomasinus in Elog. t. 2. p. 26. & Papadopolus in t. 1. p. 361. Schola vacavit per annos XIV.

MDCXLV. XIV. kal. oct. *Fortunius Licetus* ex Bononiensi Gymnasio revocatus florenis M. attributis insuper quinquaginta ad itineris impensas. Anno MDCLII. auctum est stipen-

pen-

pendium ejus ad florenos MCCC. Quinquennio post cum obiisset, semestre stipendium filiis ejus Principis liberalitate concessum est. De illo Niceronus vol. 27. p. 373. & Papadopolus t. I. p. 368. Operibus ab eo memoratis duo adde longe nobilissima, primum *de Lucernis Antiquorum* fol. Utini MDCLII. alterum *de Gemmis anularibus* fol. Patavii MDCLIII.

MDCLXI. VII. id. dec. *Antonius Molinettus* Anatomes Professor, hujus quoque scholæ onus sibi imponi libenti animo tulit, aucto stipendio ad florenos MCCCL. & sexennio post ad MDCL. Attributi sunt etiam floreni L. *Michaeli Angelo* filio ejus, adolescenti annorum XXII. ut Patri in Anatomes administratione operam navaret. Taurini, & Bavariæ Duces in filiorum valetudine peritia ejus uti voluerunt, eamque magnis benevolentiæ ac liberalitatis significationibus probarunt. Anno MDCLXXV. cum obiisset in aula Parmensi, ubi forte erat Medicinæ faciendæ gratia, amplissimo funere elatus est. Magistratus mortuo quoque honorem haberi voluit, soluto heredibus ejus stipendio in menses singulos usque ad novum annum litterarium. De ejus vita & operibus Papadopolus t. I. p. 370.

MDCLXXVI. VII. kal. april. successit *Com. & Eq. Hieronymus Frigimelica Roberti*, ex secundo Practicæ loco translatus florenis MCCC. qui anno post aucti sunt ad MD. Primus ex Patavinis ad hoc stipendii fastigium pervenit, cum jam loci difficultas superata esset, prodito exemplo *Benedicti Silvatici*. Decessit anno MDCLXXXIII. & usque ad sæculi finem locus vacavit. Ejus merita vide apud Patinum in Lyceo p. 12. & Papadopolum in t. I. p. 168.

MDCC. XVII. kal. maj. *Pompejus Saccus* Parmensis, ex Practica Extraordinaria huc translatus florenis DCCC. Sed biennio post munus abdicavit, rediitque in patriam ad Medicinam ex principe loco profitendam. Obiit VII. kal. mart. MDCCXVIII. cum multa scripsisset, inter quæ maxime laudatur

datur *Medicina Practica Rationalis* anno ante obitum Parmæ edita. De ejus vita, & reliquis operibus Niceronus in t. XIII. Auctor Diarii Litterarii Veneti in t. 32. & Papadopolus in fine tomi primi.

MDCCII. XII. kal. maj successit *Dominicus Guglielminus* Bononiensis, ex schola Matheseos traductus florenis M. quibus anno MDCCIV. additi sunt præterea CCC. Simul autem illi onus impositum est differendi de Pulsibus & Urinis diebus festis in Nosocomio. Obiit anno MDCCX. vir suæ ætatis & in Mathematica, & in Medica facultate facile princeps. De ejus vita, studiis, & operibus habes *Jo. Baptistæ Morgagni* Anatomici nostri longe celeberrimi Commentariolum, unde sumpsit Papadopolus t. I. p. 384.

MDCCXI. pridie id. sept. *Antonius Vallisnerius* Regiensis, ex loco hujus classis secundo traductus est florenis D. & de Pulsibus atque Urinis in Nosocomio disputare jussus. Aucto iterum ac sæpius stipendio ejus, anno demum MDCCXXVII. obtinuit fiorenos MC. Triennio post xv. kal. febr. mortuus est. Ejus opera anno post obitum tertio collecta sunt ab *Antonio* filio, tribusque voluminibus Venetiis edita. Ex his apparet, quantum in Historia Naturali præstaret. Privatum etiam hujus generis Museum condidit, quod nunc Filii liberalitate publicum est, & quotidie magis augetur. Magnus naturæ scrutator cum esset, magis ornandæ, quam faciendæ Medicinæ operam dabat: attamen habitus est inter Medicos sui sæculi principes, titulisque ab Imperatore Carolo VI. & a Rinaldo Mutinæ Domino honorificentissimis ornatus. Vide quæ ipse de se, operibusque suis scripta reliquit initio Voluminis I. & quæ Niceronus dedit in Tomo Memoriar. XVI. p. 73.

MDCCXXXI. VIII. kal. mart. ex aula Taurinensi accitus est *Jacobus Cicogninus* Faventinus florenis DCC. addita conditione, ut de Pulsibus & Urinis differeret in Nosocomio. Vix ulli magis munus occipienti blandita fortuna est. Omnes illi statim collati sunt honores, & primus Collegii Veneti

locus

locus concessus. Anno MDCCXXXVII. confirmatus est, aucto stipendio ad florenos CM. Sed anno post caussariam missionem obtinuit, detractis florenis DL. Obiit in patria IX. kal. jun. MDCCXLII. Medicus fuit sane egregius, & politioribus litteris satis instructus; sed cum dicendi exercitationem nullam prorsus attulisset, scholæ labores diu ferre non potuit. Ejus laudes funebri oratione complexus est Joseph Maria de Fabris publicus in Lucensi oppido Rhetoricæ Præceptor, quæ Faventiæ edita est anno sequenti.

MDCCXLI. III. kal. oct. *Jacobus Placentinus* huc translatus est florenis DC. ex Avicennæ schola, quæ statim clausa omnibus est. Exercitatione prima pro Theoretica Medicinæ parte pulcherrime disputavit; ipsamque disputationem typis edidit anno sequenti. Stipendium ejus bis auctum crevit ad florenos millenos anno MDCCLVII. X. kal. april. cum paucis ante mensibus dissertationem emisisset *de vena, quæ in morbis particularum partium corporis sit salutarius incidenda*, eximia doctrina judicioque scriptam.



SECUN-

SECUNDA THEORICÆ MEDICINÆ ORDINARIÆ SCHOLA.

ANno MDXVII. XII. kal. dec. *Ludovicus Carensius* Patavinus, cognomento *Tosettus*, ex Ferrariensi Academia, ubi Philosophicam scholam belli tempore tenuerat, accitus est in patriam florenis CCC. Triennio post ad Practicam transiit. Cum autem schola biennium fere vacasset, Universitatis Rector magna comitatus scholarium caterva, semel atque iterum Venetias se contulit Triumviros obsecratus, ut sibi Doctorem aliquem pro loci dignitate darent. Dedere VII. kal. nov. MDXXIII. *Franciscum Victorium* Bergomatem, cognomento *a Memoria*, conductum florenis CCC. Hinc postea migravit ad Praxim, aucto stipendio ad quingenos.

MDXXVI. III. kal. jan. huc rediit *Ludovicus Carensius*, ejusque stipendium anno MDXXX. auctum est ad florenos CD. addita conditione, ut præter matutinam scholam, vespertinam quoque in Gymnasio haberet, Galenumque studentium arbitrio explicaret. Ceterum quod nemo Patavinus ante ipsum florenos obtinuisset supra CCC. Collegium Medicorum decrevit, referente *Sperone Sperono*, ut *Carensius* ad rei monumentum gentis stemmati florenos adderet.

MDXXXII. IX. kal. nov. cum rursus ad Practicam *Carensius* migrasset, *Franciscus Frigimelica* Patavinus ad hanc accitus est florenis CC.

MDXXXV. Malebat *Frigimelica* abdicare, ut Venetiis medicinam faceret, sed ad Practicam translatus est. Successit VI. kal. nov. *Oddus de Oddis* Patavinus florenis CD. qui bis aucti, anno MDXLIV. crevere ad quingenos.

MDLIX. nonis febr. defuncto *Oddo*, *Paullus de Crassis* Patavinus ex secundo Practicæ Ordinariæ loco traductus est florenis CCC. qui anno MDLXX. crevere ad CCCL. Quinquen-

quennio post vacationem obtinuit, detractis ex ejus stipendio florenis CL.

MDLXXV. VI. kal. nov. *Nicolaus Curtius* Brixianus ex primo Practicæ Extraordinariæ loco translatus florenis D. Anno post in patriam rediit.

MDLXXVIII. XIII. kal. apriles *Bernardinus Trivisanus* ex primo Theoricæ Extraordinariæ loco traductus hunc tenuit florenis CCC. usque ad annum MDLXXXIII. XIV. kal. april. quo die abiit ad plures. Ejus nomen celeberrimum est inter illos, qui Chymica studia tractant ad Lapidem Philosophicum detegendum. In ejus funere orationem habuit Antonius Ricobonus, quæ est in Vol. II. p. 38.

MDLXXXIII. nonis nov. *Albertinus Bottonus* Patavinus conductus florenis CCLXX. qui anno MDXCVI. aucti sunt ad DC. Eum Magistratus collegæ parem loco & dignitate ultro declaravit. Hoc ipso anno mortuus est. De illo Riccobonus lib. 2. c. 34.

MDXCVI. XIV. kal. nov. *Æmilius Campolongus* ex prima Practicæ Extraordinariæ sede traductus est, aucto post annum stipendio ad florenos quadringenos. Mature pervenit ad famam, & cum inter Extraordinarios adhuc esset, scholarium Universitas litteras ad Magistratum dedit IV. id. nov. MDXC. ut, scholæ hora mutata, quæ pæne meridiana erat, affluenti undique studentium multitudini consuleretur. Obiit nondum senex XV. kal. nov. MDCIV. ejusque laudes & opera habes apud Papadopolum t. I. p. 340.

MDCVII. postridie id. oct. *Nicolaus Trivisanus* Patavinus ex loco tertio Theoricæ Extraordinariæ translatus florenis CC. qui iterum ac sæpius aucti, anno MDCXXXII. devenere ad millenos. Anno post mortuus est.

MDCXXXIII. IV. id jul. *Jo. Dominicus Sala* Patavinus ex primo Theoricæ Extraordinariæ loco traductus florenis DCCC. qui anno MDCXXXIX. aucti sunt ad CML. Vixit usque ad kal. martias MDCXLIV. De ejus vita, scri-

ptis, totaque Salarum gente habes apud Papadopolum in t. I. p. 364. modo advertas, *Jo. Dominici* ſepulchrum eſſe in æde S. Laurentii, ſtatuam & epigraphem in Baſilica Antoniana.

MDCXLIV. XI. kal. nov. *Guido Antonius Albaneſius* Patavinus ex loco ſecundo Theoricæ Extraordinariæ translatus florenis CCC. qui duplicati ſunt anno MDCL. Cum VI. kal. jun. MDCLVII. interfectus a diſcipulo fuiſſet; heredibus ejus ſolutum ſtipendium eſt uſque ad Januarium anni ſequentis decreto Senatus.

MDCLVII. IV. kal. oct. peritiæ medicæ fama commendatus acceſſit *Proſper de Todeſchis* Etruſcus; conductuſque eſt florenis DC. qui bis aucti, anno MDCLXXI. crevere ad ML.

MDCLXXIX. IV. kal. oct. cum *Todeſcus* anno ſuperiore obiiſſet, in locum hunc translatus eſt *Pompilius Scotus* Patavinus ex primo Theoricæ Extraordinariæ florenis DCC. qui aucti ſunt ad millenos anno MDCLXXXIX. Obiit anno MDCXCVII. De illo ejuſque majoribus Patinus in Lyceo p. 24.

MDCXCVIII. IV. id. jul. mortuo *Scoto*, ex primo Theoricæ Extraordinariæ loco ad hunc traductus eſt *Com. Alexander Borromæus* florenis M. Anno MDCCII. pridie id. oct. confirmatus eſt eodem ſtipendio ad obitum uſque, adjecto titulo *Supraordinarii*, & æquato loco ejus locis primariis, ad jura quod attinet, non tamen ad Rotuli ordinem. Obiit ſexennio poſt. De illo Patinus in Lyceo p. 34.

MDCCIX. XII. kal. april. *Antonius Valliſnerius* Regienſis huc migravit ex primo Practicæ Extraordinariæ loco florenis quingenis.

MDCCXI. poſtridie non. oct. cum *Valliſnerius* ad primum locum tranſiſſet, totidem accitus eſt florenis *Jo. Baptiſta Morgagnus* Forolivienſis, cujus nomen jam tum ad hominum famam pervenerat.

MDCCXVI. nonis maj. *Morgagno* ad primam Anatomes Exedram evecto, ſucceſſit florenis CCC. *Alexander Knips* *Ma-*

Macoppe ex Colonia Agrippinenſi, qui de Simplicibus in Gymnaſio magna cum laude explicabat. Ejus ſtipendium ſubinde auctum, anno MDCCXXVII. crevit ad florenos DCL. eodemque ad locum Practicæ primum aſcendit.

MDCCXXVII. XVII. kal. dec. *Bartholomæus Lavagnolus* huc ex Practica Extraordinaria jam ſublata translatus eſt ſtipendio ſuo florenorum CCCL. qui anno MDCCXXXVIII. crevere ad ſeptingenos, ſubinde autem ad CM. Æquatus eſt etiam in albo Gymnaſtico loci primi Profeſſori, addito onere Medicinæ Chymicæ diebus Dominicis tradendæ. Novum hoc munus erudita diſſertatione auſpicatus eſt V. kal. maj. utrumque autem docendo ſcribendoque cum dignitate exercet.



PRIMA MEDICINÆ PRACTICÆ EXTRAORDINARIÆ SCHOLA.

MDXVIII. xv. kal. dec. *Hieronymus de Urbino* conductus est ad hunc locum florenis LXXV. qui triennio post aucti sunt ad centenos. Locum tenuit usque ad annum MDXXVI. quamvis anno MDXXI. v. kal. oct. electus fuisset *Andreas de Civitate Austriæ*, qui Gymnasio abstinuit.

MDXXVI. III. kal. nov. *Petrus Mainardus* ex primo Theoricæ Extraordinariæ loco traductus stipendio suo florenorum C.

MDXXIX. *Franciscus Bonafides* ex loco hujus classis tertio translatus florenis LXXV. qui aucti sunt ad CXX. anno MDXXXI.

MDXXXI. IX. kal. nov. *Hieronymus Tirabuscus* Patavinus florenis XC. conductus, quibus additi sunt LXX. anno MDXXXV. Triennio post obiit.

MDXXXIX. IX. kal. dec. *Paullus de Crassis* ex loco secundo traductus florenis C. quibus additi sunt XL. anno MDXLIII.

MDXLIII. VII. kal. dec. *Bassianus Landus* accitus ad docendum *Substituti* nomine, donec *Paullus de Crassis* vices obiret *Francisci Frigimelicæ* in secundo Practicæ Ordinariæ loco.

MDXLVI. XIV. kal. nov. *Aloysius Bellacatus* Brixianus ex loco secundo ad hunc traductus est florenis C. quibus triceni additi sunt anno MDLII. & quinquageni anno MDLIX. Triennio post migravit ad scholam Practicæ ordinariæ secundam.

MDLXIV. idibus jan. *Marianus Stephanellus Bellacato* suffectus stipendio florenorum CXX. quod auctum est ad CCL. anno MDLXXII. Sic tamen *Stephanellus* locum primum tenuit,

nuit, ut collega ejus *Nicolaus Curtius* ab anno MDLXXIII. par haberetur.

MDLXXVI. III. non. maj. *Albertinus Bottonus* conductus florenis CLX. quibus additi sunt CX. anno MDLXXXII. Anno sequenti ad secundum Theoricæ Ordinariæ locum, antequam peteret, translatus est.

MDLXXXIII. III. non. nov. *Marcus Oddus* ex Theorica Extraordinaria traductus. Stipendium ejus anno MDLXXXIX. crevit ad florenos CC. Sed biennio post, VIII. kal. aug. mortuus est. De illo ejusque operibus Papadopolus t. I. pag. 333.

MDXCII. XIV. kal. febr. *Æmilius Campolongus* translatus ex Theorica Extraordinaria florenis CC. Cum autem quadriennio post ad secundum Theoricæ Ordinariæ locum migrasset, eodem anno suffectus est *Jo. Thomas Minadous* Rhodiginus, eodemque stipendio, quod duplicatum est anno MDCII.

MDCVII. postridie id. oct. *Alexander Vigontia* florenis conductus est ducenis, qui aucti sunt ad CCC. anno MDCXII.

MDCXII. VII. id. dec. *Benedictus Silvaticus* ex loco secundo traductus florenis CCXXX. quibus C. additi sunt anno MDCXIX.

MDCXX. pridie non. maj. *Joannes Prevotius* ex loco secundo ad primum hunc evectus est, retenta Horti Medici cura. Ejus stipendium bis auctum, anno demum MDCXXIX. crevit ad florenos DC. Sed peste extinctus est idibus augustis MDCXXXI. De ejus vita & operibus Tomasinus in Elog. t. 2. p. 224.

MDCXXXII. XVI. kal. febr. *Jacobus Hartigius* Germanus ex Lusatia conductus florenis CCL.

MDCXXXIV. IX. kal. jul. *Hartigio* abdicante, *Jo. Baptista Soncinus* Brixianus conductus est florenis CCC.

MDCXLV. XVII. kal. febr. cum *Soncinus* ad Pisanum Gymnasium transisset, *Jo. Baptista Spontonus* Mantuanus successit

cessit florenis CCC. addito etiam jure Collegii. Sed anno post in patriam rediit.

MDCXLVI. x. kal. oct. *Comes & Eques Hieronymus Frigimelica* Patavinus ex loco secundo translatus florenis CCC. Scholam hanc viginti annos tenuit, ejusque stipendium ad florenos MC. auctum est, præter salarium alterum florenorum CC. quod illi solvebatur, ut pulsus & urinas in Nosocomio diebus vacantibus examinaret; quod ipsum ad trecenos auctum est anno MDCLXI. VII. id. dec. & ad vitam totam viro summo confirmatum.

MDCLXVI. V. kal. sept. *Georgius a Turre* Patavinus, Simplicium Professor, & Horti Medici Præfectus, ad hunc locum accitus est conditione addita, ne rei Botanicæ curam & Simplicium ostensionem dimitteret. Stipendium ejus iterum ac sæpius auctum crevit ad florenos MCL. anno MDCLXXIX.

MDCLXXX. III. kal. oct. cum *Georgius a Turre* ad secundum Practicæ Ordinariæ locum transisset, successit *Dominicus Marchettus* Patavinus ex prima Chirurgiæ sede traductus florenis DCC. non sine onere secandi cadavera, & operæ navandæ Anatomicis Professoribus.

MDCLXXXIII. VII. id. oct. *Marchetto* ad primum Anatomes locum traducto, *Eques Carolus Patinus* Parisiensis successit stipendio florenorum DC. quos jam, in prima Chirurgiæ sede cum esset, obtinuerat. His additi sunt præterea C. anno MDCLXXXIX. Multa scripsit, quæ & ipse recenset in Lyceo Patavino p. 104. & rursus Papadopolus in t. I. p. 380. Non solum in arte sua præstitit, sed in antiquis nummis explicandis, totaque hujus generis eruditione valuit longe plurimum.

MDCXCIV. Anno superiore cum *Patinus* obiisset, XII. kal. dec. conductus est *Pompejus Saccus* Parmensis florenis sexcenis, quibus duceni additi sunt anno MDCXCVII.

MDCC. VII. kal. sept. *Saccus* ad primum Theoricæ Ordinariæ locum traductus vacuam sedem reliquit *Antonio Vallisne-*

lisne-

lisnerio Regiensi, qui conductus est florenis CCCL. His porro anno MDCCVII additi sunt CL.

MDCCIX. xv. kal. aug. cum *Vallisnerius* ad secundum Theoricæ Ordinariæ locum migrasset, ad hunc traductus est *Leal Lealis* Veronensis ex secundo Classis ejusdem, florenis CDLXX. qui anno post aucti sunt ad DCL.

MDCCXVIII. x. kal. oct. *Leali* ad secundum Practicæ Ordinariæ locum evecto suffectus est *Marcus Navarra*, qui secundam classis hujus sedem tenebat, florenis CCCL. quibus additi sunt CXX. anno MDCCXXIII. Quadriennio post idibus febr. fato functus est ætate adhuc firma. Ejus magis in medendo, quam in docendo cognita industria est.

MDCCXXVIII. v. kal. aug. *Homobonus Pisonus* ex Practica Extraordinaria dierum vacantium ad scholam hanc translatus est stipendio suo florenorum DL. qui anno MDCCXXXIX. crevere ad DCCC. Anno MDCCXLVIII. IX. kal. oct. mortuus est, cum sæculi dimidium docendo explevisset felicitate virium & valetudinis tanta, ut nullam prorsus totis his quinquaginta annis acroasim omiserit: nec sane illi res tam fuit ulla proposita, quam ne omitteret. Magnus fuit in Philosophia disputator, non tamen supra scholasticum. Nova inventa non facile probabat, ipsamque sanguinis circuitionem ab junioribus detectam semper habuit inter dubia. Hanc in rem Dissertationem edidit typis Cremonensibus anno MDCXC. quadriennio autem post *de usu Vescicantium* scripsit. His duobus Opusculis magnam de se expectationem movit, accitusque Patavium est anno MDCXCVIII. ad tertium Avicennæ librum diebus vacantibus interpretandum. Hic vero & docuit, & medicinam fecit cum gravitate, vir sui arbitrii, a fuco & blanditiis alienus, seque uno contentus. Edidit etiam quædam ad artem purgandam & augendam satis eleganter scripta, *Methodum medendi*, & *Inquisitionem in sanguinis circuitionem* anno MDCCXXVI. *Regimen magnum auxiliorum in curationibus morborum* anno

MDCCXXXV.

MDCCXXXV. *Spicilegium curationum*, cui acceſſit Diſſertatio *de inconſtantia Medicinæ*, anno MDCCXLII. Non abhorruit a Latinis Muſis; & in magno hoc verſificatorum numero qui Poeticis collectionibus ſæculum oblectant, ſedere potuit, atque adeo cum primis certare.

Anno ſequenti VII. kal. mart. decreto Senatus ſchola hæc ſublata eſt, renovata ejus loco Medicina Theorica dierum vacantium.



SE-

SECUNDA MEDICINÆ PRACTICÆ EXTRAORDINARIÆ SCHOLA.

ANno MDXVII. XII. kal. dec. *Hieronymus de Urbino* conductus est ad hunc locum florenis L. Sed cum, anno nondum exacto, ad locum primum migrasset, IX. kal. sept. MDXVIII. *Hieronymus Romanus* successit florenis LXXV.

MDXX. pridie kal. dec. *Franciscus a Lignamine* Tarvisianus florenis conductus LXXV. mense aprili anni sequentis mortuus est.

MDXXIII. III. id. nov. *Hieronymus Bagolinus* Veronensis, qui annis superioribus Practicam Ordinariam primæ sedis tradiderat, huc traductus est florenis CL. & æquatus Primario collegæ suo. Sed biennio post in patriam rediit. Non caruit Græcis litteris, multaque edidit ad Peripateticam Philosophiam illustrandam, quæ refert Papadopolus in t. I. p. 299. & Maphejus de Script. Veron. l. 4. p. 168.

MDXXV. XV. kal. jan. *Franciscus Bonafides* Patavinus, traductus ex loco secundo Theoricæ Extraordinariæ florenis LXXV.

MDXXIX. *Hieronymus Tolentinus* Patavinus scholam hanc rexit usque ad kalendas novembres, quo die electus est *Hieronymus Tirabuscus*, cognomento *Corradinus*, attributis florenis LXXV. qui biennio post aucti sunt ad XC. Adhibitus est etiam anno sequenti ad ostensionem Anatomicam. Ex Actis t. I. p. 33.

MDXXXI. *Tirabusco* ad locum primum evecto, suffectus est *Paullus de Crassis* florenis LXXV. quibus anno MDXXXV. VII. id. nov. additi sunt præterea X.

MDXXXIX. kal. nov. *Aloysius Bellacatus* Brixianus eodem stipendio conductus.

MDXLVI. XV. kal. nov. *Andreas Appellatus* Brixianus accitus

est quinquagenis, quibus viceni additi sunt anno MDXLIX. totidemque anno MDLII. Cum in disputationibus, quæ *Circulares* vocantur, collegæ non respondisset, anno MDLV. IV. kal. dec. multatus est libellis L. ut est in Actis t. I. p. 97.

MDLX. x. kal. febr. defuncto *Appellato*, *Nicolaus Curtius* Brixianus conductus est florenis XXX. qui triennio post aucti sunt ad CXX. Anno autem MDLXVI. ad CCC. Porro anno MDLXXIII. æquiparatus est loco & dignitate *Stephanello* collegæ suo, Professori hujus classis primario.

MDLXXV. VII. kal. nov. *Fabius Niphus* Neapolitanus successit florenis CXX. cui medium stipendium mutui nomine in antecessum datum est. Post menses paucos a Religionis Quæsitoribus in carcerem conjectus est: sed fuga sibi consuluit.

MDLXXVI. III. non. maj. *Hieronymus Bradiolus* florenis L. ex loco tertio traductus.

MDLXXVIII. prid. id. dec. *Annibal Bimbiolus* Patavinus conductus florenis XL. Ad Ordinariam migravit anno MDLXXXVII.

MDLXXIX. III. kal. jul. sublata est schola hæc: sed anno MDXCVIII. pridie non. mart. restituta ad æmulationem promovendam, juvenesque exercendos (ita enim est in decreto) & commissa *Alexandro Vigontiæ*. Constitutum illi stipendium est florenorum XL.

MDCVII. III. kal. nov. *Benedictus Silvaticus* Patavinus ex Theorica dierum vacantium traductus florenis CXXX.

MDCXIII. IV. kal. jun. *Tarquinius Carpenetus* Patavinus ex Theorica dierum vacantium translatus florenis CXX. Sed obiit triennio post.

MDCXVII. postridie id. jan. *Joannes Prevotius* Rauracus ex Avicennæ schola traductus florenis CC. itemque sexagenis pro Horti Medici cura, & Simplicium ostensione.

MDCXX. Cum *Prevotius* ad locum primum ascendisset, XIII. kal. nov. *Bartholomæus Rodulphus Sfortia* Patavinus succes-

ſucceſſit florenis conductus ſexagenis, qui duplicati ſunt anno MDCXXIX. ſed anno poſt abiit ad plures. Scripſit *de morbis a capite ad cor*, *& a corde infra*, *de febri*, *de calido innato*. Habitus eſt etiam eloquens, & orationem edidit de laudibus Jo. Baptiſtæ Foſcareni Jacobi fil. dum Patavina Prætura decederet.

MDCXXXI. IV. non. mart. *Julius Sala* Patavinus ex ſchola Theoricæ Extraordinariæ dierum vacantium traductus florenis CCX.

MDCXXXIV. IX. kal. jul. *Franciſcus de Bonardis* ex eadem Theoricæ ſchola in hanc evocatus, confirmato illi ſtipendio ſuo.

MDCXXXVI. XVI. kal. dec. *Hieronymus Frigimelica* Patavinus, ex Theorica Extraordinaria dierum vacantium huc translatus florenis C. qui anno MDCXLII. duplicati ſunt, additis præterea C. ut explicaret in Noſocomio de Pulſibus & Urinis.

MDCXLVII. poſtridie non. ſept. *Angelus Montagnana* Patavinus eadem conditione conductus florenis CXXX. qui iterum ac ſæpius aucti, anno MDCLXXVIII. crevere ad DCCL. cum jam antea liberatus fuiſſet ab onere docendi in Noſocomio. Obiit eodem anno MDCLXXVIII. De illo ejuſque majoribus Patinus in Lyceo Patav. p. 17.

MDCLXXXIV. idibus dec. *Hilarius Spinellus* Patavinus ex ſchola Simplicium ad hanc traductus florenis D.

MDCXCII. v. non. jul. *Spinello* ad Ordinariam progreſſo, *Laurentius de Languidis* Utinenſis ſuffectus florenis D.

MDCXCV. non. maj. cum *Laurentius de Languidis* anno ſuperiore obiiſſet, ſucceſſit *Georgius Calaphates*, ex Theorica Extraordinaria dierum vacantium traductus florenis CDLXX.

MDCCIII. XV. kal. aug. *Calaphato* ad Theoricam Extraordinariam loci ſecundi progreſſo, ſucceſſit *Leal Lealis* Veronenſis ex ſchola Simplicium florenis CDLXX.

MDCCIX. VII. kal. jan. cum *Lealis* ad Theoricam Or-

dinariam migraſſet, *Marcus Navarra* Rhodiginus accitus eſt florenis CC. quibus additi ſunt CL. anno MDCCXVI.

MDCCXVIII. pridie id. ſept. *Navarra* ad primum locum traducto, *Bartholomæus Lavagnolus* huc migravit ex ſchola Meteororum florenis CL. quibus CC. additi ſunt anno MDCCXXIII.

MDCCXXVI. pridie kal. dec. ſublata eſt ſchola hæc decreto Senatus. Ipſe autem *Lavagnolus*, qui magna juventutis frequentia docebat, ad ſecundum Theoricæ Ordinariæ locum aſcendit.



DE

DE TERTIO MEDICINÆ PRACTICÆ EXTRAORDINARIÆ LOCO,

QUI PATAVINIS ASSIGNATUS EST FLORENIS XX.

ANno MDXVIII. xviii. kal. jan. *Ludovicus Pasinus* primus post bellum scholæ huic se se obtulit, quæ primo illo & altero sæculo identidem vacare solebat, quod deessent petitores; nec quisquam diutius in ea maneret, quam ad ingenii vires ostendendas satis esset.

MDXXVII. iv. id. sept. *Paullus de Placiola*.

MDXXVIII. iv. kal. dec. *Caspar Marzolus* ex Montaneana.

MDXXXII. iv. non. mart. *Hieronymus de Blasiis*.

MDXXXV. iii. id. dec. *Christophorus Maximus*.

MDXLIX. *Hieronymus Ferrarius*.

MDLIII. iii. id. jun. *Hieronymus Capivacceus*.

MDLXII. *Hieronymus de Nigris*.

MDLXXV. *Hieronymus Bradiolus*, qui anno ipso litterario vertente ad locum secundum ascendit.

MDLXXVII. *Annibal Bimbiolus*.

MDXCI. *Alexander Vigontia*.

MDXCVIII. *Jo. Petrus Peregrinus*.

MDCXIII. idib. april. *Bartholomæus Sfortia*.

MDCXVII. *Jacobus Zabarella*.

MDCXX. *Franciscus Rocca*.

MDCXXI. pridie kal. febr. *Franciscus Bonardus* ex tertio Theoricæ loco.

MDCXXIV. *Merius de Meriis*.

MDCXXXII. xv. kal. febr. *Paullus Giacomettus*, quo defuncto suffectus iv. kal. maj. *Marcus Antonius Peregrinus*.

MDCXXXVII. iii. non. sept. *Angelus Montagnana*.

MDCXLVII.

MDCXLVII. Exorta controverſia inter Syndicum Univerſitatis, & Civitatis Decuriones de ordine ferendi ſuffragia (qua de re alibi dixi) locus vacare cœpit. Reſtitutus eſt anno MDCLIII. XI. kal. nov. & aſſignatus *Hilario Spinello*.

MDCLXVI. x. kal. dec. *Alexander Vigontia* junior.

MDCLXXVIII. XVI. kal. ſept. *Octavius Saviolus*, qui laudatorem invenit Carolum Patinum in Lyceo Patav. p. 115.


MDCLXXXII. poſtridie non. dec. *Annibal Dominicus Bimbiolus*, poſtea Canonicus Patavinus, Theologus, & in Cathedrali æde ſacrarum Litterarum interpres.

MDCLXXXVIII. pridie non. ſept. *Ferdinandus Carolus de Anſelmis Rinaldinus*.

MDCXCVIII. x. kal. april. *Jo. Baptiſta Bonomus*.

MDCCIII. VI. kal. oct. *Jo. Baptiſta Urſatus*, qui poſt annos duodecim ad ſecundam Practicæ Extraordinariæ ſcholam evectus eſt dierum vacantium.

MDCCXVI. III. kal. jan. *Angelus Piſanus*, qui anno jam ſecundo & quadrageſimo operi conſtanter inſtat; fruiturque Collegii Medici jure, quod obtinuit ex Magiſtratus reſcripto XIV. kal. aug. MDCCXXXVI.



PRI-

PRIMA THEORICÆ MEDICINÆ EXTRAORDINARIÆ SCHOLA.

ANno MDXVII. reſtituta Medicinæ Theoricæ Extraordinariæ ſchola, quæ undecim abhinc annis ſublata fuerat, XII. kal. dec. *Hieronymus Pindemontius* Veronenſis conductus eſt ad locum ejus primum florenis octogenis. Anno autem MDXX. III. id. mart. onus quoque recepit ſcholæ Ordinariæ per menſes aliquot, donec adveniret ex Gymnaſio Peruſino *Jo. Laurentius de Saxoferrato*. Et hoc quidem titulo tributi ſunt illi floreni XXV.

MDXXIII. XIII. kal. dec. *Bartholomæus Bariſonus* Patavinus huc ex loco ſecundo productus eſt flor. XLV.

MDXXV. XVIII. kal. jan. cum *Bariſonus* abdicaſſet, *Franciſcus Frigimelica* Patavinus florenis quinquagenis ſuffectus eſt, anno autem MDXXXI. tricenórum incremento confirmatus.

Eodem anno XVI. kal. dec. *Octavianus Tabula* Vicetinus totidem conductus florenis eſt, quibus anno MDXXXV. additi ſunt præterea X.

MDXXXVIII. pridie id. jun. cum *Tabula* cauſſariam miſſionem obtinuiſſet, ex eadem civitate, eodemque ſtipendio accitus eſt *Antonius Fracantianus*, qui anno ſequenti ſibi addi curavit florenos XXX. & poſt quadriennium LX.

MDXLV. IV. non. nov. *Baſſianus Landus* ex loco ſecundo Philoſophiæ Extraordinariæ traductus ſtipendio ſuo flor. LXXX. quibus anno poſt additi ſunt XL. anno autem MDXLIX. præterea XXX. Hinc ad primum Medicinæ Theoricæ Ordinariæ locum aſcendit.

MDLI. XVI. kal. oct. *Lando* ad Ordinariam traducto, ad hanc accitus eſt *Comes de Monte*, al. *Pigattus*, Vicetinus flor. CXX. Triennio poſt, cum fruſtra augeri ſibi ſalarium contendiſſet, ſponte abiit.

MDLIV.

MDLIV. XI. kal. jan. *Franciscus Morzentius* Brixianus conductus flor. C. cum Rector Universitatis nomine frustra *Balneatum* proposuisset, ut est in Actis t. I. p. 162.

MDLXVI. pridie kal. nov. *Bernardinus Trivisanus* ex schola Simplicium translatus flor. C. ea tamen conditione, ut illi *Bottonus* par loco esset. V. locum hujus classis secundum.

MDLXXVIII. VII. kal. mart. *Marcus Oddus* flor. CXX. qui hinc ad primum Practicæ locum migravit.

MDLXXXIII. III. non. nov. *Æmilius Campolongus* ex loco tertio provectus florenis sexagenis, quibus anno MDXCI. additi sunt quadrageni supra centum.

MDXCII. XIV. kal. jan. *Annibal Bimbiolus* flor. CC. conductus. Hoc anno VII. id. nov. schola hæc decreto Senatus compulsa est in horam secundam vespertinam statim post Practicam Ordinariam. Cum enim ante ad nolæ pulsationem haberetur, studentes adesse non ita facile poterant. Sed non multo post in pristinam horam restituta est. Ipse autem *Bimbiolus*, semel atque iterum aucto stipendio, anno MDCXII. quingenos obtinuit.

MDCXIII. IV. kal. april. *Jo. Dominicus Sala* ex loco secundo progressus florenis CC. Anno MDCXXIII. publica oratione gratulatus est novo Venetiarum Duci Francisco Contareno Universitatis nomine. Bis aucto ejus stipendio ad quingenos quinquagenos, anno demum MDCXXXIII. translatus est ad Theoricam Ordinariam loci secundi.

MDCXXXIV. IX. kal. jul. *Julius Sala* ex loco secundo Practicæ Extraordinariæ traductus flor. CCX. qui ad quadringenos aucti sunt anno MDCXXXVII. adjecto onere differendi de Pulsibus & Urinis in Nosocomio, quod ipse sibi jam depoposcerat ab anno MDCXXIX. cum esset inter Practicos dierum vacantium. Sexennio post cum obiisset, heredes ejus integrum anni stipendium obtinuerunt.

MDCXLIII. XVIII. kal. febr. *Hieronymus Colzadius*, vulgo

vulgo *Colzè*, Vicetinus, flor. CCL. qui anno MDCXLIX. duplicati sunt.

MDCLII. VI. kal. nov. mortuo *Colzadio* Medico non incelebri, accitus est ex Pisano Gymnasio *Prosper de Tedeschis* Tridentinus flor. D. additis quinquaginta itineris gratia.

MDCLVI. IV. kal. oct. *Hieronymus S. Sophia* Patavinus ex loco hujus Classis secundo traductus flor. CC. quibus additi sunt CL. anno MDCLXIII.

MDCLXV. cum *S. Sophia* Parmensis Ducis Archiatrus electus discessisset, successit *Hieronymus Vergerius* Justinopolitanus flor. DC. qui anno MDCLXXII. aucti sunt ad DCCC.

MDCLXXVI. XIII. kal. oct. *Pompilius Scotus* traductus ex secundo Avicennæ loco stipendio suo, quod anno post auctum est ad flor. DCC.

MDCLXXIX. V. kal. oct. *Com. Alexander Borromæus* ex Theorica Extraordinaria dierum vacantium huc translatus stipendio suo florenor. DC. qui aucti sunt ad octingenos biennio post, & ad CM. anno MDCLXXXIX.

MDCXCVIII. XII. kal. sept. *Borromæo* ad Theoricam Ordinariam loci secundi traducto, accitus est *Simon Egben* Tridentinus flor. CD. Sed triennio post discessit valetudinis caussa.

MDCCII. XII. kal. maj. *Alphonsus de Donolis* Iliciensis ex loco secundo ad primum hunc translatus flor. DC. quibus duceni accessere anno MDCCIX. Obiit ineunte anno MDCCXXIV. ejusque laudes, & opera refert Papadopolus t. I. p. 177. Schola quoque ipsa biennio post decreto Senatus sublata est.

SECUNDA MEDICINÆ THEORICÆ EXTRAORDINARIÆ SCHOLA.

MDXVII. *Benedictus Tiriaca* Mantuanus, qui ante bellum Logicam, & Aſtronomiam apud nos profeſſus fuerat, xvii. kal. oct. revocatus eſt ad regendam ſcholam hanc florenis LXXX. ut eſt in decreto, quo reſtitutum Gymnaſium fuit. Sed cum per hos ipſos dies gravi morbo in patria laborare cœpiſſet, paullo poſt decubuit. De illo vide Venetam Opuſculor. collect. apud Occhi vol. 43. Itaque primus acceſſit *Bartholomæus Bariſonus* Patavinus florenis conductus tricenis vii. id. jan. anni ſeqnentis.

MDXX. poſtridie non. febr. *Jo. Franciſcus Vitalba* Bergomas, qui triennio ante Artium Prorector fuerat, eodem ſtipendio ad annum ſuffectus eſt. Anno autem circumacto, v. kal. oct. rediit *Bartholomæus Bariſonus* ſtipendio ſuo florenor. XXX. quibus anno poſt additi ſunt XV.

MDXXIII. xv. kal. jan. cum *Bariſonus* ad ſcholam primam aſcendiſſet, ſucceſſit *Petrus Mainardus* Veronenſis, *Bariſono* ipſi loci dignitate æquatus, florenis C.

MDXXVI. xiv. kal. dec. *Oddus de Oddis* Patavinus ſexagenis conductus eſt: & quia *Frigimelicam* primæ ſcholæ præfectum ſtipendio ſuperabat, loco & dignitate par declaratus eſt.

MDXXX. ix. kal. maj. *Andreas Baranzonus* Mutinenſis acceſſit ad docendum florenis quinquagenis, quo ſtipendio ceteri poſtea meruere ad annum conducti, uſque ad *Triviſanum*, & *Bottonum*.

MDXXXI. xiv. kal. febr. *Nicolaus de S. Michaele* Comenſis. Hoc ipſo anno vi. kal. ſept. conductus eſt etiam *Magnus Mantuanus*.

MDXXXII. v. id. nov. *Thomas de Sapientibus* Pedemontanus.

MDXXXIII.

MDXXXIII. kalendis nov. quo plerunque die fiebat electio, *Joannes Elicius* Picenus.

MDXXXIV. *Jacobus Ferdinandus de Bari*.

MDXXXV. *Joseph Polonus*.

MDXXXVI. *Bernardinus Paternus* Salodiensis.

MDXXXVII. *Alexander Landus* Veronensis.

MDXXXVIII. *Joannes Beta* Tridentinus.

MDXXXIX. *Franciscus Cirrocus* Fulginas.

MDXL. *Hieronymus Ulmus* Bergomas.

MDXLI. *Hieronymus Donzellinus* Brixianus.

MDXLII. *Joseph Salandus* Bergomas.

MDXLIII. *Paullus Dionysius* Veronensis.

MDXLIV. *Pompejus Maceranus* Brixianus, cui suffectus est kalendis maiis anni proximi ad curriculum explendum *Jo. Baptista Vittanus* Comensis.

MDXLV. kalendis nov. *Vincentius Odescalcus* Comensis.

MDXLVI. *Jo. Baptista Puteus* Veronensis.

MDXLVIII. *Ludovicus Lazise* Veronensis.

MDXLIX. VI. id. nov. *Julius Corradinus* Patavinus per litteras Triumvirales, excluso *Antonio Pasolo* ab Universitate electo. Sed VI. kal. dec. suffectus est *Pasolus* ipse, petente Universitate, ut sua sibi jura servarentur.

MDL. *Albertus Jambonardus* Veronensis.

MDLI. kalendis dec. *Julius Gelo* Bariensis.

MDLIII *Franciscus de Orsellis* Urbinas.

MDLIV. *Galeatius Burgofortis* Mantuanus.

MDLVII. *Jo Baptista Arlotus* Regiensis.

MDLXI. XIII. kal. oct. *Hieronymus Capivacceus* Patavinus, qui hinc migravit ad scholam Practicæ Ordinariæ secundam.

MDLXVI. pridie kal. nov. *Bernardinus Trivisanus* Patavinus ex schola Simplicium translatus flor. C. cum paullo ante huc migrasset etiam *Albertinus Bottonus* ea conditione, ut essent loco pares, quamvis in Rotulis *Trivisanus* videatur esse primarius. Duplicatum utrique stipendium est anno MDLXXII.

MDLXXVI. III. non maj. *Bottono* ad Practicam Extraordinariam translato, *Æmilius Campolongus* conductus est flor. XXX. Sed cum triennio post locus uterque secundus cum Practicæ, tum Theoricæ sublatus fuisset, *Campolongus* ad tertium recessit, amisso gradu, & stipendio ad florenos XX. imminuto. Tanti erat ea tempestate publice docendi gloria.

MDXCIX. XVIII. kal. febr. Restituta est schola hæc ad æmulationem promovendam, & juvenes exercendos, ut dicitur in decreto Senatus, & commissa *Nicolao Trivisano* flor. LXXX. Cum autem anno sæculi sequentis septimo *Trivisanus* ad Ordinariam Theoricam loci secundi transisset, III. kal. nov. *Dominicus Sala* Patavinus suffectus est flor. C. *Sala* porro ipso ad locum hujus classis primum evecto, *Aldreghettus de Aldreghettis* anno MDCXIII. IV. kal. april. successit, ex Practica deductus Extraordinaria dierum vacantium, florenis ducenis. Confirmatus est anno MDCXXIX. stipendio duplicato. Sed biennio post, grassante per urbem peste, ipse quoque absumptus est, & in æde S. Mariæ Matris Domini sepultus, posita statua, tituloque non satis gravi, in quo dicitur *Trismegistus Thaumaturgus*, *in Patavino litterarum emporio Æsculapii Apollinis alumnus*. De ejus vita & operibus Mazzucchellus T. I. p. 398.

MDCXXXII. XVI. kal. febr. *Guido Antonius Albanesius* ex tertio loco traductus flor. C. qui anno MDCXLIV. aucti sunt ad CCCL.

MDCXLIV. XIII. kal. dec. *Antonius Gambarus* Patavinus florenis CCL. qui aucti sunt ad CD. anno MDCLI. Obiit quadriennio post; & in Eremitana basilica sepultus est, apposita icone, & verbosa pro sæculi more epigraphe, quam refert Salomonius in Inscriptionibus Urbanis p. 221.

MDCLVI. IV. kal. oct. *Hieronymus S. Sophia* Patavinus traductus ex loco tertio flor. CL.

MDCLVII. IV. kal. oct. *S. Sophia* ad primum locum evecto, *Hermenegildus Pera* ex Portu Buffoleto, adoptione Feltrien-

trienſis, ſucceſſit florenis CCC. qui iterum ac ſæpius aucti, anno demum MDCLXXXII. crevere ad MCC. Sed hoc ipſo anno obiit. De illo ejuſque majoribus Patinus in Lyceo p. 36.

MDCLXXXII. pridie id. ſept. *Alphonſus de Donolis* Iliciensis florenis accitus eſt quadringenis, quibus centeni additi ſunt anno MDCXCI. eoque ad primum ſcholæ hujus locum provecto, IV. kal. april. MDCCIII. ſuffectus eſt *Georgius Calaphates* Cydonius ex ſecundo Practicæ Extraordinariæ, aucto ſtipendio ejus ad flor. D. Cum autem *Calaphates* anno ſæculi nono ad Practicam Ordinariam progreſſus eſſet, huc demigravit ex tertia Philoſophiæ Extraordinariæ ſchola *Com. Jo. Antonius de Caſalis* Patavinus florenis CC. qui ſemel atque iterum aucti, anno MDCCXXXV. crevere ad DCXL. Triennio poſt mortuus eſt, ipſoque anno MDCCXXXVIII. v. kal. dec. clauſa ſchola eſt.



DE

DE TERTIO THEORICÆ MEDICINÆ EXTRAORDINARIÆ LOCO

PATAVINIS ASSIGNATO FLOR. XX.

ANno MDXVIII. *Petrus junior a Noali*, al. *Noalius*.

MDXXIV. III. kal. nov. *Franciſcus Bonafides*.

MDXXV. XII. kal. dec. *Oddus de Oddis*.

MDXXVII. XVII. kal. maj. *Bartholomæus de Petroniis*.

MDXXX. VII. kal. dec. *Chriſtophorus de S. Maximo*, al. *Maximus*.

MDXXXV. III. id. nov. *Alexander de Doctoribus*.

MDXXXIX. *Ludovicus Campolongus*.

MDXLII. III. id. nov. *Julius Corradinus*.

MDXLIX. *Jo. Baptiſta de Balneatis*.

MDLXI. *Sebaſtianus Marcellanus*.

MDLXVIII. *Ludovicus Agnellius*.

MDLXIX. *AEmilius Campolongus* ex loco ſecundo jam intermiſſo. Hinc poſt annos quatuordecim aſcendit ad primum.

MDLXXXV. *Nicolaus Triviſanus*. Paſchali Ciconiæ Venetorum Principi recens electo Univerſitatis nomine gratulatus eſt, una cum *Marco* fratre Juris Civilis Profeſſore, qui Juriſtarum legationem obivit.

MDC. *Tarquinius Carpenetus*.

MDCVII. VII. kal. dec. *Aloyſius Strà*.

MDCXVIII. *Franciſcus Rocca*.

MDCXIX. pridie kal. jul. *Franciſcus Bonardus*.

MDCXXI. VI. kal. mart. *Guido Antonius Albaneſius*, al. *Albanenſis*.

MDCXXXV. poſtridie id. jan. *Joannes a S. Cruce*.

MDCXLIV. X. kal. jan. *Hieronymus S. Sophia*.

MDCLIX.

MDCLIX. XII. kal. mart. *Hercules Saxonia* junior, de quo Patinus in Lyceo Patav. p. 134.

MDCLXXX. nonis jul. *Solimanus Militia de Bradiolo*.

MDCLXXXVII. postridie non. dec. *Laurentius Bacchettus*.

MDCCX. III. id. maj. *Aloysius Bradiolus*.

MDCCXIII. XI. kal. jan. *Jo. Maria Rossi*.

MDCCXVI. IV. id. jun. *Domninus de Domninis*.

MDCCXVIII. XII. kal. mart. *Joseph Guerra*.

MDCCXX. mense dec. *Gulielmus Scotus*.

MDCCXXXI. XIII. kal. febr. *Jo. Baptista de Domninis*, qui sexto jam & vicesimo anno propositum diligenter urget, utilemque ægrotis operam præstat.



DE

DE THEORICA MEDICINA EXTRAORDINARIA DIERUM VACANTIUM.

INstituta est schola hæc vespertina anno MDCII. III. non. dec. ad exercendos docendi studiosos, & majoribus exedris leviore hac dierum vacantium exercitatione præparandos, constituto stipendio flor. XXV. & eo quidem nulla umquam ratione augendo; ne quis forte Professor in hac laboris tenuitate sibi commode quiescendum speraret. His conditionibus primus eam obtinuit *Benedictus Silvaticus* Patavinus, tantumque profecit, ut quinquennio post gravioribus scholis idoneus repertus sit, subinde vero ad supremas evectus.

MDCVII. IV. id. nov. scholam a *Silvatico* relictam occupavit *Tarquinius Carpenetus* Patavinus, ex loco dierum ordinariorum tertio translatus. Stipendii autem lege solutus florenos obtinuit LX. quam summam placuit in posterum scholæ huic perpetuam esse, salvis conditionibus aliis, quas docentibus ex hoc loco Senatus præscripserat.

MDCXIII. IV. kal. april. cum *Carpenetus* ad Practicam Extraordinariam ascendisset, suffectus est *Jo. Petrus Peregrinus* Patavinus, qui obiit decennio post.

MDCXXIV. XV. kal. oct. *Julius Sala* Patavinus, ex tertio Avicennæ loco ad hunc traductus, egit cum Magistratu, ut sua quoque caussa stipendii fines præterirentur, obtinuitque florenos C. De augmento etiam agere se posse existimavit anno MDCXXIX. oblataque opera ad ostendenda in Nosocomio morborum signa per pulsus & urinas, quæ cura *Antonii Nigri* fuerat paullo ante defuncti, additi sunt salario ejus floreni LXXX.

MDCXXXII. pridie non. febr. *Franciscus Bonardus* Patavinus

vinus ex eadem Avicennæ ſchola huc migravit, ſed ſtetit intra florenos LX. Hoc ſibi tyrocinio ſecundum Practicæ Extraordinariæ locum meruit anno MDCXXXIV. Statim illi ſuffectus eſt *Hieronymus Frigimelica* Patavinus, qui ſibi ad eumdem Practicæ locum biennio viam aperuit.

MDCXXXVI. XVI. kal. dec. *Marcus Antonius Peregrinus* Patavinus conductus eſt flor. LX. qui tamen ſemel atque iterum aucti crevere ad CC. Sed, oblitterata jam utriuſque de ſtipendio decreti memoria, anno MDCLVI. v. kal. oct. *Alexander Borromæus* Patavinus ſcholæ huic Profeſſor datus eſt florenis C. qui anno demum MDCLXXVII. aucti ſunt ad DC.

Biennio poſt *Borromæo* ad primum Theoricæ Extraordinariæ locum traducto, XIII. kal. jun. ſucceſſit *Georgius Calaphates* Cydonius, decretumque illi ſtipendium eſt florenor. CL. qui bis aucti, anno MDCXCIII. devenere ad CD.

Calaphatum ad Practicos digreſſum excepit anno MDCXCVIII. x. kal. ſept. *Rinaldus Dogliolus* Bononienſis ex patrio Gymnaſio accitus florenis CCCL. Hic vero ne domum quidem in urbe hac conduxit, ſed Venetiis degens, ubi gratia & amicitiis pollebat, identidem Patavium ventitabat, ut diebus vacantibus ſcholam inviſeret. Anno MDCCIX. bona Principis venia ſecutus eſt Legatum Venetum Foſcarenum ad Hagæ conventum, ſcholæ ſtipendio non ſolum ſervato, ſed etiam aucto ad flor. DCC. anno MDCCXI. Jam vero cum ſchola hæc in dies magis ærario gravis fieret, nec jam eos pareret fructus, quorum gratia fuerat a majoribus inſtituta, anno MDCCX. decreto Senatus clauſa eſt, cum *Dogliolus* anno ſuperiore vacationem obtinuiſſet, & florenos annuos, quoad viveret, trecenos quinquagenos. Obiit autem anno MDCCXL. v. non. oct. vir procul dubio doctus, & medicinæ faciendæ admodum peritus; ſed aliis utilior, quam nobis.

Anno MDCCXLIX. VII. kal. mart. ſcholam rurſus aperiri Senatus juſſit, mutata veſpertina hora in matutinam:

nec tamen inveniri ſtatim idoneus Profeſſor potuit. Inventus eſt anno MDCCLII. *Carolus Giannella* Lemniacenſis, artis cognitione atque uſu celebris, & florenis conductus trecenis quinquagenis VII. id. maj. Totam artem triennio complecti juſſus eſt, aſſignata anno primo Phyſiologia, ſecundo Pathologia, tertio Hygiene. Porro ad excitandam ſcholæ memoriam tamdiu jacentis, & auditores conciliandos Triumviri edixere III. non. aug. ne cui Artium ac Medicinæ ſtudioſo tertius ad Lauream adipiſcendam annus computetur, niſi rite probarit, ſe ſcholam hanc frequentaſſe. Anno ante *Giannella* de valetudine tuenda vernaculo ſermone ſcripſerat; triennio autem poſt diſſertationem emiſit de Radicis Ipeccacuanhæ virtute, Latine nitideque expoſita.



PRI-

PRIMA SCHOLA PRACTICÆ EXTRAORDINARIÆ DIERUM VACANTIUM,

QUÆ IN ACTIS DICITUR LECTURA UNIVERSITATIS,

ET INSCRIBITUR

Ad tertium Avicennæ librum.

SChola hæc antiquiſſima eſt, ſiquidem anno MCDXXX. ab ipſo regebatur Univerſitatis Rectore argenteis XX. Statim autem poſt majore ſtipendio illam obtinuit *Michael Savonarola*, ut ſuo loco diximus. Sed tunc quidem unica erat, & fortaſſe, abeunte *Savonarola*, ſublata eſt, quandoquidem probari Senatui non videbatur. Inclinante ſæculo reſtituta eſt, & in claſſes duas diviſa, conſtituto utrique ſtipendio flor. X. Illud certum eſt, non alio ſpectaſſe majores noſtros, cum eam reſtituerunt, quam ut per hanc dierum vacantium minus operoſam occupationem juventutis ingenia exercerent, ſcholiſque gravioribus pararent: idcirco autem minerval tenuiſſimum conſtituiſſe, ut qui rei domeſticæ conſulere vellet, ad altiora contenderet, ubi pro laboris induſtriæque modo parata ſibi præmia inveniret. Anno MDVI. III. kal. jul. ſublatus eſt locus ſecundus tamquam ſupervacuus, ſed poſt bellum reſtitutus.

MDXVIII. IX. kal. aug. *Bartholomæus Grionus* Veronenſis conductus eſt ad locum hujus ſcholæ primum ſtipendio ſcholæ ipſi aſſignato florenorum X. eumque excepit anno ſequen-

ti ejus civis *Hieronymus Gavonus*. Electio enim ad annum fiebat, & quidem statuto die, hoc est kalendis nov. si petitores adessent.

MDXX. *Julianus de Marostica*; eodemque anno pridie kal. dec. *Albertus de Albertinis* Vicetinus.

MDXXI. pridie kal. dec. *Lucas de Imola*.

MDXXII. pridie kal. dec. *Ventura Forestus* Bergomas.

MDXXIII. XII. kal. dec. *Gregorius*, al. *Eugenius*, *Securanza*.

MDXXIV. *Hieronymus a Sale* Veronensis.

MDXXV. *Matthæus a Frascata* Brixianus.

MDXXVI. *Matthæus de Maffis* Cremensis.

MDXXVII. pridie kal. dec. *Franciscus de Apostolis* Novariensis.

MDXXIX. VII. id. nov. *Nicolaus a S. Michaele* Comensis.

MDXXX. nonis nov. *Christophorus Federicius* Bergomas.

MDXXXI. *Aloysius Bellacatus* Brixianus.

MDXXXII. IV. id. nov. *Hieronymus Amalthæus* Opiterginus, qui anno sequenti ad Moralem migravit Philosophiam.

MDXXXIII. *Panutius Sillanus* Spoletinus.

MDXXXIV. *Stephanus Jordanus* Bergomas.

MDXXXV. *Cornelius de Blanchis* Vicetinus.

MDXXXVI. *Hieronymus Riccius* Murianensis.

MDXXXVII. *Nicolaus Flaccus* Firmanus.

MDXXXVIII. *Gregorius Fanensis*.

MDXXXIX. *Octavianus Tomasinus a S. Agatha*.

MDXL. *Antonius Secundus* Monopolitanus.

MDXLI. *Antonius Gattus* Vicetinus.

MDXLII. *Robertus de Robertis* Brixianus.

MDXLIII. *Octavianus Monaldus* Pisaurensis.

MDXLIV. *Defendens Galeratus* Mediolanensis.

MDXLV. *Julius Dolionus* Bellunensis.

MDXLVI. *Petrus Paullus Vitalis* Vicetinus.

MDXLVII. *Matthæus Fuccius* Tarvisianus.

MDXLVIII.

MDXLVIII. *Simon Pellicerius* de S. Marino.

MDXLIX. *Antonius Sasimanus* Picens.

MDL. *Jo. Franciscus de Comitibus* Mediolanensis.

MDLI. *Severinus Paravicinus*.

MDLII. VII. id. nov. *Hieronymus Matthæaccius* Marosticensis.

MDLIII. VIII. id. nov. *Victor Rizzardus* Feltriensis.

MDLIV. idib. oct. *Diotajutus de Diotajutis* Auximanus.

MDLV. *Jo. Antonius Siricellus* Maceratensis.

MDLVI. *Jo. Baptista Belista* Parmensis.

MDLVII. VI. id. nov. *Celsus Pigafeta* Vicetinus.

MDLVIII. *Erasmus Sidereus* Germanus.

MDLIX. *Franciscus Pulveus* Romanus.

MDLX. *Joseph Ovetarius* Patavinus.

Postea schola vacavit usque ad annum MDLXXIX. quo una cum aliis pluribus minus necessariis sublata est. Rursus autem anno MDXCI. pridie non. maj. restituta & commissa est *Antonio Nigro* flor. XX. Restituendi caussæ in decreto referuntur, ea vero in primis, quod hoc sit veluti Gymnasii seminarium, unde Professores ducuntur scholas necessarias occupaturi.

MDXCIV. pridie id. oct. cum *Antonio Nigro* datus collega esset *Hieronymus Fracantianus*, ipse primarius declaratus est, stipendio etiam aucto ad flor. LX. anno MDXCIX. Biennio post primus hic Avicennæ locus sublatus est, *Nigro* ad novam scholam traducto, quæ titulo inscripta est trifariam diviso, *de Morbis*, *de Morborum caussis & Symptomatibus*, *de Pulsibus & Urinis*. *Aldreghettus* autem, qui locum secundum occupabat, anno MDCI. totam provinciam tenere cœpit, integramque successoribus tradidit usque ad annum MDCXX. Nam hoc anno XIII. kal. nov. decrevit Senatus, dandum esse collegam Avicennæo Professori. Itaque duo electi sunt, *Julius Sala*, & *Franciscus Rocca*, constituto utrique stipendio flor. XXX. Statim de loco certarunt, decretumque

est,

eſt, pares loco eſſe, ita tamen ut *Salæ* nomen in Rotulis præponeretur; quique ipſi ſuccederent Profeſſores, haberentur primarii.

MDCXXIV. XVI. kal. nov. *Sala* ad Theoricam Extraordinariam dierum vacantium translato, *Franciſcus Bonardus* Patavinus ſucceſſit eadem loci conditione flor. XXX.

MDCXXXII. IV. non. jan. *Bonardum* ad locum ſecundum Practicæ Extraordinariæ translatum excepit *Antonius Gambarus* ex loco ſecundo traductus flor. C. qui anno MDCXXXVIII. duplicati ſunt. Nunc primum cum Avicenna benignius agi cœptum eſt.

MDCXLIV. XIII. kal. mart. cum *Gambarus* ad ſecundum Theoricæ Extraordinariæ locum migraſſet, ſucceſſit ex hujus ſcholæ ſede ſecunda *Sebaſtianus Scarabicius* Patavinus ſtipendio ſuo flor. C. qui iterum ac ſæpius aucti anno demum MDCLXXVIII. crevere ad DCCCL. Uſque adeo temporum mutatio fecit, ut primæ inſtitutionis memoria intercideret. *Scarabicii* laudes complexus eſt, & opera recenſuit ab eo ſcripta Patinus in Lyceo p. 20.

MDCLXXXVII. VIII. kal. mart. mortuo anno ſuperiore *Scarabicio*, ſucceſſit in locum ejus *Auguſtinus Pivatus* ex loco ſecundo traductus ſtipendio ſuo flor. CCXX. quibus additi ſunt LXXX. anno MDCXC. Triennio poſt mortuus eſt. De illo Patinus in Lyceo Patav. p. 135.

MDCXCVIII. VI. id. nov. *Homobonus Piſonus* Cremonenſis conductus flor. CC. qui ſæpius aucti crevere ad DL. anno MDCCXXIV.

MDCCXXVIII. V. kal. aug. *Piſono* ad Practicam Extraordinariam translato, ſucceſſit *Carolus Franciſcus Cogroſſus* Cremenſis, qui locum ſecundum tenebat flor. CCCXX. Sed, clauſa rurſus decreto Senatus poſtrid. kal. jan. MDCCXXXIII. ſchola, *Cogroſſus* honeſtam miſſionem obtinuit, conceſſis viro bene merenti in ſingulos reliquæ vitæ annos florenis CLX. Nonnulla ſcripſit, quæ refert, & laudat Papadopolus in t. I. p. 186.

SCHO-

SCHOLA SECUNDA PRACTICÆ EXTRAORDINARIÆ DIERUM VACANTIUM,

QUÆ INSCRIBITUR

Ad tertium Avicennæ Librum.

ANno MDXVIII. IX. kal. aug. *Franciscus Tienæus* Vicetinus conductus est ad annum florenis X. nunquam augendis. Huic anno sequenti successit *Valerius Capuanus*, kalendis novembr. electus, qui dies status erat, nisi aliquid incideret.

MDXX. *Nicolaus Monopolitanus.*

MDXXI. *Julius Cæsar de Manfredonia.*

MDXXII. pridie kal. dec. *Joannes Fabris* Tarvisianus.

MDXXIII. XII. kal. dec. *Laurentius Matthæaccius* Pedemontanus.

MDXXIV. *Joannes de Gandino* Bergomas.

MDXXV. *Franciscus de Albano* Bergomas.

MDXXVI. *Antonius Calderarius* Veronensis.

MDXXVII. pridie kal. dec. *Jo. Baptista Pandinus* Veroronensis.

MDXXIX. *Valentinus Pischeria* Brixianus.

MDXXX. *Marius Bossius* Brixianus, qui stipendium non exegit.

MDXXXI. *Jo. Paullus Junius* Brixianus; eodemque anno kalendis nov. *Bernardinus Licinus* Bergomas.

MDXXXII. IV. id. nov. *Georgius Aurelius* Liburnensis.

MDXXXIII. *Jo. Baptista de Michaelis* Mantuanus.

MDXXXIV. *Aloysius Trivisanus.*

MDXXXV.

MDXXXV. *Hieronymus Cesconus* Bellunensis.
MDXXXVI. *Laurentius Stangalinus* Mantuanus.
MDXXXVII. *Guilielmus Gratarolus* Bergomas, de quo multa Donatus de Calvis in Scena Litter. P. I. p. 307.
MDXXXVIII. *Joannes Butironus* Veronensis.
MDXXXIX. *Alphonsus Lucanus* Melphitensis.
MDXL. *Joseph Salandrus* Bergomas.
MDXLI. *Jo. Baptista Vacchellus* Brixianus.
MDXLII. *Jo. Franciscus Manfredus* Cremonensis.
MDXLIII. *Joannes Gratarolus* Bergomas.
MDXLIV. *Laurentius Monsilicius* Veronensis.
MDXLV. *Joannes Cassius* Genuensis.
MDXLVI. *Jo. Maria Salamonius* Pedemontanus.
MDXLVII. *Hieronymus Julianus* Veronensis.
MDXLVIII. *Vincentius Ramusettus* Eugubinus.
MDXLIX. *Paullus Polonus*.
MDL. *Basilius Paravicinus* Novocomensis.
MDLI. *Albertus de Comitibus*.
MDLII. *Joannes Carnarius* Belga.
MDLIII. *Antonius Fama* Siculus.
MDLIV. *Nicolaus Curtius* Brixianus.
MDLV. *Marianus Pius* Siculus.
MDLVI. *Scipio Carlius* Brixianus.
MDLVII. *Alexander Brillus* Lendinariensis.
MDLVIII. *Ludovicus Capellanus* Cremonensis.
MDLIX. *Joannes Montriolus* Veronensis.
MDLX. *Antonius Lobertus* Pedemontanus.

Hoc anno sublata est schola hæc una cum aliis omnibus, quæ ab Universitate per scholarium suffragia distribuebantur.

MDLXXV. v. kal. jan. Cum *Hercules Saxonia* tertium Logicæ locum Patavinis civibus concessum teneret, petiit & obtinuit a Magistratu, ut pro Logica sibi liceret Medicam artem ex Avicennæ doctrina tradere. Hinc ortus est tertius Avicennæ locus, qui stetit intra Patavinarum scholarum sti-

pen-

pendium flor. XX. Cum autem non fine laude & utilitate aliqua operam suam hac in parte collocare *Saxonia* videretur, anno MDLXXVIII. IV. kal. jul. datus illi titulus est Professoris Avicennæ secundarii, duplicato stipendio. Sed anno post Senatus jussit, ut Avicennæ schola nomenque, cum primum fieri posset, omnino tolleretur: quod factum est anno MDLXXXII. Nondum tamen elapso decennio revixit Avicenna, restituto loco primo; triennio vero post etiam secundo. In hoc autem collocatus est *Hieronymus Fracantianus* stipendio flor. XX. Et cum *Fracantianus* abdicasset, nonis mart. MDXCVIII. successit *Henrichettus de Henrichettis*, vulgo *Aldreghettus de Aldreghettis*, Patavinus eodem stipendio. Anno MDCI. jussus est docere sine collega, aucto stipendio intra decennium ad flor. CC. Hinc porro *Aldreghettus* ad Theoricam Extraordinariam loci secundi cum migrasset, v. kal. april. MDCXIII. datus illi successor est *Joannes Prevotius* Rauracus florenis septuagenis. Magnam sibi *Prevotius* doctrinæ famam non publice solum, sed etiam privatim docendo comparavit: ideoque anno MDCXVII. ad secundam Practicæ Extraordinariæ scholam provectus est.

MDCXVII. postridie id. jan. *Bartholomæus Ridolphi Sfortia* Patavinus conductus flor. LX.

MDCXX. XIII. kal. nov. *Franciscus Rocca* Patavinus florenis XXX suffectus est, & par antagonistæ declaratus. Sed triennio post mense octobri docere ac vivere desiit.

MDCXXVIII. pridie non. april. *Antonius Gambarus* Patavinus florenis ipse quoque tricenis merere cœpit. Quadriennio post ad locum primum ascendit, aucto stipendio ad centenos.

MDCXXXIV. VIII. kal. jul. *Bernardinus Blanchinus* flor. XL.

MDCXXXVI. kal. mart. *Sebastianus Scarabicius* Patavinus flor. L. qui duplicati sunt anno MDCXLII.

MDCXLIV. XIII. kal. dec. *Jo. Pompilius Scotus* Patavi-

nus flor. LXXX. qui ſæpe aucti, ad DXXX. crevere anno MDCLXIX.

MDCLXXVI. XIII. kal. oct. *Carolus Patinus* Eques Pariſienſis conductus flor. CCC.

MDCLXXXI. IV. kal. nov. *Auguſtinus Pivatus* Acelinus flor. CCXX. qui ſexennio poſt migravit ad locum hujus claſſis primum.

MDCLXXXVII. XVI. kal. maj. *Octavius Saviolus* Patavinus flor. CXX.

MDCXCIV. V. kal. aug. Cum *Saviolus* anno ſuperiore obiiſſet, ſucceſſit *Campolongus de Campolongis* Patavinus flor. CC. quibus LXXX. additi ſunt anno MDCCXIII.

MDCCXV. XVI. kal. oct. *Jo. Baptiſta Urſatus*, vir aliis quoque ingenuis artibus ornatus, ex loco Medicinæ Practicæ tertio translatus eſt ſtipendio flor. CLX. Obiit poſt quinquennium, cum adverſus credulos lucernarum perpetuo ardentium defenſores gravem diſſertationem edidiſſet.

MDCCXX. XVI. kal. dec. *Carolus Franciſcus Cogroſſus* Cremenſis flor. CC.

MDCCXXVIII. IV. id. jan. *Jacobus Placentinus* de Caſtrofranco flor. CCL. quibus anno MDCCXXXV. additi centeni quinquageni, cum ſolus remanſiſſet, loco primo ſublato. Anno MDCCXLI. III. kal. oct. ad primam Theoricæ Ordinariæ ſedem translatus eſt, aucto ejus ſtipendio ad flor. DC. & clauſa in poſterum Avicennæ ſchola.

AD

AD SECUNDAM FEN PRIMI CANONIS

A V I C E N N Æ

De Morbis, de Morborum Cauſſis & Symptomatibus, De Pulſibus & Urinis,

HORA SECUNDA MATUTINA DIERUM


VACANTIUM.

HOratius Augenius, primarius Theoricæ Ordinariæ Profeſſor, auctor fuit, ceteris quoque Profeſſoribus in conſilium adhibitis, totaque petente Univerſitate, ut ſchola hæc inſtitueretur, quam qui exerceret, ſine collega eſſet. Commiſſa eſt *Antonio Nigro* anno MDCI. XIII. kal. nov. qui ex primo Avicennæ loco jam ſublato huc migravit flor. CCC. Anno MDCIX. ejus ſtipendium auctum eſt ad flor. CD. poſtremo ad DC. anno MDCXIX. addita conditione, ut poſt Gymnaſticam diſputationem morborum ſigna ex pulſibus & urinis aperiret in Noſocomio. Quamquam autem ſcholæ hujus utilitas ita in decreto explicata eſſet, ut ea carere nullum poſſe Gymnaſium videretur, tamen, extincto *Nigro*, ipſa quoque extincta eſt, ſalvo dumtaxat pulſuum & urinarum examine in Noſocomio, quod ſibi ultro *Julius Sala* Theoricæ Extraordinariæ Profeſſor depopoſcit flor. LXXX.

MDCXLII. XIII. kal. nov. defuncto *Sala*, onus idem ſuſcepit *Hieronymus Frigimelica*, qui ſecundum Practicæ Extraordinariæ locum tenebat; eoque nomine attributi ſunt illi floreni C. auctique etiam ad CC. anno MDCXLVI. ad CCC. anno MDCLXI.

MDCLXXXIII. V. id oct. mortuo *Frigimelica*, munus hoc translatum eſt ad *Jacobum Viſcardum* ſecundarium Logi-

cæ Professorem flor. CC. *Viscardo* autem ad Simplicia traducto, pulsuum & urinarum examen idibus jan. MDCLXXXV. delatum est *Michaeli Angelo Molinetto* secundi loci Anatomico, flor. CC. Porro *Molinetto* ad locum primum progresso, adjecta est cura hæc idib. jan. MDCLXXXIX. sine peculiari stipendio scholæ primæ Practicæ Ordinariæ. Ita enim decretum jam fuerat a Senatu anno superiore. Itaque accito anno MDCXC. xiv. kal. aug. ad primum Practicæ Ordinariæ locum *Francisco Jona* Veronensi, simul impositum illi onus est differendi in Nosocomio de pulsibus & urinis; sed tribus tantum in singulos annos diebus majoris hebdomadæ, ut mos adhuc tenet; quamvis in Rotulis ex veteri formula ita descriptum sit, ut dies omnes vacantes occupare videatur. Postea triduana hæc exercitatio, incertum qua ratione, ad Theoricos Primarios translata est, & primum quidem ad *Dominicum Gulielminum*; nec amplius sedem mutavit, nisi forte ad tempus, dum locus Theoricæ supremus vacaret.



DE

DE CHIRURGIA.

Restituto Gymnasio, ad Chirurgiam profitendam III. non. jan. MDXVIII. conductus est *Petrus de Mainardis* Veronensis florenis C. Quinquennio post migravit ad scholam Medicinæ Theoricæ Extraordinariæ secundam.

MDXXIII. IV. id. dec. *Galeatius de Lano* Bergomas accitus ad scholam hanc stipendio floren. XX. perrexit usque ad octobrem MDXXV. Mense autem novembri cum geminata schola esset, *Vincentius de Muriano* conductus est florenis vicenis ad locum primum; eodemque stipendio *Antonius de Savona* ad secundum.

MDXXVI. kalendis nov. *Nicolaus de Musicis* Patavinus, & *Rinaldus Tiriaca* Mantuanus, uterque flor. XX. Alter domesticus fuerat a secretis *Benedicti Tiriacæ* Professoris celeberrimi, & ab eo in Tiriacas insertus.

MDXXIX. III. id. nov. cum solus mansisset *Nicolaus*, decreto Senatus duplicatum illi stipendium est ex ipsa Statutorum lege lib. 2. c. 5.

MDXXX. XIII. kal. sept. *Nicolaus* confirmatus est suffragiis Universitatis. Huic autem *Jo. Baptista de Lombardis* Veronensis datus collega fuerat, qui locum secundum teneret: sed schola illi interdicta est, quod nondum Doctoris titulum obtinuisset. Porro *Nicolao* auctum stipendium est ad flor. LX. anno MDXXXII. Hoc ipso anno, ut est in Actis Tomo I. p. 33. cadavera secuit pro munere suo. Ad explicandam autem Anatomicam doctrinam, & humani corporis partes ostendendas electi sunt *Matthæus a Curte*, primarius Medicinæ Theoricæ Ordinariæ Professor, & *Hieronymus Tirabuscus* Practicæ Extraordinariæ Doctor.

MDXXXV. idib. april. *Franciscus Litigatus* de Lendinaria ad primum & secundum locum conductus flor. XL. Eodem anno kalendis nov. secundus locus separatus est, & assignatus

M. An-

M. *Antonio de Montaneana* flor. XX. ex ipso *Litigati* salario detractis.

MDXXXVII. *Andreas Vesalius* Bruxellensis ad primum & secundum locum conductus flor. XL. qui aucti sunt ad LXX. anno MDXXXIX. præsertim ob summam secandi cadavera peritiam, quam pro scholæ penso sæpe ostenderat.

MDXLI. Universitas ad secundum Chirurgiæ locum elegit *Realdum Columbum* Cremonensem, qui anno superiore Sophisticam professus fuerat, sed Senatui probatus non est.

MDXLII. Auctum *Vesalio* stipendium est ad flor. CC. non tamen hoc anno secuit, quod se Basileam contulisset. In locum ejus suffectus est *Realdus Columbus*, cui propterea flor. XX. decreti sunt, & ex *Vesalii* stipendio numerati. Explicuit autem *Mundini* doctrinam *Pamphilius Montius*, cadaveris partes ostendit *Paullus de Crassis*.

MDXLIII. *Vesalius* in Gymnasium cum rediisset, Anatomen resumsit approbatione omnium & frequentia incredibili. Apparet ex Actis hujus anni Tom. I. p. 113. scholares supra quingentos assidue frequentasse scholam ejus. Sed anno post Basileam rediit, nec ita multo post inter Caroli V. aulicos receptus est, ut Medicinam faceret. Mortuus est anno MDLXIV. in Zacynthi finibus, cum ex Palæstina rediret. De illo ejusque operibus Pantaleon in Prosopographia P. III. p. 271. sed longe fusius Papadopolus T. I. p. 316. Ab Heumanno in *Conspectu reip. Litter.* c. 7. n. 10. Anatomicæ Artis princeps dicitur.

MDXLIV. IX. kal. nov. cum *Vesalius* abiisset, *Realdus Columbus* successit flor. LXX. Ceterum hoc ipso anno cum *Columbus* secaret, electi fuerunt ad explicationem Anatomicæ doctrinæ *Jo. Baptista Montanus*, ad ostensionem autem *Paullus de Crassis*.

MDXLVII. pridie id. dec. *Joannes Guiduccius* Urbinas conductus ad Chirurgiam & Anatomen flor. L. initio anni MDL. onus deposuit.

MDL.


MDL. mense decembri *Alexander Saregus* Veronensis Chirurgicum & Anatomicum munus suscepit, sustinuitque usque ad septembrem anni sequentis.

MDLI. IX. kal. oct. *Gabriel Fallopius* Mutinensis, ob summam totius rei Medicæ peritiam tota notus Italia, & extra Italiam, conductus est flor. CC. ad Simplicia, Chirurgiam, & Anatomen, quam administravit solus, quoties occasio tulit, summa cum laude, & Universitatis approbatione. Anno sequenti Romam missus est ad curandum Balduinum Pontificis fratrem, kalendis autem decembribus ad pensum revocatus. Postea, veteri more Anatomes exercendæ instaurato, electi sunt ad *Mundini* doctrinam prælegendam & interpretandam *Andreas Appellatus* secundarius Practicæ Professor, ad ostensionem autem *Victor Trincavella* primarius, dum interim *Fallopius* incideret: sed scholarium clamore cum exclusus *Trincavella* fuisset, ut rursus tota res ad *Fallopium* rediret, clausa schola est. Id contigit anno MDLIV. sed proximo per *Fallopium* restituta cum fenore Anatomica exercitatio est, edito Principis decreto, ut cadavera non ex hac modo urbe, sed ex cunctis Venetorum terris sumerentur; omnisque interim privata hujus generis schola Patavii cessaret. Anno MDLX. auctum illi stipendium est florenis LXX. Ut autem sub eo cadavera secaret, missus est Venetiis biennio post *Franciscus Lendinaria*, assignato stipendio florenorum XXXV. Sed non ultra annum meruit, cum ipse quoque *Fallopius* anno sequenti desiisset, immatura morte præreptus. De Anatomici hujus, non suo modo ævo sed etiam nostro clari, vita & operibus Tomasinus, Papadopolus, & alii; quibus adde epistolam inter Litterarias anni superioris Memorias mense octobri Venetiis editas.

Lendinariæ anno MDLXIV. suffectus est ab ipsa Universitate *Franciscus Borgarucius*, quem *Prosperum* Tomasinus vocat. Sed cum expectationi non satis respondisset, ab ipsis, qui elegerant, exclusus est. Anatomes autem locus in publica

ca ſchola anno toto vacavit. Nec tamen Anatomica defuit diſcere volentibus exercitatio, *Hieronymo Fabricio* ſecante atque oſtendente, ut conſtat ex Senatus decreto, quo ille conductus eſt anno proximo. Ipſa quoque Germanica natio privatam quamdam Anatomiæ ſcholam ſibi curavit per *Nicolaum Bucellam* Patavinum. Hic publice quoque ſecuit anno MDLXXIII. Sed poſtea in Poloniam migravit ad Medicinam faciendam Stephano Regi, in cujus aula mortuus eſt anno MDCX.

MDLXV. III. id. april. *Hieronymus Fabricius* ab Aquapendente conductus ad Chirurgiam flor. C. addito onere explicandæ opportuno tempore Anatomiæ. Anno MDLXXI. adjecti ſunt ſtipendio ejus floreni centeni, ſexennio autem poſt duceni. Anno MDLXXXIV. nonis febr. titulos mutavit. Decrevit enim Senatus, ut Anatomica ſchola, quæ ſuperioribus annis acceſſio quædam fuerat Chirurgiæ, in poſterum inter Ordinarias & principes haberetur; ita videlicet, ut *Fabricius*, & qui *Fabricio* ſuccederent, tota hyeme cadavera ſecarent, & Anatomicam doctrinam traderent; reliquis menſibus Chirurgicas acroaſes haberent. Hac de cauſſa auctum *Fabricio* ſtipendium eſt ad flor. DC. & addita jura omnia Profeſſoris Primarii ex claſſe Ordinariorum.



DE

DE ANATOME ET CHIRURGIA.

ANno MDLXXXIX. consociatis in scholam unam Anatome & Chirurgia, *Fabricii* stipendio, ob singularem hominis peritiam & industriam, additi sunt floreni CCL. totidem autem sexennio post. Anno MDXCVI. postridie id. sept. condito jam theatro Anatomico, quod stabile esset, decrevit Senatus, ut quilibet gratis ingredi posset, impensisque omnibus satisfieret ex ærario æstimatione argent. XXV. Antea enim structile erat, nec nisi scholaribus patebat, & quidem si solvissent libellas singuli trinas, vel paullo plus pro expensarum modo.

MDC. VIII. kal. oct. cum *Fabricius* annos docuisset XXXVI. jamque florenis mereret centenis supra mille, confirmata illi schola est scutis millenis per totam vitam; ita tamen, ut cum XL. stipendia fecisset, dimittere Chirurgiam posset, si vellet, tituloque gauderet *Supraordinarii*. Si quando autem Anatomiam quoque seu morbo, seu ætate dimittere cogeretur, honeste vacaret, servatis florenis quingenis, modo ne finibus Venetis exiret.

MDCIX. VIII. kal. sept. cum *Fabricius*, servata sibi Anatomica schola, Chirurgicum onus deposuisset, impositum est servo & alumno ejus *Julio Casserio* Placentino, assignato stipendio flor. CXX. Atque hic primus Chirurgus fuit ab Anatomico munere liber. Anno MDCXV. crevit stipendium ejus ad flor. CDXX. Sed anno post mortuus est. *Fabricius* autem obiit anno MDCXIX. XI. kal. jun. relicta ducentorum millium facultate pronepti suæ, quæ Delphino patritio Veneto nupsit, nec vixit ultra menses sex. Vide ejus opera apud Papadopolum T. I. p. 346.

MDCXVI. XI. kal. jan. *Adrianus Spigellius* Bruxellensis conductus est ad Anatomem & Chirurgiam florenis D. dinumeratis præterea centum quinquaginta ad itineris impensas.

Anno MDCXXII. pridie kal. jan. auctum est stipendium ejus ad florenos octingenos. Sed triennio post VI. id. april. vita decessit nondum senex. Elatus publice est, scholaribus quatuor atratis cadaver ferentibus. Adfuit Universitas tota, processitque ordine præter Gymnasii fores nigris velis opertas ad Eremitarum S. Augustini templum paratu funebri ornatum, præeuntibus servis publicis, & Bidello primo cum umbraculo, sequentibus Syndico, Consiliariis, scholaribus Artium omnibus, & Professoribus. Ipsi quoque Juris studiosi Transalpini ob nationis studium funus comitari voluerunt, non secus ac ceteri, funalia ferentes. Laudatus est eleganti oratione a *Tuillio* Humanitatis Græcæ Latinæque Professore, ibique sepultus, titulo addito magis prolixo, ut tunc ingenia erant, quam idoneo. Anatomicus fuit fama litterisque celebratus, & quædam scripsit, quæ refert Papadopolus in T. I. p. 352.

MDCXVIII. VI. id. mart. *Spigellio* collega datus est *Franciscus Plazzonus* Patavinus, qui secundum teneret locum flor. C. Anno autem MDCXX. XIII. kal. febr. dinumerati sunt illi argentei, quos ducatos vocant, CL. ob multas impensas ad Anatomicam exercitationem factas tum Patavii, tum Venetiis, ubi fuerat per mensem ad idem Anatomicum munus obeundum. Sed quadriennio post mortuus est, & ad Casinense S. Justinæ templum privato funere elatus, posita illi in Gymnasio epigraphe, quam refert Tomasinus p. 494.

Tot post Anatomes sublimia lumina primum
Plazzonum dedit his urbs Patavina scholis.

MDCXXV. postridie non. dec. *Pompejus Caimus*, primarius Medicinæ Theoricæ Ordinariæ Professor, electus est decreto Senatus ad Anatomicas exercitationes obeundas, assignatis hoc titulo florenis CC. iisque ad tempus, donec ejus opera Gymnasium hac in re uteretur.

MDCXXVI. non. jan. *Hieronymus Sabionus* ex Montesilice conductus ad tempus, &, ut sonant decreti verba, *per modum provisionis*, ad Anatomiam & Chirurgiam flor. CL. Non

tamen

tamen idcirco *Caimus* opus intermisit, sed *Sabiono* sectore usus est, ut scribit Tomasinus, usque ad annum MDCXXXI. quo mortuus est.

MDCXXXII. III. kal. jan. *Joannes Veslingius* Mindanus conductus ad artem utramque flor. CCC. attributis insuper CC. itineris gratia. Anno MDCXXXVIII. III. id. mart. detracta illi Chirurgia est; impositum tamen onus explicandi, & ostendendi Simplicia, auctumque stipendium ad flor. DCC. Anno MDCXLIV. IX. kal. nov. additi sunt salario ejus floreni duceni; & ne optimus senex sub onere deficeret, concessus est illi adjutor *Joannes Leonius* Atestinus discipulus ejus, assignatis ex ærario flor. L. Obiit anno MDCXLIX. & Adjutoris exemplum Gymnasio reliquit.

MDCXXXVI. III. id. jul. *Bonaventura Ferrarius* Utinensis conductus est florenis C. ad secundum Chirurgiæ & Anatomes locum recens institutum; sed biennio post abdicavit.

MDCXL. x. kal. sept. *Petrus Marchettus* Patavinus ad locum eumdem electus est, attributis florenis centenis quinquagenis; quibus additi sunt præterea centeni anno MDCXLVII. Biennio post concessit Senatus senectuti ejus Adjutorem eadem, qua *Veslingio*, conditione. Anno MDCLIX. crevit stipendium ejus ad flor. DCL. Triennio post Chirurgiam deseruit: attamen anno MDCLXV. auctum illi stipendium est ad flor. DCCC. Post annos duos datus est illi adjutor *Antonius* filius, qui, quoties opus esset, vicariam operam in exercitationibus Anatomicis præstaret. Anno MDCLXIX. x. kal. dec. *Petro* jam octuagenario concessa vacatio est, detractis flor. CCC. & suffecto in locum ejus filio, qui industriam suam Universitati per biennium probaverat, flor. CC.

MDCXLVII. x. kal. jul. accitus est ad Chirurgiam *Petrus Franzanus* Vicetinus, sed ad tempus, experiundi gratia, stipendio florenor. C. Anno sequenti, cum expectationi respondisset, conductus est ad sexennium, additis quinquagenis.

MDCXLIX. v. kal. jan. cum *Franzanus* ad primum Logicæ

gicæ locum migrasset, *Veslingius* autem ad plures, utrique successor datus est *Antonius Molinettus* Venetus flor. DCCC. cui triennio post adjutor ad secanda cadavera concessus est, attributis ex ærario florenis quinquagenis. Anno MDCLV. VII. id april. auctum illi stipendium est ad florenos centenos supra mille. Adjutori quoque curavit ut salarium geminaretur. Anno MDCLXI. VII. id. dec. detracta Chirurgia, impositum illi onus est longe gravissimum Medicinæ Theoricæ Ordinariæ ex prima sede tradendæ, auctumque stipendium ad flor. MCCCL. Anno MDCLXVII. XIV. kal. jan. additi sunt stipendio ejus floreni CCC. præter C. qui illi adjutoris nomine quotannis numerabantur. Illud quoque homini gratioso concessum, ut filii opera in exercitationibus Anatomicis uteretur, & hoc insuper titulo decreti sunt illi in annos singulos floreni quinquageni.

Anno MDCLXII. divisa prorsus est Chirurgica schola ab Anatomica, & bini utrique doctores assignati.



DE

DE PRIMO CHIRURGIÆ LOCO.

MDCLXII. poſtridie id. maj. *Dominicus Marchettus* Patavinus conductus ad Chirurgiam profitendam ex ſede prima, quam *Antonius Molinettus* deſeruerat, flor. CL. qui ſæpe aucti, anno demum MDCLXXX. crevere ad DCC. quo anno tranſiit ad primum Medicinæ Practicæ Extraordinariæ locum.


MDCLXXX. IV. kal. oct. *Franciſcus Boſellus* Venetus ex ſecundo loco evectus ſtipendio ſuo florenor. D.

MDCLXXXI. IV. kal. nov. mortuo *Boſello*, ſucceſſit *Carolus Patinus* Gallus, ex ſecundo Avicennæ loco translatus flor. DC.

MDCLXXXIII. III. kal. nov. cum *Patinus* tranſiſſet ad primum Medicinæ Practicæ Extraordinariæ locum, *Antonius Marchettus* ex ſecunda Anatomiæ ſede translatus eſt flor. D. qui iterum ac ſæpius aucti, anno MDCCXXIII. crevere ad CM. Septennio poſt ætatis vacationem obtinuit, cum docuiſſet annos LXII. ſervatis in reliquæ vitæ tempus flor. D. Sed eo ipſo anno XI. kal. nov. vivere deſiit, cum eſſet nonagenarius. Elegantiæ ille quidem in docendo non multum habuit, ſed ad medendi uſum peritiſſimus fuit, & ſuo quodam fabulandi genere ægrotantibus commodus. De illo Patinus in Lyceo p. *62*.

MDCCXXX. IX. kal. april. *Hieronymus Vandellus* Mutinenſis conductus flor. CD. Anno MDCCXXXVI. ſtipendio ejus additi ſunt flor. CC. impoſito inſuper onere exercitationis habendæ vulgari ſermone diebus vacantibus in Noſocomio. Biennio poſt conceſſum illi fuit, ut ſibi Adjutorem eligeret, qui cadavera ſecaret, attributis in ſingulos annos ex ærario ducatis L. quorum XX. ſectori darentur, reliqui Profeſſoris arbitrio operis adminiſtris diſtribuerentur. Anno MDCCXLII. auctum eſt ſtipendium ejus ad flor. DCCC. Ceterum cum ipſi quoque Anatomico injunctum eſſet munus cadavera ſecandi,

di, ac differendi de arte ſua in Noſocomio, orta controverſia eſt de cadaveribus utrique præbendis, de diebus, & horis, tum etiam de loco ipſo. Decrevit Magiſtratus, ut idem utrique locus communis eſſet, Anatomico quidem diebus ordinariis, Chirurgo diebus vacantibus; cadavera autem ita diſpertirentur, ut ex tribus priora duo ad Anatomicum pertinerent, tertium ad Chirurgum. Laudanda magnorum virorum ſine obtrectatione æmulatio, quippe optimi ad poſteritatem exempli. Anno MDCCXLIX. x. kal. mart. crevit ſtipendium ejus ad flor. M. quibus additi ſunt præterea duceni anno MDCCLV. III. id. ſept.



DE

DE SECUNDO CHIRURGIÆ LOCO.

MDCLXII. postridie id. maj. *Franciscus Bosellus* Venetus conductus est flor. CXX. qui aucti sunt ad D. anno MDCLXXX. quo ad primum Chirurgiæ locum migravit.

MDCLXXXI. non. mart. *Augustinus Pivatus* Acelinus conductus flor. CC. Sed eodem anno XVI. kal. nov. transiit ad secundum Practicæ Extraordinariæ locum dierum vacantium. Munus autem Chirurgicum recepit *Michael Angelus Molinettus* Venetus flor. CC. Verum hic quoque biennio post locum deseruit, ad Anatomiam translatus.

MDCLXXXIII. III. kal. nov. *Leal Lealius* Veronensis suffectus est flor. CC. Sed anno MDCLXXXVIII. XII. kal. aug. decrevit Senatus, ut schola hæc secunda, cum primum vacaret, clauderetur: quod contigit anno MDCXCII. *Leali* ad Simplicia traducto.



DE

DE PRIMO ANATOMES LOCO.

MDCLXXV. Cum obiisset *Antonius Molinettus*, qui ab anno MDCLXII. missa Chirurgia, Anatomen retinuerat, successor illi datus est xv. kal. jan. juvenis in primis disertus *Jacobus Pigbius* Veronensis flor. CCC. attributis insuper L. pro sectoris opera, quæ jam cœpit esse perpetua. Anno MDCLXXXI. duplicatum illi stipendium est, addita conditione, ut *Georgii a Turre* comes & adjutor doceret in Horto Medico. Biennio post immature obiit. De illo Patinus in Lyceo p. 71.


MDCLXXXIII. VII. id. oct. *Dominicus Marchettus* ex prima Medicinæ Practicæ Extraordinariæ schola translatus est florenis DCC. qui anno MDCLXXXVI. aucti sunt ad millenos. Sed post biennium mortuus est. Illum Papadopolus vocat in T. I. p. 378. *Chirurgum, Anatomicum, Physicum undequaque maximum, qui priscorum æquavit gloriam, & peritos harum artium sui temporis omnes virtute, industria, dexteritate, fama superavit.*

MDCLXXXIX. idib. jan. *Michael Angelus Molinettus* ex loco secundo traductus flor. D. ablata ipsi schola *de Pulsibus & Urinis*, adjectaque materia primario Medicinæ Practicæ Professori. Anno MDCCXIV. nonis dec. obtinuit florenos M. sed obiit quatriduo post. Vir fuit in aliis quoque litterarum generibus non mediocriter versatus, acer in judicando, & toto genere perurbanus. De illo Patinus in Lyceo p. 130. & Papadopolus in T. I. p. 370.

MDCCXV. VIII. id. oct. *Jo. Baptista Morgagnus* Foroliviensis, ex secunda Medicinæ Theoricæ Ordinariæ schola translatus, hanc regendam accepit florenis quingenis, qui iterum sæpiusque aucti, anno demum MDCCLVII. crevere ad bis millenos, insigni Venetæ munificentiæ exemplo, erga Humanitatis Professorem *Octavium Ferrarium* sæculo superiore adhibitæ, ad ingenia excitanda renovato. Obtinuit etiam an-

no

no MDCCXL, ad exercitationes Anatomicas in Nosocomio habendas argenteos quinquagenos, ex quibus triceni sectori sedulo *Nicolao Mediaviæ* solverentur, reliqui servis publicis ac ministris pro cujusque merito dispertirentur. Vir in universæ vitæ æquabilitate sine exemplo maximus, Anatomicum studium, in quo mirifice valet, docendo, observando, scribendo sine intermissione urget. Plura scripsit ob exquisitam doctrinam & Latinitatis peritiam communi judicio probata, ex quibus eminent *Epistolæ Anatomicæ*, & *Adversaria* non Italicis modo typis, sed etiam transalpinis edita.



DE SECUNDO ANATOMES LOCO.

MDCLXIX. Cum *Petrus Marchettus*, qui, feptem ante annis depofito Chirurgico onere, Anatomicum retinuerat, ætatis vacationem obtinuiffet, fuffectus eft x. kal. dec. *Antonius* filius, gratuita biennii opera Patri adhibita fatis probatus. Decreti funt illi floreni CC. qui bis aucti crevere ad quingenos anno MDCLXXXII. hoc autem ipfo anno traductus eft ad primum Chirurgiæ locum.

MDCLXXXIII. III. kal. nov. *Michael Angelus Molinettus* Venetus huc migravit ex fecunda Chirurgiæ fchola flor. CC. Anno poft additum illi onus eft difputandi in Nofocomio *de pulfibus & urinis*, decretique funt illi hoc nomine floreni totidem.

MDCLXXXIX. XVI. kal. nov. *Molinetto* ad locum primum evecto, fucceffit *Jacobus Vifcardus* Venetus flor. CD. ex fchola Simplicium traductus. Anno MDCCXII. ægrotante *Molinetto*, eodemque defuncto poft biennium, partes primarias naviter fuftinuit. Auctum iccirco illi ftipendium eft anno MDCCXVIII. ufque ad florenos DCCCC. Triennio poft honeftam miffionem obtinuit, detractis florenis quingenis, fervatoque Collegii jure. Obiit anno MDCCXXIV. XI. kal. dec. cum annos vixiffet LXXII. fcholæ affiduus, fed pofteritatis incuriofus.

MDCCXXII. III. non. dec. *Jo. Baptifta Vulpius* Bergomas, qui Anatomicis exercitationibus operam fuam ftrenue fecando navaverat, *Vifcardo* fucceffor datus eft flor. CCC. Sed triennio poft claufa fchola eft, condonatis *Vulpio* in reliquos vitæ annos centenis vicenis. Scripta ejus quædam, & laudatores memorat Papadopolus t. I. p. 176.

DE

DE HORTO MEDICO.

PRimus in hoc Gymnaſio, atque adeo in Italia, rerum naturam atque uſum, quæ ad Medicas compoſitiones adhibentur, publice explicuit *Franciſcus Bonafides* Patavinus anno MDXXXIII. Pars hæc ampliſſimæ diſciplinæ ſeparata ab aliis fuerat decreto Senatus, referentibus Nicolao Theupolo & Sebaſtiano Foſcareno, certæque aſſignata ſcholæ, cui titulum eſſe placuit *De Simplicibus*. Primum Italorum dico *Bonafidem*, qui de materia hac ex edito loco diſputaverit; ſiquidem ita eſt in ejus Epitaphio apud Scardeonium l. 2. claſ. 9. p. 224.

Materiem Medicam docuit qui Antenoris Urbem,
Quæ lecta in tota non fuit Auſonia.

Attamen diſſimulare non debeo, ipſum ſibi *Bonafidem* Epitaphium compoſuiſſe. Bononienſes enim pro certo habent, Lucam Ghinum Imolenſem, Gymnaſii ſui Profeſſorem, ab anno MDXXVII. Simplicium explicationem publice aggreſſum, Italiæ omni facem prætuliſſe. Ne illud quidem tacendum puto, ad initia ſtudii hujus aperienda, Dominicum Sennum Patavinum, qui obiit anno MDXXXI. *ab ineunte ætate*) ut Scardeonii verbis utar p. 219.) *re hac impenſiſſime delectatum, in herbario negotio ita profeciſſe, ut eo uno tunc in tota Italia nemo præſtantior haberetur, principatumque omnium judicio teneret*.

Anno MDXXXV. VII. id. ſept. Senatus intermitti juſſit ſcholam hanc; ſed menſe novembri eam rurſus reſtituit, eodem *Bonafide* per triennium conducto florenis centenis vicenis. Anno MDXXXIX. auctum illi ſtipendium eſt ad CL. triennio autem poſt ad CLXXX. eo vel maxime titulo, quod exoticas plantas non levibus impenſis undique ſibi curaret, ad ea, quæ traderet, facilius explicanda, nec auribus modo, ſed oculis etiam ingerenda. Hac ipſa de cauſſa anno MDXLIII.

adhibitis in consilium ceteris Magistris, suasor & auctor Magistratui fuit, ut artis hujus herbariæ, quæ frequentius Græco nomine Botanica dicitur, præcipua quædam cura susciperetur, quod in ea præsertim medendi ratio posita esset. Id usque adeo Universitati placuit, ut ipse quoque Artium Rector, binis litteris ad Magistratum datis, primum quidem studii hujus necessitatem ostenderit; deinde petierit, ut publica quædam pararetur apotheca, in quam collectis rebus omnibus, quæ peregre importantur ad medicamina componenda, herbis vero præsertim, studentium commodo consuleretur. Movebat etiam æmulatio, quod Ferrariæ Dux tale aliquid non ita pridem instituisset. Gymnasii Moderatores nihil temere in re nova eademque gravissima faciendum rati, auditis doctorum virorum opinionibus, de eo tandem consenserunt, ut Hortus Medicus salutaribus herbis colendis & conservandis conderetur. Itaque anno MDXLV. XVI. kal. sextil. Senatus consultum factum est, ut quando Hortus hujusmodi ad rem litterariam augendam pertineret, & hominum saluti profuturus esset, quamprimum ex pecunia Gymnastica fieret. Conductus est fundus in hunc usum altera parte irriguus, extructusque ex forma Andreæ Riccii architecti celeberrimi. Tum accitus Bononia est anno MDXLVI. *Aloysius Anguillaria*, qui pro sua artis Botanicæ peritia Horto parando operam navaret, paratumque custodiret. Huic porro constitutum salarium est, auctumque iterum ac sæpius pro modo & ratione meritorum. Alii quidam rei pulchritudine illecti operam suam & industriam gratis impenderunt, *Petrus de Noali* Medicus ejus ætatis non ignobilis, *Petrus Antonius Michaelius* Venetus, & *Aloysius Mundella* Brixianus, quem perperam Historici nostri ex fide Casparis Bauhini Horto præfecerunt. Nisi forte Bauhinus decepit, deceptus ipse quoque a Petro Bellonio, qui in libro *de neglecta stirpium cultura* Antuerpiæ edito anno MDLXXXIX. *Aloysium* Brixianum Epistolarum Botanicarum auctorem ab *Aloysio* nostro minime distin-

distinguit, hunc ipsum *Mundellam* vocans.

Jamque ventum erat ad annum MDXLIX. cum *Bonafides* senectute fractus docere in scholis desiit, vixitque emeritus usque ad annum MDLVIII. Multa scripsit, quæ recenset Papadopolus in T. I. p. 313. & Riccobonus l. 1. c. 15. Ejus loco accitus est *Gabriel Fallopius* Mutinensis, ut simplicia medicamenta in Gymnasio exponeret, Chirurgicam artem, & Anatomicam traderet, eodemque tempore ne Hortum Medicum negligeret. Hæc enim sunt ipsa decreti verba, quæ Historici nostri paullo plus significare putarunt, quam revera significent. Utcumque enim de *Fallopio*, de *Bonafide*, ac de aliis scribant, solus *Anguillaria* custos & Magister Horti fuit usque ad annum MDLXI. quo anno sponte abiit. Cujas fuerit, quove genere natus, ex Actis Gymnasticis non constat. Bellonius in libro, quem modo memoravi, & Conradus Gesnerus *de Hortis Italiæ* eum Romanum dicunt, scilicet ex vico Anguillaria prope lacum Sabatinum, unde sibi cognomen pro ejus ætatis more fecisse visus est. Sed Mazzucchellus in T. II. p. 791. Ferrariensem fuisse narrat, & Ferrariæ docuisse, antequam ad nos accederet. Italiam omnem ætate viridi, & multas Orientis regiones peragravit. In Creta cum esset, distillandi artem a perito quodam pharmacopola acquisivit: reversus autem in Italiam, herbarum notitiam hausit ex schola Lucæ Ghini Professoris Bononiensis, ut scribit Aldovrandus in præfatione T. I. *de Avibus*. Vir fuit operosus atque industrius; attamen aliquando in negligentiæ suspicionem incidit; eique propterea & retardata sunt æra, & additi anno MDLVII. exactores quatuor Patavini, qui curarent, ne quid Hortus detrimenti caperet, ut est in Actis T. I. p. 221. Calumniam repulit Universitas ipsa, datis ad Magistratum litteris. Credibile tamen est, hominem læsum vel ab eo tempore de fortuna mutanda cogitare cœpisse. Ferrariæ, quo hinc discedens migraverat, extinctus est anno MDLXX. mense octobri, cum theriacæ Venetæ componendæ ope-

operam daret. Extat Aloyſii Anguillariæ de Simplicibus liber cum notis Caſparis Bauhini Baſileæ MDXCIII. ex Italico Venetiis edito anno MDLXI. apud Valgriſium. Ejus munus XII. kal. oct. MDLXI. *Melchiori Guillandino* Boruſſo commiſſum eſt, qui cum videretur majus aliquid præſtare poſſe, quam ſimplicem herbarum curam & tutelam, triennio poſt juſſus eſt ad Hortum accedentibus eas oſtendere, juſtiſque explicationibus, ut nunc fit, oſtenſionem exornare. Ipſa decreti verba ſatis ſuperque declarant, ante *Guillandinum* fuiſſe neminem, qui in Horto rite doceret. Id porro tanta cum laude præſtitit, ut anno demum MDLXVII. Gymnaſii ſchola Simplicibus deſtinata, decreto Senatus ſublata fuerit tamquam ſupervacua, *Bernardino Triviſano*, qui anno MDLXIII. *Fallopio* ſucceſſerat, ad profitendam Medicinam Theoricam traducto. Anno MDLXXVIII. ad totius vitæ curſum *Guillandino* confirmatum diploma eſt, auctumque ſtipendium ad flor. DC. Obiit anno MDLXXXIX. libris ſuis Venetæ Reip. legatis; ſuffectuſque eſt in ejus locum *Jacobus Antonius Cortuſus* Patavinus decreto Senatus IV. id. nov. MDXC. Biennio poſt additus eſt *Cortuſo Joannes Hortelius* Tranſilvanus, qui infirmo ſeni ac deficienti opem ferret, hortumque curaret: ſed ipſo petente *Cortuſo*, III. id. febr. Senatus Conſultum, quod tribus ante menſibus factum fuerat, revocatum eſt. Obiit anno MDCIII. eique ſucceſſor datus eſt *Proſper Alpinus* Maroſticenſis, qui ab anno MDXCIV. Simplicium naturam atque uſum ex Dioſcoridis & Galeni doctrina in ſcholis aperiebat. Nec tamen priorem locum deſeruit; ſed idem æſtate herbas in Horto oſtendebat, reliquis autem anni ſcholaſtici temporibus earum vires & facultates ex Gymnaſii exedra explicabat. Quædam etiam ſcripſit, V. Papad. T. I. p. 346.

Mortuo *Alpino*, anno MDCXVI. Horti cuſtodia totumque Botanicum munus *Joanni Prevotio* commiſſum eſt, qui eodem tempore Medicinam Practicam extra ordinem in ſcholis tradebat. Devixit anno MDCXXXI. eique ſuffectus fuerat *Jo-*

annes

annes *Rhodius* Danus. Sed cum rationibus domeſticis impeditus adeſſe non potuiſſet, anno MDCXXXIII. & explicatio Simplicium in Gymnaſio, & Horti curatio atque oſtenſio delata eſt ad *Alpinum* juniorem, *Proſperi* filium, decreto ſane honorifico. Sed obiit quinquennio poſt, translata Horti præfectura anno ſequenti MDCXXXVIII. III. id. mart. una cum Gymnaſtica Simplicium ſchola ad Equit. *Joannem Veslingium*, ea conditione, ut, dimiſſa Chirurgia, Anatomen retineret, eamque Bacchanalibus de more adminiſtraret. De utroque Alpino Mazzucchellus in T. I. p. 518. & ſeq.

Anno MDCXLIX. *Veslingii* defuncti locum & munus utrumque occupavit *Georgius a Turre*, qui anno MDCLXVI. ad primam Medicinæ Practicæ Extraordinariæ ſedem aſcendit, dimiſſa Simplicium ſchola, non tamen Horti præfectura. Valde ſenex cum eſſet, anno MDCLXXXI. curavit, ut *Jacobus Pigbius* Veronenſis, qui primum Anatomes locum tenebat, comes ſibi in Botanica opera atque adjutor daretur; eoque biennio poſt extincto, poſtulavit & obtinuit *Felicem Vialem* Patavinum, qui in Gymnaſio Piſano ante docuerat. Ad extremum operoſus ſenex, cum primam Medicinæ Practicæ Ordinariæ ſcholam obtinuiſſet, Horti curam omnem *Viali* reliquit; qui anno MDCLXXXVII. Senatu jubente, in eam poſſeſſionem miſſus eſt. Retinuit uſque ad annum MDCCXIX. quo ætatis vacationem flagitavit, & obtinuit conditione pro tenuitate ſtipendii ſui non valde commoda. Relicti ſunt enim illi flor. CC. in ſingulos reliquæ vitæ annos, ex CCCL. quos toto ſpatio annorum XXXIII. obtinuerat. Anno MDCCXVII. adjutorem ſibi dari curaverat *Ludovicum Ripam* Venetum, qui anno poſt ad Meteora translatus eſt. Obiit XI. kal. febr. MDCCXXII.

Succeſſit in curam hanc *Julius Pontedera* Piſanus florenis ducenis, qui biennio poſt crevere extra ordinem ad CD. tum repetitis vicibus aucti, anno MDCCLII. VII. id. maj. pervenere ad quadringenos ſupra mille. Eo inſtante, ut fornices

&

& hypocausta substruerentur ad plantas exoticas rectius conservandas, anno MDCCXL. indulsit Magistratus in rem hanc ex Gymnastica pecunia argenteos sexcentos, præter CL. qui ad totius Horti cultum quotannis impendi solent. Eidem anno post, mandantibus Triumviris, dati sunt argentei CCC. quibus scribendæ Horti Medici historiæ materia pararetur. Edidit Compendium tabularum Botanicarum, Anthologiam, Nova Botanica, & Botanicas Dissertationes XI. Notas & Emendationes in Auctores rei rusticæ, Antiquitatum Romanarum Græcarumque Enarrationes, & Epistolas aliquot eruditas. Ter præmium tulit in Academia Parisiensi Humaniorum Litterarum & Inscriptionum: primum anno MDCCXXXIX. cum quæreretur, quo anni tempore Romani Consules Magistratum inirent; alterum anno MDCCLV. cum de vetusta Romanorum religione quæreretur, Græca ne esset, an gentis propria; tertium anno MDCCLVI. cum quæreretur, quinam esset civilis Græciæ Europeæ status & gubernatio, ab Alexandri Macedonis morte ad Romanæ dominationis tempora. Ex quibus omnibus apparet, quam multa sibi litterarum præsidia ad artem Botanicam splendide profitendam comparaverit.

Dum pagina hæc sub prælo esset, vir immortalitate dignus sub ipsum senectutis exordium fato cessit III. non. sept. MDCCLVII. Interim autem, dum Professor quæritur in re hac exercitatus, Horti cura & custodia per litteras Triumvirales *Petro Arduino* Veronensi commissa est, cujus ministerio ipse quoque utebatur Pontadera; fidemque & industriam, quoties occasio ferret, laudare solebat.

DE SCHOLA SIMPLICIUM.

Simplicium ſcholam *Franciſcus Bonafides*, quo auctore inſtituta eſt, ut in cap. *de Horto* diximus, anno MDXXXIII. dedicavit, tenuitque per annos fere XV. Hunc excepit *Gabriel Fallopius* Mutinenſis anno MDLI. qui pro ſingulari quadam magnitudine ingenii ac doctrinæ ipſam quoque Chirurgiam, & Anatomen adminiſtravit.

Fallopio e vivis ſublato poſt annos duodecim, *Bernardinus Triviſanus* Patavinus Simplicium ſcholam occupavit uſque ad annum MDLXVII. Sed cum hic ad altiora Medicinæ ſubſellia evectus fuiſſet, tamdiu locus vacavit, donec inventus eſt, qui eum tenere cum dignitate poſſet. Is fuit *Proſper Alpinus* Maroſticenſis, qui III. kal. maj. MDXCIV. in vacuam provinciam Melphia evocatus, Dioſcoridem explicare aggreſſus eſt & Galenum de Simplicium facultatibus: quod ſumma cum laude præſtitit ad obitum uſque. Extincti locum occupavit Jacobus Zabarella anno MDCXVIII. qui peſte obiit anno MDCXXX. eique ſucceſſor datus eſt anno poſt *Joannes Rhodius* Danus, Patavinis notus ab ipſa adoleſcentia in hoc Gymnaſio laudabiliter acta. Verum cum *Rhodius* excuſatione uſus eſſet, anno MDCXXXIII. ſuffectus eſt *Alpinus Alpini* filius, qui tabe quinquennio poſt enectus locum reliquit Equiti *Joanni Veslingio* Mindano. Sed hic quoque cito interiit, recte functus non Botanico ſolum, ſed etiam Anatomico munere. Succeſſit *Georgius a Turre* Patavinus anno MDCXLIX. idem & in Gymnaſio Simplicia explicaturus, & in Horto oſtenſurus. Inde altius evectus cum fuiſſet, anno MDCLXVI. Simplicium Exedram, ſervata Horti Præfectura, deſeruit, quæ ſtatim *Hilario Spinello* Patavino commiſſa eſt. *Spinellus* quoque eam reliquit anno MDCLXXXIV. ut ad ſecundam Practicæ Extraordinariæ ſedem tranſiret. Obtulit ſe *Jacobus Viſcardus* Venetus, qui ingenii ſui ſpecimen in Logica dederat; tan-

diuque in provincia mansit, donec aditus illi ad secundum Anatomes locum est patefactus. Siluere Simplicia per triennium, donec anno MDCXCII. scholam hanc rursus aperuit *Leal Lealis* Veronensis. Hic quoque locum nobiliorem cum appeteret, compos factus est anno MDCCIII. Ad Simplicia autem explicanda accitus est *Alexander Knips Macoppe* Coloniensis, qui anno MDCCXVI. ad Theoricam Medicinam translatus, locum reliquit *Jo. Mariæ de Rubeis* Patavino. Postremus hic Simplicium doctrinam e suggesto tradidit usque ad annum MDCCXXXVIII. quo, sublata schola hac, seu potius in aliam mutata, ut mox dicam, concessi sunt illi ex Principis liberalitate in annos singulos, quamdiu vixerit, flor. CC. servatis insuper viro egregie merito immunitatibus & honoribus, quibus antea fruebatur.

Anno MDCCXXXIV. ineunte, cum *Antonius Vallisnerius*, Equitis Antonii Professoris filius, magnam quamdam rerum naturalium copiam, patris cura & impensis comparatam, Universitati Patavinæ dono dedisset, in Gymnasii ædibus hujus rei gratia Museum construi Senatus jussit, eique custodiendo præfecit *Vallisnerium* ipsum stipendio flor. CCC. addita conditione, ut diebus vacantibus de rebus istis, & aliis, quæ in Medica arte simplicia dicuntur, publice dissereret. Hac ratione Simplicium schola quodammodo renovata est, & majore quodam in lumine posita. Probata Principi novi Professoris doctrina & industria, crevit stipendium ejus anno MDCCLVII. ad florenos DCCL. eo vel maxime quod onera sponte sumpsit non solum parandi sibi Adjutorem, & Musei ære suo conservandi, sed etiam operæ navandæ, ubi opus sit, Experimentorum scholæ. Ipsum quoque Museum Professoris opera & Senatus munificentia valde auctum est & ornatum, rebus singulis in suas classes tributis, ordine dispositis, sciteque collocatis.

CATA-

CATALOGUS RERUM,

QUÆ IN GYMNASII MUSEO SERVANTUR.

Ex Professoris Autographo.

ANte omnia se se offert rerum series, quæ corpora diluviana vulgo dicuntur. Classis ista vel respicit in universum corpora hæc in mari ut plurimum nata, vel diversa eorumdem phænomena, quæ illis inde occurrerunt, quæque nunc supra montes nostros vel impressa in saxis, ut folia, cum adhuc mollis esset eorumdem superficies; vel intus contenta & quasi collisa, ut pisces; vel crusta obducta, ut lithophyta, vel in totum petrefacta, ut animalium ossa, coralla, ostrea, & innumera alia, quæ ortum suum primarium, & discrimina quæque sua etiam in marmore perspicue ostentant.

Tota hæc series exhibet pisces plurimorum generum in thecis centum & amplius valde elegantibus repositos, eosque miræ pulcritudinis ob formam naturalem in lapide optime expressam atque conservatam. Inter notos sunt aurata, sturio, scomber, sarda, sudis a Salviano descriptus, squatina, vulgo raja, hirundo, gobius, acus, amia, piscis S. Petri seu faber, gladius, perca Plinii, piscis passer, rhombus major & minor, sargus, mormyra, scorpius, aliique etiam piscatoribus ignoti.

Folia plantarum magno numero, in quibus præter ea, quæ decem Tabulis a Scheuzero expressa sunt, cernuntur multa originis ignotæ.

Ingentem numerum corallorum, tabulariarum cujuslibet speciei atque figuræ, reteporarum, corallinarum Raii, fungitidum, spongiarum, asteriarum, alcyoniorum, &c.

Ligna plurima petrefacta ingentis magnitudinis, concretiones tum maris, tum specuum, aliasque lapideas obdurationes, coagmentationes, crustata; quibus subjacet, ut verbis Rumfii utar, thesaurus imaginum piscium testaceorum, quales sunt cancri, echini, echinometra, stellæ marinæ &c. ut & cochlearum, inter quas numerantur lunares, trochi, valvatæ, cassides tuberosæ, verrucosæ, & leves, & globosæ murices, buccina, strombi, volutæ, alatæ, porcelanæ majores, & minores, cylindri &c. præterea nautilus, cornu Ammonis, conchæ univalviæ & bivalviæ, quarum species sunt solenes univalvii, chamæ asperæ, læves, pectines, pectunculi, tellinæ, musculi, pinnæ, ostrea maxima, quæ una cum dentibus, ossibus, aliisque partibus animalium tum terrestrium tum marinorum lapidefactis conficiunt bismille corporum, quæ suo ordine singula distributa sunt.

Consequuntur aliæ series: nempe metalla, seu lapides minerales continentes prima rudimenta, figuras primigenias, ac vegetationem quorumdam metallorum, nempe auri, argenti, ferri, cupri, tum marchesitæ ex insu-

Eee 2 la

la Ilvæ, lapides pyrites, hæmatites, aetites, smyrides, magnetes armati ac rudes, in quibus singulares aliqui dignique descriptione. His adde cuprum nativum foliaceum capillare Hungariæ, cuprum precipitatum sine basi ex aquis vitriolicis Hungariæ, ferrum conversum in cuprum, de quo Varenius.

Non desunt succi concreti a Mercato appellati acres & pingues. In hoc pluteo extant omnia ab hoc auctore numerata Tabulis 4. ac 5. veluti plura succina, sulphura diversorum colorum, alumina, petrelæon, chalcanthum, ambra grysea vocata, carbones fossiles. Proximi sunt sales cum fossiles, tum marini, & alia plura, quæ ad eorum genesim, & analysim pertinent. Huic seriei adhærent lapides speculares, quos inter frusta non pauca lapidis Bononiensis, phosphorique ex ipso præparati, gypsa, talchi, amianti cum filis & charta inde confecta. Copulantur crystalla & gemmæ, paucæ ille quidem non sine ipsarum matricibus, sed quibus non deest adamas, hyacinthus, amethystus, rubinus, granatus &c. Inter crystalla vero insignia sunt quædam vel magnitudine, vel varietate corporum extraneorum, quæ intercepta ab initio intra fluidam crystalli materiam obduruerunt. Connectuntur pulcherrimæ quædam concretiones gemmæ colore vivido & constanti figura præditæ; præterea frusta quædam durissimorum lapidum, per quos fit transitus ad achates, & iaspides tum Italiæ, tum Siciliæ, quorum Joseph Bonanus Catholicæ Princeps seriem integram dono misit. Proxime sequuntur marmora vetera ac recentia, quæ dispofita sunt in marmora stalactitia, seu guttas, diluviana, ac vera marmora ex fodinis. Insignia sunt frusta eorumdem marmorum, in quibus crystalla & pyrites contenti & immixti cernuntur rhomboidali figura constantes. Hinc gradus fit ad saxa fluviorum, torrentum, maris, in quibus plerumque observandum occurrit corpus intra corpus, seu solidum intra solidum, qui titulus est Stenonis libri. Et quoniam lapides ex arenis & terris componuntur, ita his adnectuntur arenæ cum saxis arenariis, tum terræ singulæ juxta proprium atque intimum characterem, scilicet in calcarias sive alkalinas, gypseas, cretaceas seu figulinas, vitrescentes: ex his terræ Melitenses, boli Armeniæ, Samiæ; terræ pictoriæ, metallicæ, montanæ, marinæ, conchaceæ, vegetabiles, de quibus Reaumurius in Actis Parisiensibus.

Seorsum in peculiari armario extant lapides ita dicti bezoarici animalibus innati, intra quos plerumque instar nucleorum spectantur in centro clavi, fibulæ ferreæ, acus crinales, ossa &c. Præterea splen osseum, & cerebrum bovis corneum, de quo Vallisnerius pater libello singulari. In parte autem inferiori ejusdem armarii est fetus humanus monstrosus, vitulus, & agnus biceps, ossea forma, vulgo mummia, & tota series monstrorum cum vermibus humanis, & fetibus parvulis.

Sequuntur animalia terrestria, eorumque membra quædam singularia, ut dens molaris elephanti, dentes engalæ, capita & calvaria tigrium, leonum, cervorum terrestrium ac marinorum, cornu ibicis, bovis silvestris, rhinocerotis, aliorumque.

Porro

Porro occurrunt aves intra phialas, vel fornices vitreos optime servatæ ex America, atque India, ut avis Paradisi, avis Cardinalitia Zeilami, melivoræ Brasilienses una cum nidis a Redio descriptis. Item insecta, scorpius Africanus, tarantulæ Siculæ, & Americanæ, cantharides Ægyptiæ, scarabei Indici, lacertæ volantes. Infra vero cernuntur rostra avium, ut loreni caput osseo cucullo munitum loco cristæ, caput aliud cum rostro dentato eburneo simili, quod apud Margravium venit nomine *Arcari*: nec desunt ungues avium rapacium; nec compages ossea struthiocameli.

Serpentes magno numero eadem diligentia servati: Caudisonus Indiæ dictus cum cauda in vase vitreo, alter Brasiliensis *Boiguacu* Pisonis, Viperæ ammodytes & cornutæ, mater formicarum Clusii, aspidum plures species sub nomine *Acontias*, serpens Æsculapii, basiliscus fictus ex squatina pisce, lacertæ multorum generum, crocodilus ingens, aliusque minor, chalcidica Indica, chamæleontes duodecim ex Africa atque Asia, salamandra Ægyptia &c. Nuper additus est crocodilus Americanus rostro brevi, lacertus Surinamensis peregrinus Clusii, armadilus, sive echinus Brasiliensis Jonstoni, finci Ægyptiaci &c.

Pisces ac monstra marina; vertebræ duæ cum scapulis, costis, mandibula, & aure ceti, caput lamiarum, carcarearum, aliorumque piscium incolarum Siculi maris: canis marinus, canicula Aristotelis, rana piscatrix, pastinaca marina cum caudis ac stylo, delphinus, muræna, galeus levis, torpedo, lepus, molla peregrina, costæ quatuor ac manus piscis sirenis cum rostro piscis serræ, & gladii. Minores alii pisces servantur in phialis vitreis, ut piscis volans, remora, boos, aculeatus. Inter testudines autem aquaticas & terrestres extat una ex India ab auctoribus habita pro rarissima cum squamis loricatis.

Cochleæ ex aquis dulcibus, vel salsis ex India, ex Brasilia, aliisque maribus, colore ac structura mirandæ, juxta ordinem Tournefortii a Gualterio in libro de Cochleis edito dispositæ, ac distributæ in testacea monotoma, dichotoma, polytoma. In prima classe sunt lepades seu patellæ Rondeletii, murices alati, sulcati, hamati; buccina, purpuræ, turbines, nerites, aures maris, conchæ venereæ, vulgo *porcellane*, nautili cum tubulis marinis &c. In 2. conchæ imbricatæ, marmoreæ, ostrea, mituli, pinnæ Reaumurii gemmis scatentes albis rubeisque pro natura humoris, ex quo crusta cochleæ generatur; pectinites, pectunculi, cammæ, solenes Rondeletii. In 3. demum series copiosa balanorum echinorumque juxta ordinem ab erudito Cklein editum.

Tandem plantæ marinæ, juxta Marsilium in tres classes dividuntur, molles nempe, lapideas, lithophyta. In prima continentur frondeæ cum muscis & algis marinis, e. g. Isides, palma Neptuni, pluma marina, series spongiarum, in quibus una magnitudinis inclytæ in suos ramos divisa, altera colore candido cum aliis mollibus vitro tectis. In 2. coralla multorum generum, coralloides, tubulariæ, reteporæ, astroites, porri cervini, cariophylla, alcyonia. In 3. sunt lithophyta, ac pseudocoralla, quæ cum lithophytis terrestribus servantur, unde causa phænomeni oculis ipsis subjiciatur.

Series

Series quædam fructuum exoticorum non contemnenda: continet cedros Libani, coccos Maldivarum, nuces quasdam molis ingentis, semina plurima, flores tamquam recentes optime servatos, tum molles, tum siccos, ut leucanthemum ex Insula Goa, aloe, ananas &c. Præterea ligna quædam medica, radices, resinas, balsama naturalia. His placuit addere fungos ligneos & arboreos, Melitenses, aliosque; petram fungiferam, nostris lapidem *Phrygium* fungos ferentem. Ex his fungis quidam ambigui sunt, incertumque, utrum ad plantas referri debeant, an ad lusus naturæ. Itaque prope collocare visum est veros ac legitimos lusus naturæ ex genere vegetantium, caput hirci, plantam quandam Sinensem, folia quædam palmæ dactyliferæ vel monstrosa, vel nondum explicata, ligna, & radices formam humanam piscium & avium referentes.

Est & alia series lusuum mineralium, ubi lapides dendrites hujusce regionis, quo cum Hetruscis comparari possint. Accedunt ad extremum incrustationes foliorum, fructuum, lignorum, arbustorum, tabularum Aponensium, quas vel naturæ quasi lusus, vel aquæ vi lapidea præditæ, vel ipsa stillicidia aquarum pluvialium formant in figuram membrorum humanorum, fructuum &c. quæ manifesto recentes sunt, simulque ostendunt, hæc, ut de diluvianis conjicere licet, fieri perpetuo in natura tamquam phænomena ex mutationibus usitatis inusitatisque hujusce Globi nostri.

Prætereunda non sunt monumenta antiquitatis: Idola, vota, sigilla, claves sepulcrales, fibulæ, lucernæ ex marmore, ære, argilla, tintinnabula, vasa lacrymalia, pateræ, quamplurima vasa Hetrusca picturæ insignis, lancea, & instrumentum quoddam militare a Mabillonio descriptum, papyrus quædam Ægyptia Aquilejæ desossa, de qua Scipio Maffejus. Præterea simulacra quædam Sacerdotum, Philosophorum, Gladiatorum, servorum venalium, Vestalium, quarum una veste admiranda, tum deorum Mercurii, Jovis, Salutis, Palladis, Fortunæ, Priapi, Bacchi, Termini &c. Inter hæc insignis est statua symbolica solis Ægyptia, quæ prius erat in Museo Marci Mantuæ Benavidii, cujus imaginem ac notitiam vulgavit Hieronymus Aleander junior anno *1616*. Isides æneæ, ac marmoreæ cum Sacerdote Ægyptio, simulacrum Nili cum crocodilis, truncus humanus ex marmore Pario &c. Inter capita plura ex marmore eximium est caput M. Bruti ex laudato museo Mantuano. Accedunt nonnulla opera anaglyptica, & recentes imagines clarorum virorum, quæ frontem pluteorum ornant.

In miscellaneis denique conspiciuntur Sinica multa. E. g. scyphi, Idola, pileolus sacerdotalis ex crinibus equinis affabre confectus, liber typis impressus, tum magnum quoddam vas Turcicum varie pictum, vas aliud ex osse ceti simile pileo veterum, lecti Indici, oculus artefactus, speculum ustorium, coronæ cum granis ex costis Sirenum, vel dentibus aliorum piscium, &c.

DE


DE SCHOLA EXPERIMENTORUM.

PHilosophia, quæ experimentis constat, & vulgo Experimentalis dicitur, inducta in Gymnasium est decreto Senatus sub initium anni MDCCXXXIX. ejusque tradendæ curam *Joannes Polenus* suscepit, primarius Matheseos Professor. Hoc nomine decreti sunt illi floreni CC. supra millenos, quos jam obtinuerat. Id vero ut præstare commodius posset, translatum est docendi onus a diebus Ordinariis ad vacantes, qui Extraordinarii dicuntur, duplici penso ita diviso, ut dies hebdomadæ postremus, h. e. Dominicus, daretur Experimentis, reliqui Mathematicis exercitationibus relinquerentur. Accessit tamquam adjutor & minister *Josephus Bartholus* Patavinus, quem ipse sibi Professor delegit, decreto ad hanc operam salario ex ære Gymnastico argenteorum L. Ipse quoque *Antonius Vallisnerius*, Simplicium scholæ præfectus, opem & auxilium honoris caussa obtulit; doctique viri ex ordine quovis institutum probarunt, parati ad opitulandum quacumque ratione possent. Itaque mense julio decrevit Magistratus, ut novæ Bibliothecæ atrium ad Experimentorum usum pararetur, sedibus & tabulis ita dispositis, ut theatri formam referret. Sed *Bartholus* anno MDCCXLI. veniam obtinuit redeundi ad ea studia, ad quæ suopte ingenio ferebatur, idest ad politiores Humanitatis litteras, quibus profitendis non multo post Taurinum accitus est. Interim concessa *Poleno* Triumvirali rescripto facultas est sufficiendi alium conditione pari, quem maxime idoneum judicaret, remisso etiam per litteras alias mense novembri datas confirmandi jure, ut esset pœnitentiæ locus. Suffecit autem *Vitalianum Donatum* Patavinum, virum navum, & ad hoc studiorum genus non tempore, aut officio, sed natura ipsa & ratione ductum. Verum hic ipse anno MDCCL. ad Simplicium scholam regendam in Taurinensi Academia invitatus cum fuisset, ejus lo-

cum

cum occupavit *Jo. Antonius dalla Bella*, præclara juvenis indole præditus, & bonis artibus ornatus.

Deerant Machinæ, præter paucas, quas ipſe ſibi antea *Polenus* curaverat ſtudiorum ſuorum gratia. Itaque ſtatim hujus quoque rei cura ſuſcepta eſt, aſſignata liberaliter a Triumviris pecunia, quoties occaſio tulit, & rerum explicandarum neceſſitas poſtulavit. Jamque hoc tempore ita numero crevere, ut publicum pro dignitate locum occupare illas poſſe viſum ſit. Novas igitur in Gymnaſio ædes Magiſtratus parari mandavit, ſcholæ ipſi conjunctas, eoque Machinas transferri, apteque locari. Toti negotio operam ſuam præſtitit idem Polenus ſumma & fide & induſtria, ipſi propria.



CATA.

CATALOGUS MACHINARUM,

QUÆ PHILOSOPHICIS EXPERIMENTIS INSERVIUNT.

Ex Professoris autographo.

De Proprietatibus cuicumque Corpori convenientibus.

Æolipyla sphærica ærea, cui subjecta est lucerna.
Pilæ plumbeæ sphæricæ grandiores, sed vacuæ, & oblongis tubulis instructæ.
Malleus duorum capitum æqualium, & lapis quadratus, ad contundendas dictas pilas.
Pes ex orichalco, constans ex tribus stantibus, patella, & aliis partibus.

De Poris Corporum.

INstrumentum recens inventum: compositum est ex capsulis quatuor metallicis cancellatis, ligneo instrumento insertis, per quod discurrere queunt.
Machinula ex tripode, cui imponuntur duo circuli ferrei; & duæ patellæ perforatæ plurimis forulis, altera ex ferro, ex auro altera, per quas percolatur hydrargyrum.
Duo atramentorum genera, quæ sympatica dicuntur.

De Attractione.

PYxis nautica Anglica cum suis dioptris.
Magnetes tres, armati laminis chalybeis, quæ ope quarundam zonarum ex orichalco cum magnetibus arcte conjunguntur.
Pyxis magnetica octangula, cujus acus longa est pollices sex.
Specula duo plana æqualia disjuncta: duo item lamellis, & juncturarum nodis metallicis conjuncta. Et alia duo similia, nec non capsula ferrea, in quam ex parte hæc duo specula immerguntur.
Mensula lignea, cui inserviunt sex pilæ varii ponderis, duæ trochleæ, & sex cunei: quæ omnes partes inservientes sunt ex orichalco.
Acus duo magnetici. Et parvus cylindrus ligneus.
Canaliculus ligneus ita constructus, ut repleri possit hydrargyro, & in id possint duo specula immergi.
Unci plures, & plures anuli ex orichalco. Et plures pilæ plumbeæ variarum magnitudinum.
Pilæ quædam aliæ varii generis. Et duo fulcra, quibus additæ partes quædam ex orichalco.

Machina tribus pedibus constans, capsula, cochlea, tribusque planis speculis.

Fasciculus magneticus, quem lamellæ undecim ex chalybe componunt: ad cujus extremitatem adponuntur exigua ferramenta, quæ tanquam a magnete sustinentur.

De Gravitate.

SEptem vitrei magni cylindri, quorum quilibet super quemlibet alium potest aptari: juncti simul cum machina pneumatica sunt adhibendi.

Machina quædam basis quadratæ, duabus veluti erectis parastatis instructæ. Et tres anuli ferrei cum suis brachiis, quæ in parastatas inseruntur. Ita superius commemorati cylindri vitrei detinentur in apta positione.

Quatuor Machinæ, quarum unaquæque operire potest supremum ex adhibitis cylindris prædictis. Unaquæque manubrium habet externum, quo moveri queant partes internæ, etiam quando aer ex cylindris extractus est. Earundem autem artificia interna omnia differunt inter se. Unum constat quadam veluti forcipe elastica, quæ relaxatur, ubi instituitur illud experimentum, in quo pluma & plumbum eodem puncto temporis dimitti debent. Aliud constat ex duabus forcipibus, quibus illud experimentum bis successive potest institui. Aliud eum præstat usum, ut quater experimentum fieri queat. Demum aliud ita est comparatum, ut idem experimentum sexies perfici possit.

Tubi duo vitrei aeris expertes, hermetice clausi. In unoquoque eorum pluma inest, & plumbi sphærula.

Tubus alter, ut superiores illi, factus & instructus; sed aere plenus.

Machina lignea grandis compacta cochleis ferreis; quibus conjunctæ sunt rotæ duæ ad motus circulares producendos. Accommodata artificio quodam, ad geminum usum: nempe in horizontali positione, & in verticali.

Tria vasa rotunda, quibus singulis adhærent manubria ferrea quadrata instructa suis cochleis; & ita junguntur superiori machinæ. Primi fundus ex orichalco est, operculum ex crystallo rotundo: secundi fundus ex lamina; & huic adhæret vas vitreum cylindricum oblongum: tertii fundus item ex orichalco, cui adhæret vitreum vas cylindricum latum.

Vasa duo cylindrica ferrea: & vasa duo cylindrica ex buxo, quibus duo solidi minores cylindri buxei immittuntur. Vas ex orichalco super basi marmorea, & pila item ex orichalco concava.

Duæ fistulæ curvæ, in quibus divisiones per pollices visuntur. Libella vitrea.

De Centro Gravitatis.

STatua lignea, qua ostenditur consistentia centri gravitatis.

Anulus ligneus, & duo cylindri lignei ad explicandam positionem centri gravitatis.

Plana

Plana duo inflexa, quæ per duas cochleas varie inclinari possunt, cum duplici cono & cylindro.

Rota ita elaborata, ut sua ipsa gravitate tollatur, & deprimatur.

Duo fulcra cum undecim tabellis parallelepipedis. Pertinent ad cognitionem centri gravitatis.

Cubus unus, & alius levior; parallelepipedum, octogonum, quæ ponuntur super planum inclinatum. Pertinent ad proprietates centri gravitatis.

Ferrum longum cavum, & alterum ex parte rectum, & ex parte curvum, quod parte sua recta in illud immittitur. Abaculus ligneus.

De Viribus conjunctim agentibus.

INstrumentum eo constans artificio, quo fit, ut corpus a duabus potentiis in partes diversas tendentibus motum, sequatur parallelogrammi diagonalem.

Instrumentum alio artificio constans, sed præstans effectum eundem, ac instrumentum superius.

De Machinis Simplicibus.

CAndelabra duo (ut vocant) seu Columnæ, quarum capitibus vectes imponuntur. Et sex vectes lignei variarum magnitudinum.

Vectis ligneus ita compositus, ut produci, & contrahi possit.

Trochleæ sex orichalco munitæ cum suis lamellis ex eodem metallo, ad appendenda pondera.

Quatuor machinæ, singulæ constantes ex duabus capsulis ferreis. In unaquaque autem capsula ternæ trochleæ ex orichalco sunt locatæ. At in singulis machinis trochlearum dispositiones diversæ sunt.

Trochleæ XXIV. ex orichalco magnitudinis variæ, pyxidibus ex chalybe inclusæ, quæ funiculo uno moventur, vimque pro numero augent.

Axis in peritrochio, sex cylindris, & multis veluti basibus constans.

Machina ad ostendendas plani inclinati proprietates. Et cylindrus plumbeus cum duabus rotis ex orichalco, axiculo, & tribus cuneis.

Machina ad cunei experimenta pertinens.

Cochlea mas cum conveniente sua cochlea femina: & hæc dividi potest in partes duas. Et lamina ferrea explicandis cochleæ proprietatibus inserviens.

De Machinis Compositis.

VEctes duo compositi: hoc est, duæ machinæ, singulæ constantes ex pluribus vectibus. Stylobates cum brachio mobili, & aliis partibus, inserviens vectibus compositis.

Vectis, qui ad quadruplicem magnitudinem reducitur. Duplicem habet basim, & quatuor adjunguntur hastæ cum suis trochleis. Vectis & hastæ stant ad perpendiculum.

Machina constans ex vecte recurvo, ex lamina triangulari orichalcica, ex tribus rotis in capsula ferrea, ex lamina lignea, & ex columna.

Vectis ex orichalco cum duobus brachiis, qui gnomonem format: & etiam quasdam alias habet partes.

Planum ligneum cum trochlea, & duobus vectibus, recto uno, altero curvo, & triangulo Pythagorico: hæque omnes partes sunt ex orichalco.

Trochlea ex orichalco, cujus axis mobilis est: cum suo fulcro, quo sustinentur parvæ rotæ, & quædam aliæ partes, item ex orichalco.

Trochlea, quæ quovis situ collocari potest, cum ferro, pede ligneo, & aliis partibus. Et suppes ex basi lignea compositus, & aliis partibus metallicis.

Tympanum cum peritrochio dentato, & rota item dentata.

Axis ex orichalco in peritrochio instructus cuneolo.

Duæ ergatæ exiguæ ad ostendendum, quomodo ergata reducatur ad axem in peritrochio.

Sucula, vulgo *manganello*, cum suis vectibus ex orichalco.

Cochlea Archimedis ex earum genere, quæ ad aquam tollendam adhibentur: tubus ejus crystallinus est. Alia Archimedis cochlea sine tubo. Nonnullæ pilæ parvæ.

Machina ferrea composita ex simplicibus machinis ad movendum magnum pondus.

Machina composita ex vecte ferreo, cochlea, rota, peritrochio, & axe alterius rotæ.

Machina ad usum potentiæ moventis (quam machinam Galli dicunt *Le vierè de la Garausse*) instructa duplici vecte, duplicique pessulo, & tympano dentato, & suis fulcris.

Machina a Gallis *Grus* appellata, ex variis partibus composita, ad elevanda, & volvenda in gyrum pondera.

Ingens tripes, cui additæ sunt sucula, & trochleæ octo in duabus capsulis.

Machina stylobatæ imposita, cum hasta, & lamina chalybea elastica, & arcu ex orichalco.

Abacus quatuor columnis innixus, cui impositum est quadratum perforatum, & quatuor cochleis abaco conjunctum. Et septem trochleæ cuilibet positioni verticali aptæ.

Machina composita ex columna lignea, quæ firmatur ope cochleæ, ferrum parallelepipedum super axiculo, per quod movetur cylindrus ex orichalco cum rotula. Et semicirculus ex orichalco, ac cylindrus plumbeus.

Machina composita ex tabula quadam, & ingenti ferreo pendulo, & partibus præterea multis aliis metallicis, ex quibus nonnullæ elasticæ. Tres malleoli, & quatuor pondera ex orichalco, itemque duo elasteria cum cochleis.

Machina ex pluribus lignis constructa ad pyramidis formam, & quædam aliæ partes, & novem pilæ eburneæ.

Duo longa brachia lignea, quæ inter se junguntur ad circini formam. Et magnus sextans ex orichalco in minuta, ac minutorum partes divisus.

Parvus

Parvus Currus cum quatuor rotis ex orichalco, quibus substitui possunt aliæ quatuor minores. Planum instructum quadrante, & fulcris metallicis sustentatum, super quod trahitur parvus ille currus. Varie planum inclinari potest. Junguntur huic machinæ etiam quædam minores partes. Machinula ex duobus circulis pictis, & norma lignea.

De Motu Simplici, & de Composito.

MAchina pluribus partibus constans, qua explorantur gravium corporum decidentium velocitates.

Machina, in qua per duos canaliculos, cycloidis figuram habentes, duæ pilæ discurrunt. Instructa etiam est campanulis.

Canaliculus ligneus plano inclinato impositus, lamina elastica instructus, & rota dentata, & pessulo, quo lamina elastica relaxatur ad imprimendum corporibus motum.

Machina tali artificio constructa, ut ea ostendi possit, quomodo, & quibus legibus hydrargyri salientes describant parabolas.

Machina composita èx duobus magnis quadrantibus, & artificio quodam elastico, & tabula instructa quinque anulis, ad ostendendum unde oriatur motus parabolicus. Adhibentur etiam nonnullæ pilæ metallicæ.

Machina formata ex pluribus gyris spiralibus filorum metallicorum serpentium circum lamellas parabolicas ferreas, ad explorandam accelerationem pilarum gravium descendentium per easdem spiras.

De Bilancibus, & Stateris.

BIlanx duabus magnis lancibus prædita.

Bilanx, quæ Arithmetica vocatur, tantum ansa, lingula, & jugo constans: Jugi autem brachia divisa sunt in partes centum. Plures parvæ lances unciales: & plura alia pondera uncialia.

Bilanx parva, eo constructa artificio, ut in recipiente, a quo extractus sit aer, commode possit adhiberi.

Bilanx, cujus lances ponderibus quatuor librarum onerari possunt: minima tamen ponderis adjectione destruitur æquilibrium. Hastæ item ex chalybe duæ cum trochlea, & stylobata.

Pes triangularis cum hasta, & gemina cochlea, & furcula ex orichalco, super quam collocatur jugum libræ metallicum.

Bilanx quædam dolosa, eo artificio formata, ut æquilibria appareant, quæ non sunt. Alia item dolosa, sed formata artificio differente ab illo.

Statera ex orichalco æquilibrata. Sacomata quatuor cum uncis ex chalybe.

Statera Romana, seu vulgaris. Sacomata quatuor cum uncis ex chalybe.

Statera composita ex duabus stateris simul arte conjunctis. Tria sacomata. Machina lignea ex pluribus partibus formata, cui appenditur hæc statera, aut aliqua alia ex jam descriptis.

State-

Statera, cujus pars præcipua, & ad usum comparata, est lamina chalybea elastica recurva.

De Attritu.

QUadratum ligneum quatuor pedibus suffultum, super quod varia constituuntur chelonia, in quibus variarum crassitierum cylindri buxei vertuntur.

Machina ex cylindro desinente in axiculos, rota instructo, & ex quatuor aliis rotis, & ex duobus fulcris super mensula constitutis, & ex quibusdam minoribus aliis partibus formata. Excepta mensula, omnia sunt ex orichalco.

Tabellæ variæ, aliæ ligneæ, aliæ marmoreæ, & aliæ plumbeæ cum cochleis, & trochleis.

Magna quædam tabula cum tribus cylindris.

Tria ligna, quæ ita inter se implicantur, ut partibus suis superioribus elevatis pondus sustineant.

De Vi centrifuga.

MAchina ex plurimis partibus constans, quarum aliæ ligneæ, aliæ ferreæ, aliæ ex orichalco, aliæ plumbeæ. Compositione & motibus earum partium fit, ut varia corpora variis modis in varios gyros agantur; atque adeo proprietates vis centrifugæ ita explorentur.

Duæ machinulæ ligneæ cum vasculis ex orichalco. Et quatuor parvæ situlæ item ex orichalco cum operculis. Hæ quoque machinulæ interdum cum superiore machina, ad excitandos motus centrifugos, adhibentur.

Machina composita ex vase æreo formæ parabolicæ, interius pluribus laminis æreis in modum spirarum instructo, volubili circa suum axem, imprimenteque vim centrifugam, & motum ascensus aquæ.

Machina, qua sipho metallicus in gyrum agitur, unde aqua attollitur.

Ingens pila crystallina cum annexis duobus capitibus desinentibus in axes. Hæc pila alteri aptatur machinæ, & agitur in gyrum, & ita vis centrifuga imprimitur fluidis.

De Viribus vivis, & mortuis.

STylobata ligneus grandis ad sustinendam unam bilancis lancem. Adjunctus est alter ferreus ad sustinendum bilancis jugum. Lances cylindraceæ, & pilæ ponderis varii. Et jugum, quod stylobatæ illi bilancis adjungitur, cum aliis partibus.

Machina quatuor columnis constans, quæ pluribus transversis conjunctæ sunt, & vas cupreum, & tabellæ variæ, & quatuor pilæ diametri æqualis, sed varii ponderis, tres ex orichalco, & una plumbea.

Machina textoria altitudinis duorum pedum, cum duodecim diaphragmatis charta opertis, quæ illi inseruntur.

Sila-

Silanus, per quem oſtenditur, aquam tantundem aſcendere, quantum deſcendit. Item pendulum, pyramides duæ buxeæ, pilæ eburneæ quinque, & quædam alia.

De Muſculorum motu.

TAbula rotunda quinque pedibus innixa, in cujus ambitu profunda crena, cui plures inſeri poſſunt trochleæ. Habentur autem trochleæ decem & novem ex orichalco, ferreis laminis planis inſiſtentes.

Catenæ duæ ex orichalco, altera ſexdecim, altera duabus & triginta æqualibus lamellis conſtans. Adhibentur ſupra tabulam, de qua modo dictum eſt.

Machina compoſita ex pluribus partibus, ad attollenda pondera inflatione quarundam veſicarum.

Inſtrumentum, quo oſtenditur, quid valeant vires obliquæ, ſi vecti tertii generis aptentur.

Machina ad oſtendendum muſculorum ſtructuram, eorumque motus, ſecundum quandam olim propoſitam (non tamen admittendam) ſententiam. Præter hanc machinam, uſui etiam eſſe poteſt (quamvis ad alios uſus comparata) ſequens machina.

Parallelogrammum formatum laminis ex orichalco, cum ſuis forulis, cochleis, & inſtrumento ad delineandum.

Machina compoſita ex ſolida baſi, & duabus columnis quadratis, in quarum vertice trochleæ duæ, & in media parte menſula.

Cubus ita excavatus, ut alterum cubum ſibi æqualem recipiat.

De Reſiſtentia Solidorum, & Fluidorum.

SPecimen elaſterii, cujus cylindrus cryſtallinus eſt, ut motus appareat partium internarum.

Duo cubi, alter ligneus, lapideus alter, & cuneus ligneus, ad explicandam ſolidorum reſiſtentiam.

Machina, quæ divulſoria dicitur, tignis quatuor compoſita, cui ferrum impoſitum eſt, & magna quædam cochlea, cum magna ſtatera ferrea, ſuoque magno ſacomate, & alia ſtatera ex orichalco æquilibrata, tribuſque aliis ſacomatis, aliiſque partibus.

Ferrum peculiaris figuræ cum duobus branchiis, & oculo. Duæ forcipes. Duæ laminæ ferreæ. Quinque anuli, & quatuor unci ferrei. Omnia hæc pertinent ad machinam ſuperiorem.

Machina compreſſoria, compoſita ex baſi quadrata, quatuor columellis, ac tabula mobili, quæ in columellas illas immittitur. Ad frangenda compreſſione ligna.

Machina percuſſoria, conſtans cubo lapideo, cui immiſſa eſt ingens lamina plumbea, & inſuper adjecta per cochleas lamina ex orichalco perforata. Duplex ſcalprum, & pila ferrea, ad machinæ uſum.

Machina compoſita ex plano ligneo, duabus columnis, rota, axiculo, & ſtatera cum aliis partibus, ad experiendas vires funium.

Machi-

Machina item ad experiendas chordarum vires, earum etiam involutione & glomeratione, cum variis cylindris ad eosdem usus.

Instrumentum ex longa tabula, & cylindro ligneo, qui vertitur ope vectis: & lamina ex chalybe perforata, ad trahenda & attenuanda fila metallica.

Machina formata plano verticali, circulo metallico, in quo plurimæ divisiones signatæ, indice, & gemina forcipe instructa sua cochlea, aliisque partibus. Ad explorandas tensiones chordarum musicalium.

Capsa oblonga ex crassioribus tabulis constructa, in qua infunduntur fluida. Ingens pendulum ex orichalco cum duabus pilis plumbeis, & machinula, cui appenditur ipsum pendulum oscillans in fluidis.

De Percussione.

Machina variis partibus composita ligneis, & metallicis, ex quibus aliæ sunt stabiles, aliæ mobiles; præterea funiculis quibusdam, qui membra machinæ conjungunt, atque motibus inserviunt. Tres malleoli, & quatuor pondera ex orichalco, itemque duo elasteria cum cochleis. Et quatuor cylindri cavi ex buxo, qui creta repleti huic eidem machinæ aptantur.

Machina composita ex tabella oblonga, & ex virga ferrea elastica habente ad extremum cuspidem, & ex orbiculo, qui a cuspide percutitur.

Machina ex ligneo canali satis longo constructa, cum rota dentata, elasterio, & duobus metallicis cylindris.

De Hydrostatica, & de Hydraulica.

Fistulæ multæ vitreæ varia inter se magnitudine, forma, & figura; variæ pilæ, & varia aerometra. Et tres tubi vitrei grandiores, quorum duo filis ferreis muniti.

Cylindrus vitreus, in quo tres liquores sunt inæqualis gravitatis, & corpora quædam graviora. Quatuor Elementa suo quodam nomine dici solet.

Vas aquæ plenum, cui insunt figuræ quædam ex crystallis coloratis, quæ in aquam modo magis, modo minus merguntur, & æquilibrium quoddam inter solida, & fluida manifestant.

Bilanx quædam, quæ adhibetur præsertim indicandis gravitatibus solidorum immersorum in fluida. Et plura varia æquipondia adhibenda in una lance. Nec non stylobates ferreus cum cochlea ad usum ipsius bilancis.

Vas, & cubi duo ex orichalco, & duo æquipondia ad explorandum, quantum gravitatis solida immersa in fluida deperdant. Et ad eundem finem cubus alius ex orichalco. Et cubus marmoreus.

Vasculum ex orichalco, & corpus solidum ex eodem metallo, quod implet illius cavitatem, sed mobile est.

Machi-

Machina ad demonstrandum, corporis solidi liquido immersi gravitatem variari, prout liquidum ipsum densatur, aut rarefit.

Machina composita ex duabus cochleis, & cylindro ligneo, & vase vitreo armato ex orichalco, qui cylindrus cochleis eisdem super mensam firmatus, in vas ipsum aqua repletum immergitur.

Machina composita ex grandi ligneo vase, sustentato a duobus fulcris, interius contecto bracteis ferreis, ad finitorem parallelo. Super unam hujus extremitatem impositum est ad perpendiculum alterum grande pariter ligneum vas, quod aqua repletur, instructumque est pluribus partibus ex orichalco, nempe tubis cum suis cochleis, & magno siphone recurvo, ex quarum partium foraminibus aqua prosilit in illud vas parallelum ad finitorem. Aliud vas item ligneum, sed interius contectum crassa lamina plumbea, quod loco vasis ad perpendiculum substituitur, & illius partibus ex orichalco instructum, ac item aqua repletur.

Grandis quædam machina formata ex firma capsa, & tribus tubis metallicis, cum duobus embolis, aliisque partibus ligneis ac ferreis, ad ostendendum aquæ motum per pressionem.

Tria vasa ex orichalco tornata variæ altitudinis, quorum duo perforata. Et duo alia vasa eodem modo formata, sed æqualia, & instructa variis aliis partibus. Et tres fluidorum mensuræ ex ferro albo.

Tres cyathi ex crystallo, ad exemplar Heronis. Nec non quatuor alii cyathi, & patera item ex crystallo, vario artificio elaborata.

Follis hydraulicus, cui aptantur duæ fistulæ vitreæ.

Silanus pertusus quatuor foraminibus, quorum unum est majus aliis. Adhibetur inversus.

Cylindrus cavus ferreus cum duobus tubulis item ferreis, & cochleis, ad fonticulum ex hydrargyro formandum.

Rota cum alis ex orichalco, quæ alæ motu aquæ plicantur, & explicantur.

Tubulus æneus (Italis *pistolla*) qui aptatur alicui machinæ, ut firmus detineatur. Is tubulus ita dirigitur, ut glans plumbea inde explosa ex aquæ superficie resiliat ad angulum quinque vel sex graduum.

Planum inclinatum cum globis eburneis, & circulis pictis in charta crassiore; ad ostendendum Nevvtonianum systema de maris fluxu & refluxu.

De Aere.

Fistula ex orichalco, embolo instructa & epistomio. Syringa dicitur.

Barometra quinque. Unum commune ex hydrargyro. Duo alia eo conjuncta artificio, ut eodem tempore hydrargyrum in uno quidem ascendat, in altero vero descendat. Et duo alia eo modo constructa, ut partim repleta sint hydrargyro, partim autem spiritu tartari.

Duo tubi vitrei, in quibus hydrargyrum ex aeris gravitate ascendit, ac descendit eodem tempore.

Hygrometra duo.

Machinulæ duæ communicantes. Ambæ conſtant capſula ex lamina attenuata, cum parvulis tubis, & vaſis cryſtallinis.
Tuba vitrea cum ſuo embolo ligneo, qua totum oſtenditur aquæ extrahendæ artificium.
Tres cyathi cum ſiphonibus vitreis, qui cyathi, quamdiu pleni omnino non ſunt, vinum continent; ſi repleantur, vinum emittunt.
Vas æratum cum pede ex orichalco, tubulus cum clavi, fiſtula cum embolo, ex quibus machina conſtituitur: in qua aeris fit compreſſio. Ejuſdem generis vas aliud ex orichalco peculiaris formæ, quaſi oblongæ æolipylæ.
Fonticulus conſtans duobus cylindris, fiſtulis duabus, & ſilano; qui Heronis fons ab aliquibus dicitur. Et duo fonticuli vitrei, ſuis baſibus inſtructi, quorum utrique additi ſunt duo tubuli.
Fonticulus vitreus, qui operatur per vacuum.
Vas vitreum cylindricum cum baſi & epiſtomio ex orichalco. Et ligneum triangulum, quod ſub eo aptatur.
Sclopus pneumaticus cum ſuis artificioſe elaboratis partibus omnibus. Et grandis ſyringa ferrea, quæ ei aptatur, quando opus eſt. Valvula ex orichalco conſtructa, eodem artificio elaborata, quo illius ſclopi valvula.
Machina ex orichalco, conſtans axe inſtructo lamina ſpirali elaſtica, & quatuor alis verſatilibus mobilibuſque, & quibuſdam aliis partibus: ſuper lignea menſula.
Tubus, cui ſuus ineſt aer, & pauxillum aquæ, hermetice clauſus. Alii duo tubi ſimiles illius, eodemque modo clauſi, ſed aere carentes.
Magna quædam machina lignea octogona, variis diaphragmatis perforatis, & quibuſdam aliis partibus inſtructa, ad grandinis ſtrepitum edendum.
Tres tabellæ, quibus artificioſe aptantur chordæ muſicæ.

De Antlia pneumatica.

Machina pneumatica, quæ conſtat duobus tubis æneis, rota, patena item ænea, embolis, & aliis partibus hujuſmodi machinarum propriis.
Machina alia pneumatica, quæ habet unum duntaxat æneum tubum, ſed majorem. Inſtruitur autem rota ferrea, patena ænea, embolo, & aliis item partibus, quæ machinis hiſce conveniunt.
Campanæ ſex vitreæ, quæ machinis illis pneumaticis inſerviunt. Et duæ aliæ item vitreæ, quæ in tubos deſinunt. Et duo manometra ex cryſtallo, & hydrargyro.
Quoddam veluti rete filis ex orichalco contextum in formam pateræ, ad coercenda ſchidia, ne campanis vitreis noceant.
Hemiſphæria duo cava ænea (aliquibus Hemiſphæria Guerichiana dicuntur). Ubi conjuncta ſunt, ut veluti pilam forment, a cavitate extracto aere, ea hemiſphæria nonniſi ſumma vi ſeparari queunt. Vaſculum ex orichalco cum cochlea, quod additur uni ex illis hemiſphæriis.
Duo

Duo hemisphæria marmorea, quorum planæ superficies in aëre cohærent, at in vacuo separantur.

Machina composita ex duobus vasculis metallicis, ad tollendum pondus in vacuo, ope vesicæ inter ipsa vascula collocatæ.

Vas vitreum cum fistula ænea divisa in ramos quatuor, ad filanum in vacuo efficiendum.

Patera lignea, quæ cum tubo crystallino adhibetur ad formandam hydrargyri pluviam in vacuo. Et patera quædam ferrea, cum duabus fistulis item ferreis, ad eundem fere usum. Et patera alia ex orichalco cum tubo crystallino, & aliis partibus, ad formandam in vacuo aquæ pluviam. Machina alia ex orichalco, constans patera conjuncta cum fistula munita epistomio, & vase vitreo, ut fonticulus in vacuo formetur.

Tintinnabulum conjunctum cum machinula horologio simili, intra vas vitreum clausa, ita fabrefacta, ut pro arbitrio ad sonitum incitari possit etiam in vacuo.

Machinula, per quam ostenditur, igneum pulverem in vacuo nullum strepitum edere.

Machina composita ex trunco quodam diviso in tria brachia, tribus elasteriis, rota, virga metallica, aliisque partibus, & lapidibus igniariis, quibus excutitur ignis in vacuo.

Machina ex cruce, & patella ex orichalco, & cochlea mare & femina, aliisque partibus, pro fermentatione liquidorum in vacuo.

De Igne, & Calore. De Glacie, & Frigore.

Speculum quadratum æneum, cujus pars altera plana est, altera concava, & hac radii reflectuntur, uniunturque.

Duo cava specula ex orichalco figuræ parabolicæ, similia & æqualia, habentia diametrum pollicum circiter vigintiquatuor. Positis prunis in foco unius, excitatur ignis in materia inflammationis capaci posita in foco alterius. Planum ex orichalco, quod inservit ad illorum focos signandos.

Speculum concavum crystallinum, segmentum sphæræ, cujus diameter est pollicum circiter vigintiquatuor. Valido insidet stylobatæ, & per vitem ferream vario modo vertitur.

Circulus ex lamina metallica cum suis pedibus, & pila ex stamno, & ei æqualis pila ferrea; ad ostendendam per ignem metallorum dilatationem.

Pyrometrum, hoc est, machina ad ostendendum, quatenus metalla calore extendantur. Constat verticali quadrante in centum partes diviso, rotis, rotulis, virga dentata, & aliis quibusdam partibus. Plura parallelepipeda ex variis metallis, quæ pyrometro singillatim aptari queunt. Et aliquot lapides ejus figuræ, ut ipsi quoque possint pyrometro aptari.

Duæ tabulæ, altera ex marmore nigro, & ex candido marmore altera. Prior citius, quam posterior, calorem sentit.

Pendulum, cui additur cylindrus hydrargyro fere plenus: ut remedium afferatur incremento longitudinis virgæ ferreæ penduli ex calore provenienti. Pendulum alterum alio instructum artificio, sed ejusdem usus.

Thermometra septem ex hydrargyro, non uno modo constructa, & tabellis suis affixa, & divisa: in quibus hydrargyrum, cum varie se expandat, varios etiam caloris aeris gradus indicat.

Æolipylæ duæ ad vim manifestandam, qua pressi vapores aquæ fonticulos gignunt. Et alia Æolipyla, illarum non admodum dissimilis: sed ad gignendum fonticulum igneum adhibetur.

Æolipyla metallica superposita curriculo ligneo, quæ per vapores aquæ ebullientis inclusæ cogit curriculum, ut rotando retrocedat. Alia Æolipyla metallica, curriculo ex tribus rotis metallicis innixa, cui supposita lucerna est: præstat effectum eundem ac prior illa Æolipyla. Et, ad eundem quoque effectum producendum, tertia alia Æolipyla metallica, major duabus superioribus, item super curriculum tribus rotis instructum, metallicum, ac deferentem etiam majorem lucernam, qua calefit aqua inclusa in Æolipyla. Lectulus, quem format lamina ex orichalco perforata, cum axe chalybeo. Alicui usui primæ & tertiæ Æolipylæ esse potest.

Sipho æneus (Italis *cannone*) parvus, figuris ornatus. Itemque alter minor eo, cum suis lectulis, & rotis. Ad ostendendum, ut tormenta bellica, dum in eis accenditur pulvis pyrius, retrocedant.

Vas cylindricum æneum, quod aliqui vocant ollam Papinianam, admodum crassum, auriculis, ansis ferreis, & operculo ferreo cum cochleis instructum, ad ossa emollienda. Et, ad hujusce macchinæ usum, clibanus ferreus cum craticula mobili, aliisque partibus, in quo ponuntur carbones accensi.

Machinula ex chalybe, pede, & parvis fulcris, ad excutiendas per ignem sulphureum ex monetis squamas.

Fonticulus major Heronis, vitreus, cum vasis, & fistulis geminatis, cui ignis adhibetur. Et fonticulus alter item vitreus, priori illi valde similis.

Operculum partim crystallinum, partim ligneum, cui aptatur epistomium, & huic fistula ærea. Imponitur excipulo vitreo, cujus generis tria sunt, & ostenditur, carbonis candentis fumo animalia interire.

Phialæ plures generis varii, & lacrymæ vitreæ, ad ostendendas earundem fractiones, aut resistentias. Campana vitrea.

Abacus suis pedibus suffultus, sub quo follis est, cujus recurva fistula ad grandem lucernam, quæ supra abacum est, pertingit.

Machinula eburnea intra pilam vitream, in qua apparet, quomodo corpus vitro includatur vitri ipsius foramine majus.

Exigua lucerna, cujus candela aquæ immersa, eaque fota diutius ardet. Ac forceps argentea apprehendendis rebus, quæ per flammas explorantur.

Patella, & instrumentum ex orichalco ad candelam sustinendam, quæ accenditur in spiritu vini.

Forna-

Fornacula, in qua agit ignis accensæ lucernæ, cum variis partibus, per quam specimen præbetur faciliorum quarundam operationum chimicarum. Ei fornaculæ adhibetur vas ex ære, quod tripede sustentatur.

De Electricitate.

QUatuor tubi valde longi ex vitro; & (ut appellant) baculum ex cera, quæ Hispanica dicitur.

Machina ex trabibus, cum magna rota axe munita, manubriis ferreis, & cheloniis æneis. Laminæ duæ, catenulæ, & tubuli: hæc omnia ferrea. Cochleæ ligneæ; cylindrus ferreus cum axe & tympanis.

Siphones ex ferro albo, & laciniæ ex auro adulterino.

Plures cylindri, & plures globi vitrei, aut crystallini, adhibendi machina quæ rota instruitur.

Arcus ex chalybe artificiose constructus, ad agenda in gyrum quodam peculiari modo nonnulla vitra electrica.

Abacus formæ valde solidæ. Tria fulcra. Equulus cum projecturis ad sustinendum pucrum.

De Lumine, & Coloribus.

OCto unci ferrei, furcillæ octo ferreæ, pilæ octo plumbeæ, tres laminæ ferreæ perforatæ. Ex quibus machina fit ad inducendos Solis radios in cubiculum obscurum.

Prismata crystallina tria, Anglica. Quatuor alia prismata crystallina, Veneta.

Prisma triangulare ex tribus laminis compositum rectangulis crystallinis.

Tres machinæ, quarum unaquæque basi constat, & parastatis duabus, in quarum crenas laminæ ferreæ inseruntur ita perforatæ, ut per earum foramina lucis radii transeant.

Machinæ duæ basibus, & parastatis plane similes tribus illis jam descriptis. Adhibentur ad prismata collocanda, & pro arbitrio movenda.

Machina alia, quæ basi & parastatis est similis priorum. In hac posita est tabella mobilis, perforata, duabus laminis ferreis instructa, ad lucis attractionem.

Duo plana specula, alterum metallicum, crystallinum alterum, quæ inseri possunt in machinam ex tabellis cum nodis ita compositam, ut in partem quamlibet verti queant. Et sphæra ferrea, quæ inclusa est in alia concava ex eodem metallo.

Speculum aliud metallicum planum.

Instrumentum ex basi constans, hasta quadrata, & tabella, quæ tollitur, & deprimitur, ad excipiendas luminis species, & colores.

Tabula plana, in cujus medio speculum est.

Capsulæ duæ ex tabellis ligneis, & laminis crystallinis compositæ, ad lucis

cis

cis refractiones ostendendas. Et ad eundem usum capsula alia tota ex crystallo conflata.

Heliostata, hoc est, machina, a qua reflexi Solis radii detinentur immobiles. Constat horologio, quod inclinatum est eo artificio, ut ejus quadrans parallelum sit Æquatori, cum pede, qui lineæ meridianæ aptatur, & cum indice deferente virgam ex orichalco, a qua movetur capsula item ex orichalco, cui aptatum est speculum metallicum, in quod incidunt Solis radii. Pes capsulæ speculi, & virga ex orichalco pluribus divisionibus signata.

Scala optica, composita ex virga ferrea, ex pluribus laminis item ferreis, & ex pluribus lentibus crystallinis.

Machina stylobatæ plano imposita, cum sextante per gradus diviso, & prismate crystallino, qua demonstrantur factæ a fluidis refractiones.

Tres lentes crystallinæ affabre constructæ a viris hoc in genere præstantissimis. In prima est foci distantia palmorum *61*. in duabus aliis palmorum 28. Et alia lens crystallina, quæ valde proximum focum habet.

Telescopia tria. Eorum lentes a viris item præstantissimis elaboratæ fuerunt. Unum longum est palmos decem, alterum longum est palmos duodecim, tertium longum est palmos duos & viginti.

Telescopium catoptricum dioptricum, sive Nevvtonianum, melioris notæ, longum pollices vigintiquatuor, omnibus suis partibus, & capsula pro pede instructum.

Libella ex orichalco cum duplici telescopio, ad quam objecta componuntur.

Microscopium majus, cui quædam sunt adjecta ad fluidorum observationem pertinentia. Et duo alia eo minora.

Crystallus multis faciebus prædita, trunco conico ligneo instructa, per quam multiplicantur imagines.

Tria specula composita (quasi ut liber) & nonnullæ figuræ ad ostendendam objectorum multiplicationem.

Tria prismata triangularia nucea; quorum singulis inserta sunt specula duo. Tabellæ sex chartaceæ cum figuris variis. Et alia tabella longior cum tribus figuris.

Speculum cylindricum convexum ex metallo cum figuris undecim monstrosis, quæ in speculo minime monstrosæ apparent. Et aliud simile speculum cum sex generis illius jam indicatis figuris.

Tabellæ duæ pictæ, quarum figuræ recta intuentibus deformes videntur, transverse non item.

Laterna magica, constructa eo etiam artificio, quo figuræ sibi inter se accedunt, ac recedunt. Octo figuræ crystallis orichalco tornatis impositæ, quæ mobiles sunt, & ad magicas laternas adhibentur.

Camera optica constans capsula lignea, cum duobus speculis planis, metallico uno, crystallino altero, & lente convexa.

Machina constans abaco cum suis pedibus, dimidio cono nigro, pila inaurata, & aliis partibus, ad formandam speciem Iridis.

Phos-

Phoſphori tres ex fiſtulis & globulis vitreis conflati, in quibus aliquid hydrargyri eſt. Et alius phoſphorus ex globo vitreo, in quo item aliquid ineſt hydrargyri.

De Geometria.

TAbellæ ſexagintaquatuor ex craſſiore charta, longæ pollices circiter viginti tres, & pollices circiter quindecim latæ. In eis pictæ ſunt multæ figuræ, quarum ope doctrinæ, quæ præcedere debent, aut ſubſequi experimenta, poſſint clarius edoceri.

Plures lamellæ ex orichalco, aliæ rectæ, aliæ curvæ: itemque litteræ argenteæ, ad formandas pro lubitu varias Geometricas figuras.

Planum ligneum ferro munitum, cui ſunt impoſita inſtrumenta duo, plures habentia partes ex orichalco, ad lineas curvas, tractoriam, & logarithmicam deſcribendas.

Machinæ pluribus uſibus inſervientes, & utenſilia.

TAbula magna pluteis inſtructa ad collocandas pleraſque machinas, cum fiunt experimenta.

Abacus ex nuce ſolidioris formæ, ad ſuſtinendas machinas, cum opus eſt.

Inſtrumentum ex variis partibus affabre conſtructum ad ſuſtinendas fiſtulas Turricellianas, vel alias.

Tabella triangularis, quæ eſt veluti ſuppes, inſerviens nonnullis machinis.

Anagnoſterium ad ſuſtinendas tabellas, in quibus pictæ ſunt figuræ. Et ſtylus argenteus.

Stylobates ita conſtructus, ut ex eo ſtateræ, atque alia corpora ſuſpendi poſſint.

Columna buxea perforata cum brachiis tribus, & cochleis, & aliis partibus, cui varia corpora appenduntur. Uncus cum cochleis. Item trochlea multis partibus compoſita cum cochlea metallica.

Horologium oſcillatorium, in cujus axe tres indices ſunt, ad oſtendenda minuta prima, ſecunda, & tertia; eo artificio conſtructum, ut pro arbitrio ejus motus incitari, & ſiſti poſſit.

Horologium oſcillatorium ſimplex, collocatum prope Theatrum.

Octo inſtrumenta ferrea ad tractandum hydrargyrum, quod fiſtulis immittitur. Et duæ laminæ uncis inſtructæ, quibus inſtrumenta ea, & alia etiam imponi queunt.

Duæ libellæ ex tubulis vitreis ſpiritu vini plenis, ſuis pedibus affabre conſtructis impoſitæ.

Circinus, qui circinus proportionis dici conſuevit, & inſtrumenta duo ei fere ſimilia, ex orichalco; ad quaſdam proportiones explorandas. Duo circini, quorum major ex orichalco eſt, minor ex chalybe. Et normæ duæ item ex orichalco.

Quatuor pondera libralia ex orichalco cum ſuis uncis. Sex pondera marmo-

rea

rea variæ figuræ, variæque magnitudinis. Multa variæ magnitudinis pondera plumbea.

Pilæ duæ ex orichalco, quæ cochleis aperiuntur & clauduntur, immissis & extractis frustulis plumbeis, prout opus est. Et pilæ aliæ multæ ligneæ, plumbeæ, cereæ, ferreæ, variæ magnitudinis, & varii ponderis, ad usus qui pondera rotunda poscunt.

Lignea machinula ex duobus cylindris constructa. Et parva trulla ferrea.

Parva incus ex chalybe, & infundibulum argenteum.

Duo cubi, & furcilla ex orichalco. Tres cylindri plumbei. Quatuor terebræ, uncus, cochlea.

Laminæ duæ: duæ lineæ: pomum cum vagina: quatuor pyxides: omnia ex orichalco.

Tubuli recti, tubuli in phialas desinentes, vasa, infundibula, æolipyla, hydrometrum; omnia ex vitro.

Tabella quadrata cum suo ambitu ex orichalco, tres laminæ ferreæ crassiores, & quatuor minores, cochlear ferreum, varii cyathi crystallini, pelvis, & duæ pateræ.


Rerum variarum miscellanea.

Formæ variæ.

SPecimen artificii ad januam construendam, quæ aperiri possit ex utraque parte.

Exemplaria tria machinarum inter se differentium. Sed omnes ad defigendos in flumina, aut in alios fundos aquarum, palos.

Exemplar cataractæ cum craticula ferrea, ad aperiendum & claudendum fluminis ingressum intra muros alicujus urbis.



DE

DE LINGUA GRÆCA

CETERISQUE ORIENTALIBUS.

Reparatis ubique veterum linguarum ſtudiis, decrevit Senatus anno MDCCXLIV. v. id. april. ut in Patavino quoque Gymnaſio peculiaris Græcæ linguæ ceterarumque Orientalium ſchola aperiretur, quæ elementaria eſſet: cum interim Humanitatis, & S. Scripturæ Profeſſores interiorem eruditionem inde ortam, ſui uterque generis, perſequerentur. Horæ primæ matutinæ dierum vacantium aſſignari placuit; ejuſque Profeſſoribus Theologorum Collegium apertum eſt, ne Promotores in Doctoribus creandis pauciores eſſent, quam ſex. Ad novam hanc ſcholam regendam electus eſt *Fr. Michael Angelus Carmelus* Tarviſianus ex Minoritis Obſervantibus, conſtituto ſtipendio florenor. CL. Anno autem MDCCLII. XI. kal. jul. cum jam non voce modo, ſed ſcriptis quoque ſcholæ dignitati conſuluiſſet, confirmatus eſt, aucto ſtipendio ad florenos CCLXX. quibus recte utitur in paranda Cœnobio ſuo bibliotheca.



INDEX
RECTORUM
UTRIUSQUE UNIVERSITATIS
GYMNASII PATAVINI.

Siglarum explicatio

Jur. R. Juriſtarum Rector. Art. R. Artiſtarum Rector. S. Syndicus. Pror. Prorector. Prof. Profyndicus. P. I. Pars Prima. P. II. Pars Secunda. S. loco Jur. R. Syndicus loco Juriſtar. Rectoris. Jur. vel Art. Subſt. Juriſtarum, vel Artiſtarum Subſtitutus.

A.

B.

C.

Cto-

G.

H.

I.

K.

L.

Lisca

N.

O.

de

P.

Sue-

Z.

INDEX
PROFESSORUM JURISTARUM.

P. I. Pars Prima. P. II. Pars Secunda. Si nihil eſt niſi paginarum numerus, ſignificatur Pars III.

A.

de

Cafa-

D.

E.

F.

Fulgo-

de

M.

Mara-

N.

Nasi-


Per-

Q.

R.

 Riche-

S.



INDEX

INDEX

PROFESSORUM ARTISTARUM.

P. I. Pars Prima. P. II. Pars Secunda. Si nihil est nisi paginarum numerus, significatur Pars III.

A.

B.

Bagel-

Bran-

D.

E.

Hiero-

M.

Mon-

Pater-

Q.

R.

de

S.

Sa-

T.

F I N I S.

E R R A T A

IN PARTE I.

Pag. XI. *docendi* --- *docendi ac dicendi* P. XXXVII. lin. 32. dele *Bartholomæus Capivaceus*. P. XXXIX. l. 2. *Saffolus* corr. *Caffolus* P. LIII. l. 17. *Picinus* --- *Picenus*

IN PARTE II.

Pag. 64. l. 26. *Brandifius* --- *Branditius* P. 223. l. 28. *Melategnis* --- *Malategnis*

IN PARTE III.

Pag. 9. l. 29. *Aquanæus Parolecius* --- *Aquenæus Parolerius* P. 67. l. 24. *Bortoletti* -- *Bortolotti* P. 69. l. 26. *Julius* -- *Tullius* P. 143. l. 24. quinquennio -- anno P. 181. l. ult. DC. -- D. P. 221 l. 4. *Marcus* --- *Marius* P. 404. l. ult. induftriam --- fedulitatem

INDEX

RERUM

P. I. Pars Prima. P. II. Pars Secunda. Si nihil est nisi paginarum numerus, significatur Pars III.

A.

D.

tavi-

E.

F.

G.

Gram-

H.

I.

L.

M.

Memo-


Q.

T.

Tor-

V.

Z.



JURIS

JURIS SCHOLÆ.

ARTIUM SCHOLÆ.

Secun-

F I N I S.

E R R A T A

IN PARTE I.

Pag. XI. *docendi* --- *docendi ac dicendi* P. XXXVII. lin. 32. dele *Bartholomaeus Capivacceus*. P. XXXIX. l. 2. *Saffolus* corr. *Caffolus* P. LIII. l. 17. *Picinus* --- *Picenus*

IN PARTE II.

Pag. 64. l. 26. *Brandifius* --- *Branditius* P. 223. l. 28. *Melategnis* --- *Malategnis*

IN PARTE III.

Pag. 9. l. 29. *Aquanaeus Paroletius* --- *Aquenaeus Parolerius* P. 67. l. 24. *Bortoletti* -- *Bortolotti* P. 69. l. 26. *Julius* -- *Tullius* P. 143. l. 24. quinquennio -- anno P. 181. l. ult. DC. -- D. P. 221 l. 4. *Marcus* --- *Marius* P. 404. l. ult. induftriam --- fedulitatem





